3 vols 50/

2/5/-

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ,

ETC. ETC.

Nihil obstat.

E. J. O'Reilly, D.D., S.J.

Imprimatur.

Paulus Card. Cullen,

Archiep. Dub. Delegatus Apostolicus.

Datum Dublinii,
Die 20 *April.* 1870.

C879

DISPUTATIONES THEOLOGICÆ

DE

JUSTITIA ET JURE,

AD

NORMAM JURIS MUNICIPALIS BRITANNICI ET HIBERNICI CONFORMATÆ.

AUCTORE

GEORGIO CROLLY,

IN COLLEGIO ST. PATRICII APUD MAYNOOTH

IN HIBERNIA,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOGMATICÆ ET MORALIS PROFESSORE.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
239.27
LIBRARY
C877
Alma, California

DUBLINII:
McGLASHAN ET GILL, UPPER SACKVILLE-STREET.
LONDINI: BURNS, OATES, ET SOC., PORTMAN-ST.
1870.

14026

DUBLINII:
IMPRESSIT M. H. GILL,
ACADEMIAE TYPOGRAPHUS.

Wm Doody

MONITUM AUCTORIS.

Forsan quibusdam videbitur hoc volumen de Justitia in immodicam longitudinem excrevisse, et ideo hujus doctrinæ studiosis minus idoneum. Sed nihil superfluum quod sciamus protulimus, et hanc ipsam disciplinam hactenus per colloquia alumnis nostris tradidimus. Quum autem impossibile esset doctrinam sic traditam sola memoria tenere, ii qui hoc modo discere nituntur, omnibus nervis verba præceptoris notare contendunt; et his notulis confidunt, quamquam imperfecte, et non raro parum accurate, exscriptis. Sane tum temporis tum operis compendium fore speravimus, scientiæ studiosis, si totum argumentum typis mandaretur:

> Segnius irritant animos demissa per aurem,
> Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus, et quæ
> Ipse sibi tradit spectator.

In principio operis sui egregii de Justitia admonet lectorem Molina: "Equidem non sum inscius multos esse ad quorum stomachum nisi perbrevi compendio tradita doctrina non faciat . . . . Et profecto, ut dicam quod sentio, magnum operis ornamentum brevitas, ac summe optabilis, si fert operis dignitas: verum cum brevi et compendiario dicendi

genere, velut offusa caligine, rerum de quibus agitur splendor obscuratur, ac pene obruitur, id qui postulant, aut rerum dignitati parum consulunt, aut, ut cum Lycurgo loquar, sincerum cupiunt vas incrustare. Ecquis justitiam quæ longe lateque patet, et per omnes omnium hominum actiones publicas, privatasque funditur, in summam, compendiumque pro dignitate redigat? Ecquis argumentum rerum pondere et varietate maximum, in Epitomen, quasi in fasciculum illiget?"

Plura ex iis quæ in procœmio exponuntur ipsam Justitiam respiciunt; cetera non solum necessaria sunt ut intelligantur præscripta juris municipalis quæ in his prælectionibus proferuntur, sed insuper ut ea habeatur cognitio principiorum generalium legum reipublicæ quæ decet omnem virum qui ingenue educatus sit.

Observandum est circa ea quæ infra in disputatione quinta decima de *tenuris* seu modis quibus coloni eorum agros ab agrorum dominis tenent, et de muneribus (*services*) quæ a colonis agrorum dominis debentur; hæc in Hibernia non amplius niti istis præscriptis juris municipalis quæ ex systemate feudali orta sunt, sed contractu qui aut expresse, aut implicite a jure iniri censetur, inter colonum et dominum agrorum. Non itaque debetur a colono Hibernico *fidelitas* [*fealty*], domino a quo agros tenet, unde neque ille reditus qui *rent service* dicitur (*a*) ab eo debetur domino a quo agros suos tenet. Sed lex jam in senatum inferiorem Parlamenti, a primo consiliorum Reginæ ministro proponitur, qua relatio inter dominos agrorum et colonos seu tenentes omnino mutabitur, et aliquatenus saltem, corrigetur.

(*a*) Cf. infra, n. 438.

Monitum Auctoris.

Quamvis aptum esse videbatur quædam juris municipalis præscripta sermone Anglico proferre, hæc tamen præscripta etiam oratione Latina exponuntur. Ex altera parte servavimus aliqua vocabula Latina incompta quibus nostri jurisperiti adhuc in eorum scriptis utuntur; et alia quædam, quæ in ætate aurea Latinitatis non inveniuntur. Sed hæc vocabula artis usurpavimus tum claritatis tum brevitatis causa. Vocabulum *reus* aliquando idem valet ac nocens aliquando significat eum qui criminis accusatur, aut cui actio intenditur, sed sensus in quo adhibetur semper planus et obvius est, saltem ex contextu.

In quibusdam locis hujus operis occurrat nota Lbb. quæ *libras* significat. Sic: 20 Lbb., viginti libras pecuniæ, Anglicæ significat. Libra Anglica ejusdem pretii est ac viginti quinque franci Gallici.

Datum Manutiæ, Kal. Martii,
Anno reparatæ salutis mdcccLxx.

PROŒMIUM.

DE LEGIBUS MUNICIPALIBUS ANGLIÆ, HIBERNIÆ ET SCOTIÆ.

§ I. *De nomine legis municipalis.*

1. Quum leges civiles magna ex parte circa materiam justitiæ versentur, non modo utilissimum verum etiam necessarium est, ut ii qui doctrinæ de justitia perdiscendæ se dedant, scientiam harum legum sibi comparare velint. Apud nos vero qui in hæc studia se conferunt nullum fere adjumentum habent quo possint leges Anglorum de rebus ad justitiam spectantibus cognoscere. Theologi enim ex quorum scriptis scientiam justitiæ atque juris assequi conantur, leges civiles aut Romanorum aut Gallorum, aut aliarumve nationum quæ in nostra republica nullam vim habent exponunt; quarumque præscripta præsertim de rebus immobilibus a legibus quæ apud nos valent, omnino discrepant (*a*). Ob hanc præsertim rationem hunc tractatum conscribere statuimus, ut iis qui in nostris regionibus in studium justitiæ incumberent, adjumento esset ad præscripta legum nostrarum municipalium cognoscenda.

2. Quamvis unaquæque respublica leges civiles pro suis civibus ferat, corpus tamen Juris Civilis Romani, a Justiniano imperatore

(*a*) "Nor can there be anything in general more different than the regulation of landed property according to the English and Roman laws." New Commentaries on the Laws of England, by J. Stephen, 5th Edition, London, 1863, vol. 1. p. 272. Nos testimonia hujus auctoris ex hac editione semper afferemus.

maxima ex parte editum, nomen legis civilis κατ' ἐξοχὴν sibi vindicat, ita ut quandocumque mentio fit "Juris Civilis" sine restrictione jus civile Romanorum intelligatur. Hoc sensu nos per jus civile legem civilem Romanorum significabimus.

3. Nomen municipii primitus significabat oppidum (in Italia præsertim) jure suo utens et legibus, cujus, incolæ aliquibus saltem privilegiis civium Romanorum gaudebant. Hæ leges speciales uniuscujusque municipii *municipales* nuncupabantur. Postea hæc vox latius patebat, ut leges et consuetudines quibus tota aliqua respublica regeretur municipales dicerentur. Hoc sensu nos leges civiles hujus nostri imperii "municipales" appellabimus. Leges nostræ Municipales in leges non scriptas, seu consuetudines, et in leges scriptas divisæ sunt. Leges non scriptæ, quæ *jus commune* appellantur, omnia complectuntur præscripta quæ *vim obligandi ex usu et consuetudine* acceperunt. Leges scriptæ, quæ *the Statute Law* dicuntur, ex iis præscriptis constant quæ *vim obligandi ex decretis Parlamenti* obtinent. Antiquissima lex scripta est *statutum* illud famosum quod Magna Charta appellatur, non quidem prout primo latum est, sed prout a Parlamento an. 9 Hen. III. (A. D. 1223) habito, confirmatum est.

§ II. *De legibus Hiberniæ municipalibus.*

4. A legibus municipalibus Hiberniæ et Scotiæ incipiendum esse duximus, quia hunc ordinem servando cognoscetur quatenus leges Angliæ municipales valeant in Hibernia et Scotia, priusquam has ipsas leges exponemus. In Hibernia, sicut et in aliis regionibus, leges antiquitus sola memoria et usu traditæ et conservatæ sunt. Hæ leges a principio a judicibus, qui lingua Hibernica *Brehons* appellantur, conditæ sunt; unde ipsæ leges "Brehon Laws" dicuntur. Codex antiquissimus Hibernice scriptus, qui veteres Hibernorum leges continet, nuper in Anglicam linguam translatus est, ejusque primus liber editus. Inscribitur Senchus Mor, id est *Chronicon Magnum*, quia omnes leges continet, quæ in

Hibernia sancitæ erant eo tempore, quum confectus est (*a*). Scriptus est imprimis urgente et adjuvante S. Patricio (*b*), eo consilio ut præscripta quæ juri aut naturali aut divino repugnarent abrogarentur. Liber confici cœptus est A. D. 438, et absolutus A. D. 441. Ex erutis atque ex jam in lucem editis his vetustissimis Hibernorum legibus constat, eas ab Anglicis scriptoribus perperam translatas esse atque etiam corruptas.

5. Quum Hen. II. Angliæ rex Hiberniam A. D. 1171 invasisset, leges Angliæ communes et systema Feudale in eas regiones ubi dominabantur Angli invecta sunt. Sed extra hos fines non observabantur. Territorium quod ditioni Anglorum subditum est *the Pale* dicebatur. Ipsi Anglorum posteri qui extra ejus fines habitabant, ut in procœmio famosi Statuti Kilkenniensis (40 Edv. III. A. D. 1367), declaratur, "meri Hibernici" [*mere Irish*] lingua, nominibus, vestitu, legibus, et modo vivendi devenerunt. Sed etiam intra ejus fines nulla lex scripta Anglorum invecta est, excepta Magna Charta, quæ ab Hen. III. ejus subditis in Hiberniæ concessa est. Ratio quare leges scriptæ Anglicæ intra fines eorum ditioni subditos promulgatæ non sint, expresse declaratur; quia Hibernici proprium suum habuerint Parlamentum a quo leges eorum scriptæ condi deberent (*c*). Itaque leges scriptæ Hibernicorum etiam intra fines ditionis Anglicæ a proprio ipsorum Parlamento conditæ erant. Sed nullum Parlamentum in Hibernia convocatum est regnante Hen. II. atque quatuor principibus qui proximi ab eo regno successerunt. Octoginta quinque anni intercesse-

(*a*] Senchus Mor. Dublin: Alex. Thom. London: Longman, 1865. Liber Anglice redditus fuit a duobis viris doctissimis, Joanne O'Donovan et Eugenio O'Curry, qui Celticarum literarum laude excellebant, et post eorum mortem volumen primum editum est a W. N. Hancock, LL. D., et Rev. domino T. O'Mahony.

(*b*) In temporibus recentioribus Senchus Mor dictus est Cain Patraic, id est lex Patricii.

(*c*) Hæc testimonia continentur in libris qui in singulos annos in Anglia vulgati erant [*the year books*] de quibus infra tractabimus.

rant ex quo prima lex scripta lata est in Anglia, antequam ulla lex scripta lata est in Hibernia. Primum Parlamentum intra fines ditionis Anglicæ habitum est A. D. 1310, regnante Edv. II., qui fuit annus centesimus tricesimus nonus post Hiberniam ab. Henrico II. invasam. Leges hujus Parlamenti ideo præcipue latæ sunt, ut cohiberentur Domini Superiores, atque ab injuriis inferendis coercerentur.

6. Sed cursu temporis reges et Parlamentum Anglorum jura Parlamenti Hibernici imminuere cœperunt. Hoc primo factum est an. 7 Edv. I., quum ipsum Parlamentum Hibernicum leges sancivit quæ jam a Parlamento Anglicano latæ erant. Sed leges scriptæ Anglorum universim a Parlamento Hibernico sancitæ non erant ante regnum Hen. VII., quando Edvardus Poynings eques vice regis in Hibernia fungebatur. Eo tempore fuerunt sexaginta regiones disjunctæ in Hibernia, quæ ab indigenis regibus aut principibus, secundum leges et consuetudines antiquas Hibernicorum regebantur. Posteri vero Angli qui intra has regiones habitabant ad leges et consuetudines Hibernicorum se conformabant. Imperium Anglorum tunc ad dimidiam partem quinque comitatuum coarctatum est (*a*) et etiam in his comitatibus plebs, quamvis se Anglicis legibus parere professa est, lingua omnino et institutis Hibernorum utebatur. Poynings autem Parlamentum convocavit Pontanæ (Drogheda) A. D. 1494, quod libertatem suam et potestatem regi Angliæ turpiter cessit. In eo enim statutum 10 Hen. VII., c. 4, latum est, ex quo nullum

(*a*) Cf. Leland, Hist. of Ireland, vol. 2. p. 97, ubi libellum illa ætate scriptum profert, qui ut fertur, Hen. VII. iisque qui ei erant a conciliis interioribus, delatus est. Comitatus ad quorum dimidiam partem coarctatum est Anglorum imperium erant Uriel (nunc Ardmachensis et Louthiensis), Midensis orientalis et occidentalis, Dubliniensis qui tunc Wickloviensem complectabatur, Kildarensis, et Waterfordiensis. Stat. Hen. VIII., c. 3. A. D. 1522, declarat legibus Anglorum obtemporatum esse in quatuor solummodo comitatibus. Sed Midensis tunc utrumque comitatum hujus nominis complexus est, et Dubliniensis Wicklowiensem.

Parlamentum in Hibernia convocari posset, nisi rex, iis convocatis qui ei a consiliis interioribus essent, licentiam in hunc finem concessisset; neque posset ulla lex rogari nisi ante convocationem Parlamenti, ab eo qui vice regis fungeretur in Hibernia, iisque qui ei essent a consiliis interioribus, ad regem et concilium interius Angliæ transmissa fuisset, ab iisque probata. Insuper sancitum est ut omnia statuta *recens* lata a Parlamento Anglico quæ *bonum publicum* respicerent vim haberent in Hibernia. Quamquam verba hujus legis nonnisi ad statuta *recens* lata attinebant, attamen lex ipsa ex decisionibus judicum eam vim habuit, ut omnia statuta de publicis rebus a Parlamento Anglicano lata, usque ad decimum annum Hen. VII., observari in Hibernia deberent ubicumque Anglorum leges impositæ essent. Post bella atrocissima quibus Elizabetha regina Catholicos in Hibernia insectata est; post agros in Momonia a possessoribus maxima injuria ablatos, jussu ejusdem Reginæ, et in Ultonia jussu Jacobi I., cujus etiam imperio tota Hibernia ad normam Angliæ in comitatus divisa est, leges Anglorum, quæ antehac intra fines ditionis Anglicæ coarctabantur, in Hibernicos ubique impositæ sunt. Sed nondum leges quæ in Hibernia obligarent, potuerunt saltem sine assensu Parlamenti Hibernici sanciri.

7. Sed A. D. 1720, Parlamentum Britannicum ipsum per se, parlamento Hibernico vehementer renitente, legem tulit (*a*), qua statutum est se solum posse leges condere quæ populum Hibernicum astringerent. Tribunalia etiam Hibernica tribunalibus ejusdem generis in Anglia subjiciebantur, ita ut appellari posset a Curia Banci Regii [*King's Bench*] in Hibernia ad Curiam Banci Regii in Anglia, et a Curia Cancellariæ in Hibernia ad senatum superiorem Britannicum [*House of Lords*], prætermisso omnino senatu superiore Hibernico, quem nulla jursidictione ad ullum decretum aut judicium rescindendum potiri declaratum est. Et revera solum Parlamentum Bri-

(*a*) 6 Geo. I. c. 5.

tannicum leges in regnum Hiberniæ imposuit, et non raro a sententiis quas judices in Hibernia tulerunt ad tribunalia in Anglia, et ad senatum superiorem Britannicum appellatum est.

8. Sed quum Angli conturbarentur ex bello quod cum coloniis suis Americanis gerebat atque in angustias adducerentur, Parlamentum Hibernicum A. D. 1781 coegit regem et populum Britannicum integram libertatem Parlamenti et tribunalium Hibernicorum cognoscere. Itaque per 22 Geo. III, c. 53 statuta supra allata 10 Hen. VII, et 6 Geo. I., abrogata erant, et anno sequenti lex lata (23 Geo. III., c. 28) qua constitutum est solum Parlamentum Hibernicum leges quæ populum Hibernicum obligarent ferre posse; ejusque tribunalia semper fuisse sui juris, ideoque ab iis appellare nisi ad tribunalia superiora et ad senatum superiorem Hiberniæ illicitum et irritum fuisse (*a*). Sed post aliquot annos per 39 et 40 Geo. III., c. 69, sancitum est ut a prima die mensis Januarii A. D. 1801 Magna Britannia et Hibernia in unius regni corpus coalescerent, et unumParlamentum conjunctum haberent.

9. Itaque leges municipales quæ in Hibernia nunc valent, sunt, 1. Jus commune generale Angliæ; 2. Consuetudines quædam speciales secundum quas jus in quibusdam tribunalibus, ecclesiasticis, nempe, et maritimis [*Admiralty*] dicitur; 3. Consuetudines quædam speciales quæ in quibusdam locis receptæ sunt. Ex his jus commune seu non scriptum constat. Jus scriptum complectitur: 1. Omnia statuta a Parlamento Hibernico lata; 2. statuta publica Parlamenti Anglicani usque ad an 10 Hen. VII. (1495); 3. statuta quæ in 21 et 22 Geo. III., c. 48 (Yelverton's Act) enumerantur et sanciuntur; 4. omnia statuta Parlamenti conjuncti Magnæ Britanniæ et Hiberniæ, nisi in aliquo statuto expresse declaretur id ad Hiberniam non spectare; 5. statuta ejusdem Parlamenti conjuncti quæ solam Hiberniam respiciunt.

(*a*) Ante hæc constituta cautum est per 21 & 22 Geo. III. c. 48 (*Yelverton's Act* ut dicitur) ut quædam statuta (maximam partem privata) a Parlamento Britannico perlata, de agrorum possessionibus in Hibernia, a Parlamento Hibernico recipi deberent.

§ III. *De legibus Scotorum municipalibus.*

10. Leges municipales a Scotis antiquitus observatæ pure Celticæ erant (*a*). Postea tamen propter locorum propinquitatem et consuetudinem cum Anglis, plures horum leges et consuetudines observari cœptæ sunt; unde leges non scriptæ Scotorum magnam affinitatem cum legibus Angliæ communibus habent (*b*). Leges vero scriptæ Scotorum propterea quod ii per plura secula arcte cum Gallis conjungebantur, valde similes sunt legibus civilibus Romanorum, præsertim in iis præscriptis quæ commercium spectant. Anglia et Scotia a die prima Maii A. D. 1707 in unius regni corpus coalescebant, et unum Parlamentum, nempe Britannicum habebant, usque ad diem 1^{m} Jan. A. D. 1801, ex quo unum est Magnæ Britanniæ et Hiberniæ Parlamentum.

11. Leges municipales Scotorum constant: 1. ex jure com. ipsius Scotiæ, id est ex consuetudinibus, tam generalibus quam specialibus, quæ in ipsa Scotia vim obligandi acceperunt. In hac re Hiberni longe pejoris sunt conditionis, ut ex supra dictis manifestum est. Leges scriptæ Scotorum constant: 1. ex Statutis ab ipsorum Parlamento latis, antequam Anglia et Scotia in unum regnum conjunctæ sunt; 2. ex statutis ex eo tempore latis, tum ante, tum post Parlamentum Britannicum cum Hibernico conjunctum, quæ aut solam Scotiam respiciunt, aut totum imperium, nisi in aliquo statuto expresse declaretur, id ad Scotiam non spectare. Ab eo enim tempore statuta omnia Parlamenti conjuncti vim legis habent in Scotia, nisi contrarium in ipso statuto expresse decretum sit. Appellari non potest a tribunalibus aut Hibernicis aut Scoticis ad tribunalia Anglicana, sed ab eorum decisionibus pro

(*a*) Cf. Hallam, Const. Hist. of England, vol. 3. p. 404, 3rd ed.

(*b*) Liber antiquus in quo leges Scotorum scriptæ sunt, qui *Regia Majestas* appellatur eam habet similitudinem cum tractatu de legibus Angliæ a Granville conscripto ut alter ab altero desumptus esse videatur. Cf. Steph. vol. 1. p. 88, n.

re nata, et ex justa causa, ad senatum superiorem Magnæ Britanniæ et Hiberniæ appellari potest.

12. De legibus municipalibus Scotiæ ex professo tractare nobis propositum non est, et quoniam jus commune Angliæ et Hiberniæ (exceptis aliquibus quorundam locorum consuetudinibus) unum atque idem est, sufficiet jus Angliæ commune exponere. Sed ex dictis patet leges scriptas utriusque regni aliqua ex parte inter se differre; quod, ubi ad rem pertinuerit, suis locis indicabitur.

§ IV. *De legibus Anglorum non scriptis.*

13. Testatur Cæsar (*a*) Druidas Galliæ qui eorum disciplinam a Britannicis hauserunt, leges sola memoria tenuisse. Postquam Romani magnam partem Britanniæ in provinciam redegissent, sine dubio suas leges saltem magna ex parte introduxerunt. Post decessum Romanorum Saxones in Anglos dominabantur, et suas leges, quæ sola memoria tenebantur, intulerunt. Leges quæ ex his fontibus derivatæ erant, tam diversæ et discordes erant, ut Alfredus rex seculo nono eas redegisse in unum codicem sibi constantem, et in toto suo regno servandum a pluribus feratur (*b*), quamvis alii hoc negant (*c*). Codex ab Alfredo confectus, qui *Domboc*, seu Liber Judicialis appellabatur, deperditus est. Post aliquod tempunovæ leges et consuetudines a Danis qui in Anglia dominabantur invectæ sunt, et leges ab Alfredo conditæ multis in locis in desuetudinem abierunt. Sub initium seculi undecimi tria diversa genera legum et consuetudinum in diversis Angliæ partibus valebant, quas post medium ejusdem seculi in unum codicem, per totum suum regnum servandum, redegit S. Edv. Confessor. Hinc Alfredus legum Anglicanarum conditor, S. Edvardus earum restitutor, a scriptoribus Anglicis vulgo appellatur. Postea

(*a*) De Bello Gallico, l. vi. c. 13. et 14.

(*b*) Cf. Spelman, ap. Steph. vol. 1. p, 46.

(*c*) Cf. Hallam, Middle Ages, vol. 2. p. 402, 7th ed.; Turner, Hist. Anglo-Saxons, vol. 2. p. 149, 4th ed.

quotiescumque populus de tyrannide regum Normannorum ausus est conqueri, ut restituerentur leges Edvardi regis optimi etiam atque etiam postulavit. Certum est jus commune Anglorum magna ex parte ex his legibus antiquis constare; sed æque certum est insignem partem a legibus Normannorum mutuatam esse. Ex iis enim tota ratio atque modus agros aliasque possessiones tenendi [*the whole system of tenures*] derivantur; et "omnia vocabula quæ vocabula artis dicuntur, quibusque hodie in foro Angli utuntur, Gallica sunt; nihilque cum Saxonica lingua habent affine" (*a*).

14. Consuetudines ex quibus jus com. compositum est triplicis sunt generis: 1. generales ex quibus jus com. proprie constat; 2. speciales quæ non per totum regnum sed solummodo in quibusdam locis observantur; et 3. consuetudines quorundum tribunalium, quæ non consuetudines regni generales, sed consuetudines speciales et sibi ipsis proprias sequuntur.

Punctum primum.—De consuetudinibus generalibus.

15. Formulæ servandæ in causis agendis a consuetudinibus generalibus plerumque determinantur. His plerumque determinantur solemnitates servandæ in abaliendis agris aliisque possessionibus; formæ et obligationes contractuum; præscripta secundum quæ facta [*deeds*], testamenta, et statuta Parlamenti interpretanda sunt; remedia quibus damna reparari debent; et alia plurima quæ ad rectam reipublicæ administrationem pertinent. Sic v. g. quod debent esse quatuor suprema tribunalia, nempe Cancellariæ, Banci Regii, Communium Placitorum et Scaccarii [*the Exchequer*]; quod factum [*a deed*] non est ratum et firmum, nisi sit sigillo obsignatum et traditum; quod testamenta minus stricte et facta magis stricte interpretanda sunt, et multa alia, non decretis Parlamenti, sed usu et consuetudine sancita sunt.

16. Quamvis vero hæ consuetudines leges non scriptæ dicun-

(*a*) Cragius (Craig). Jus. Feud. lib. 1. s. 7. apud Steph. vol. 1. p. 46. n.

tur, attamen in monumentis authenticis nunc continentur. Ipsa enim regis tribunalia superiora acta sua in tabulas referunt, in quibus causa atque res quæ in controversiam venit, modus procedendi in actione agenda, et sententia judicis narrantur. Hæ tabulæ publicæ [*records*] in receptaculo publico in hanc rem seposito conservantur. Judicia sic tradita et servata exempla probata [*precedents*] fiunt, a quibus, postquam satis stabilita fuerint, judicibus dissentire non licet. Nulli enim judici sententiam dicere licet secundum suam privatam opinionem, sed sententias probatas sequi tenetur, et, si secus faceret, ipse leges violaret. Non sufficit ut res tanquam judicata habeatur atque fiat exemplum deinceps sequendum, ut ab uno aut altero judice decreta fuerit; si enim aliis judiciis jam confirmatis, vel legi divinæ, aut rectæ rationi contradiceret, non esset exemplum sequendum, sed judicium falsum quod evitandum foret in omnibus judiciis futuris Non raro tamen sententia dicenda est de causis quarum nulla existunt exempla; et tunc judices controversiam dirimunt secundum judicia in causis similibus prolata; vel si nulla similis causa inveniri possit, secundum æquitatem naturalem. Attamen quoniam ad judices non pertinet leges constituere, sed quid sit lex declarare, judicium in casu allato secundum consuetudinem regni quæ ex omni memoria temporum habita est, fictione juris pronuntiatum esse censetur. Judicium autem firmum et immobile fit, quando id per longum tempus sequuntur tribunalia regis, aut quando a senatu superiori confirmatum est. Senatus autem superior tum sententiam judicum tum suum proprium judicium rescindere potest, donec usu diuturno lex stabilis facta fuerit.

17. Ut consuetudo vim legis obligantis accipiat, necessarium est ut ex omni memoria ætatum extiterit. His tamen verbis in nostro jure municip. certum et determinatum tempus designatur; illud enim ex omni memoria ætatum extitisse censetur quod ante initium regni Rich. I., id est ante A. D. 1189, extitit. Manifestum autem est totam hanc doctrinam de consuetudinibus magna

ex parte in fictionibus legalibus fundari. Imprimis enim supponitur leges omnes communes sola consuetudine esse inductas. Jamvero quavis nulla monumenta nunc existunt ex quibus cognosci possit quis has leges tulerit, omnino certum est multas ex his consuetudinibus primo ad modum legis scriptæ, sive ab Alfredo, sive ab Edvardo Confessore, sive etiam a Guliel. Victore ejusque successoribus latas fuisse. Lex scripta, ut jam diximus, ab an. 9 regni Hen. III. (1225) incipit; sed absurdum esset supponere omnes leges municipales regni usque ad illud tempus solo usu et consuetudine sancitas esse. Deinde quando aliqua controversia dirimitur per novum judicium cujus nullum exemplum in præteritis temporibus inveniri potest, nonnisi mera fictione juris hoc præscriptum in lege municip. ante tempus Ric. I. extitisse reputatur. Ex immenso cumulo hujusmodi judiciorum quorum nulla antea extiterunt exempla, magna pars Juris Com. constat.

18. Volumina curialia [*the court rolls*], in quibus exempla sententiarum judicialium conservantur, nunc plerumque Magistro Rotulorum [*the Master of the Rolls*] conservanda traduntur. Ipsa regis tribunalia superiora in quorum judiciis jus com. cum auctoritate conservatur, sunt curiæ quæ acta sua in tabulas referunt [*are Courts of Record*]. Præter judiciorum monumenta quæ in tabulis publicis [*the Archives*] conservantur, summaria causarum et judiciorum majoris momenti singulis annis typis exscribuntur et in lucem eduntur, quæ conscriptiones quæstionum [*reports*] dicuntur. Indicem etiam suppeditant, quo ipsa volumina curialia facile conferri possunt. Summaria ipsa *ex se* nullam auctoritatem habent, sed solummodo quatenus ipsa monumenta genuina accurate representare cognoscuntur; et, si de hac re aliquod dubium exoritur, ipsum monumentum semper confertur. Scripta etiam quorundam jurisperitorum magni æstimantur; sed evidens est eorum sententias nullam obligationem parere posse. Attamen eorum scripta magnæ sunt utilitatis, quia præscripta juris com. accurate et composite referunt.

Punctum secundum.—De consuetudinibus specialibus quæ non per totum regnum sed in aliquibus solummodo locis observantur; et de consuetudinibus specialibus quæ in quibusdam regis tribunalibus existunt.

19. Consuetudines speciales consuetudines *per se* nominantur, ut a consuetudinibus generalibus secernantur. Sic in Cantia [*Kent*], et in quibusdam aliis Angliæ regionibus, ex consuetudine speciali quæ *Gavelkind* nominatur, non solus filius natu maximus omnes paternas agrorum possessiones consequitur, sed omnes filii ad æquales partes hereditatis succedunt. Consuetudines speciales ut Gavelkind, Borough English, &c., suis locis exponentur.

20. Consuetudines speciales quæ in quibusdam curiis observantur, ex jure canonico et civili derivantur. Tribunalia in quibus jus canonicum administratur sunt *curiæ Ecclesiasticæ*, seu *Christianitatis*, ut aliquando nominantur. De administratione juris Canonici in secta Anglicanorum ad nos non pertinet quidquam dicere, sed absurdum est affirmare has leges vim obligandi in Anglia ex usu et consuetudine accepisse. Notum est enim omnibus has leges decretis episcoporum, conciliorum, et præsertim Romanorum Pontificum latas fuisse. Jus quoque dicitur secundum consuetudines speciales in tribunalibus quæ judicant de rebus maritimis [*the Admiralty Courts*]. In his præscripta Juris Civilis servantur, non quia sancita sunt a Justiniano qui in ditione sua Angliam nunquam tenuit, sed quia usu et consuetudine ipsius regni stabilita sunt.

§ V. *De legibus municipalibus scriptis; et de statutis Parlamenti, tam publicis quam privatis.*

21. Suprema potestas in omni reipublicæ forma ea est quæ jure leges ferendi et abrogandi potitur. In regimine monarchico rex solus hanc potestatem habet; in civitate quæ ab optimatibus regitur est penes paucos viros principes; in republica

populari est penes ipsum populum. In nostra republica potestas leges ferendi pertinet ad utrumque senatum in Parlamento rite congregatum, conjunctum cum rege. Quamvis autem lex quæ ab utroque senatu sancita est vim obligandi non habet donec assensum regis accipit, revera rex hunc assensum nunc recusare non auderet (*a*). Prima lex scripta, ut jam diximus, est famosum statutum "Magna Charta" dictum, quod A. D. 1225 latum est. Ab hoc tempore innumerabilia fere statuta lata sunt. Dividuntur præcipue in *privata* et *publica;* priora nonnisi aliquam aut aliquas personas et res privatas respiciunt; posteriora, vel totam rempublicam, vel totam Angliam, vel Hiberniam, vel Scotiam, vel omnes cives ejusdem status et conditionis. Inter statuta publica et privata hoc olim intercessit discrimen, quod judices in sententiis dicendis statuta publica ex officio respicere tenebantur; sed nullum subsidium ex statutis privatis derivari potuit, nisi in causa agenda specialiter exposita fuerint [*unless they were set forth particularly in the pleadings*]. Sed nunc per 14 Vict., c. 2, s. 7, omnia statuta quæ in posterum lata fuerint habenda sunt ut publica, et eodem modo a judicibus respicienda sunt, nisi in ipso statuto contrarium expresse declaretur.

22. Leges scriptæ non semper eodem modo proferuntur. Multa vetera statuta citantur appellatione loci ubi Parlamentum quo lata sunt convocatum est, ut Statutum Westmonasteriense, Glocestriense, &c. Alia ex regno quod respiciunt, aut ex eorum objecto nominantur, ut statuta Hiberniæ, aut Scotiæ, aut *articuli cleri*, aut privilegia (*prærogativa*) regis, &c. Alia ex verbis eorum primis appellantur, sicut Statutum *Quia emptores*. Sed modus usitatissimus ea proferendi, præsertim a tempore Edv. II., sic se habet. Omnes leges quæ in eadem Parlamenti sessione sanciuntur

(*a*) Post an. A. D. 1707, quum Anna Regina assensum suum legi ab utroque Senatui lata de conquisitione militum in Scotia habenda [*the Scotch Militia Bill*], recusavit, assensus Regis nulli legi unquam denegatus est.

Lex rogata ante assensum utriusque senatus et regis datum, *Bill;* post assensum acceptum *Act*, appellatur.

unum statutum efficiunt. Hoc statutum designatur numeratis annis ex quo regnare cœpit rex quo regnante latum est. Variæ vero leges quæ in hoc statuto continentur capita appellantur, et ex ordine quo latæ sunt designantur, sic 2 Hen. VII., c. 1, significat primum caput statuti a Parlamento lati anno secundo regni Hen. VII. Quando duæ sessiones eodem anno, et eodem regno habitæ sunt, plerumque per statutum 1 et statutum 2 afferuntur, ut 1 Ann. st. 2. c. 17, s. 3; id est sectio tertia, cap. 17, statuti quod latum est in secunda sessione Parlamenti quæ in primo anno regni Annæ habita est. Ex quo exemplo patet non solum capita sed et sectiones non raro indicari. Quando eadem sessio partim in uno et partim in alio anno regni ejusdem principis habita est, ut plerumque accidit in regno Victoriæ reginæ, quæ regnare cœpit die 20 Junii, A. D. 1837, lex sic citatur : 1 et 2 Vict. c. 4, s. 3, id est sect. 3, cap. 4, statuti quod latum est in sessione Parlamenti quæ in primo et secundo anno regni Vict. habita est.

§ VI. *De divisione actionum injuriosorum in injurias privatas et publicas* [civil injuries and crimes.]

23. Ut pax domestica reipublicæ conservetur, necesse est ut ii qui ejus curam gerunt, jus suum unicuique civi vindicent, et ut eos qui scelera admiserint puniant. Actiones injuriosæ quibus tantum læduntur jura civium privatorum, injuriæ privatæ appellantur; quæ autem jura ipsius reipublicæ violant, injuriæ publicæ [*crimes*] dicuntur. Non tamen ita intelligenda est hæc distinctio, quasi violator juris civis privati non sit coram Deo veri criminis noxius. Potest quidem quis jus alterius *materialiter*, ut dicunt, violare sine peccato, quando v. g. rem alienam detinet, hanc esse suam bona fide existimans. Sed nemo potest jus alterius *formaliter*, et scienter, sine peccato violare. Sic qui debitum suum solvere recusat, sine justa causa, gravis peccati noxius est; sed lex municip. hunc actum, ut injuriam non publicam sed privatam respicit, et proinde injustum debito-

rem non punit, sed debitum suum solvere, et damna quæ passus est creditor compensare cogit. Non raro eodem actu jura tum privata tum publica gravissime violantur. Sic homicidium est gravissima violatio juris hominis privati qui injuste necatur, et simul est scelus nefarium contra bonum publicum et pacem reipublicæ, quia regnum in quo talia scelera impune patrari permitterentur stare nequiret.

24. Injuria privata sic definiri possit: *Est actio qua violatur jus civis privati, quà præcise ipsi nocivà est spectata; vel etiam jus ipsius communitatis in circumstantiis in quibus tanquam individuus et privatus se gerit* (*a*). *Injuria vero publica est actio qua violatur jus publicum, hoc sub respectu spectatum, aut etiam jus alicujus civis privati, in quantum talis actio toti communitati, ejusque paci et ordini nociva est.* Pauca sufficient ad has definitiones exponendas. Quidam enim actus injusti et privatis valde nocivi in jure municip. solummodo ut injuriæ privatæ respiciuntur, ut patet ex exemplo supra allato de eo qui debitum suum injuste solvere recusat: alii vero, quamvis per se et proxime nonnisi jura privatorum lædunt, attamen, quia bonum societatis exigit ut talia facinora puniantur, ut facinora etiam publica respiciuntur. Talia sunt facinora furti, aut libelli ad infamiam alicujus editi. Actiones hujusmodi sunt injuriæ tum publicæ tum privatæ; sunt privatæ, si respiciantur ex parte individui qui damnum passus est; publicæ, si respiciantur ex parte communitatis cujus pacem perturbant: et proinde civis privatus actionem privatam furi aut libelli auctori intendere potest ad damni privati compensationem obtinendam, et respublica, aut alius cui hanc facultatem concedit, actionem publicam ei intendere potest propter eundem actum, eo sub respectu spectatum quo bono publico nocivus est. Sed sicut quidam actus injusti, ut injuriæ solummodo privatæ respiciuntur; ita quædam sunt facinora adeo nefanda, ut eorum patratoribus nonnisi actio publica intendi poterit. Talia

(*a*) Cf. infra Disp. vi. n. 87.

sunt facinora perduellionis, et homicidii dedita opera patrati; quia qui horum convictus fuerit capitis pœnam incurrit, et omnibus bonis et catallis absolute, et omnibus possessionibus immobilibus saltem in vitam suam, multatur (*a*). Alia etiam sunt facinora quæ, quamvis jura civium privatorum proxime lædunt, adeo tamen exitiosa sunt bono publico, ut eorum patratoribus actio privata vix unquam intendatur. Talia sunt facinora homicidii injusti et involuntarii, sed non dedita opera patrati [*manslaughter*], latrocinii, raptus, suicidii, furti, et in universum omnia scelera quæ in jure municip. nomine "feloniæ" designantur. Ratio est quia actio privata ei qui feloniæ reus sit intendi nequit, nisi postquam in actione publica convictus fuerit, et ad debitam pœnam subeundam damnatus. Quum vero quis criminis feloniæ damnatus fuerit, in multam omnium bonorum suorum mobilium incidit, et ideo quoniam vix unquam ulla alia bona possideat, omnino inutile esset actionem privatam ad damnorum reparationem obtinendam ei intendere. Sed sive actio privata ei qui alium injuste læserit intendi posset necne, is qui injuriam intulerit tenetur coram Deo et in conscientia damnum temporale reparare, si possit, etiamsi in actione publica convictus et ad debitam pœnam subeundam damnatus fuerit. Hæc enim pœna est reparatio quæ debetur reipublicæ ob bonum commune, non autem reparatio damnorum quæ cives privati passi sint (*b*).

25. Sicut autem quædam flagitia quæ proxime jura privatorum lædunt, aut omnino aut primario ut scelera tantum publica a jure municip. respiciuntur, ita quidam sunt actus injusti, qui jura communitatis proxime lædunt, qui tamen nonnisi inter injurias privatas reputantur. Communitas enim, ut infra (*c*) ostendemus, se gerere possit ut persona privata, ut quando rex, aut alius qui vice reipublicæ fungitur, ejus nomine contrahit cum cive privato, de commeatu, aut aliis rebus in usus publicos

(*a*) Cf. infra nn. 5 587, et seq.

(*b*) Cf. infra n. 590, ubi hac materia exponitur.

(*c*) Cf. Disp. vi. §. 2. n. 87.

supplendis. In hoc casu si civis contractum non impleat, ob *hoc solum* actio publica ei intendi nequeat, sed solummodo privata, qua damna in rempublicam illata reparare cogetur. Tempore quidem belli, aut in aliis circumstantiis extraordinariis, posset hujusmodi actio rationem sceleris contra bonum publicum reipublicæ induere, et tunc actio publica auctori hujus damni intendi poterit. Ei qui alium injuste læserit in corpore (excepto casu homicidii dedita opera patrati), aut ejus libertatem injuste invaserit, actio tum publica tum privata intendi poterit. Actio solummodo privata ei intendi potest qui alterius famam verbis tantum denigraverit; si vero eum scriptis diffamaverit, actio etiam publica ei intendi poterit. Qui vero possessiones aut bona alterius injuste invadit, vel reus est tantum injuriæ privatæ, ut si agros, aut bona alterius, injuste, tempore constituto, domino reddere recuset; vel reus est injuriæ publicæ, ut si dominum injuste percusserit, aut si in bonis auferendis furti aut levioris delicti noxium se constituerit. In priori casu actio privata, in posteriori etiam publica, modo exposito, ei intendi poterit.

§ VII. *De divisione injuriarum publicarum* [of crimes] *in feloniam, et leviora delicta* [misdemeanors].

26. Non concordant jurisperiti de origine vocabuli Feloniæ; sed secundum probabiliorem explicationem derivatur a verbis Teutonicis, *fee*, feudum seu beneficium, et *lon*, pretium, et ideo pretium significat feudi, seu crimen propter quod quis agris multatur. Quamvis vero ab initio felonia complectebatur nonnisi ea facinora ob quæ quis agris multatur, paulatim, tamen, ea etiam scelera significabat, ob quæ multa solummodo bonorum mobilium imponatur. Felonia prout nunc accipitur, definiri potest: *Scelus propter quod is qui regulariter convictus fuerit, agris suis aut omnino, aut aliqua ex parte, et omnibus bonis mobilibus, aut saltem his ultimis, semper multatur, et etiam ad pœnam aliquam duriorem, aut capitis, aut captivitatis longioris, aut servitutis pœnalis damnatur.* Quamvis is qui feloniæ *convictus* fuerit omnibus bonis suis mobilibus mul-

tatur, non tamen multam bonorum immobilum incurrit, donec sententia aut capitis aut *proscriptionis* contra eum lata fuerit. Ea itaque omnia et sola crimina feloniæ sunt, quorum patratores post *convictionem ipso facto* omnibus bonis mobilibus multantur, quamvis propter quædam atrociora facinora etiam ex agris excidunt (*a*) ut infra exponetur (*b*).

27. Leviora delicta sunt injuriæ publicæ propter quæ eorum patratores *per convictionem* eorum bonis etiam mobilibus non multantur, quamvis multæ et captivitati [*incarceration*] aut servituti pœnali breviori damnari possunt, et aut uno aut altero ex his modis, habita ratione sceleris, puniri debent. Jure com. non potest actio publica alicui intendi aut propter feloniam aut etiam propter levius delictum, nisi jurati majores accusatori delationem dederint [*unless by indictment preferred by the grand jury*]; aut per delationem sceleris coram judice ad causas publicas cognoscendas constituto [*by criminal information*]. Attamen variis statutis potestas magistratibus ipsis, sine ullis juratis [*jury*] conceditur, causas quasdam publicas breviter [*summarily*] cognoscendi et dirimendi, et eos qui coram illis convicti fuerint multa et etiam captivitate puniendi. Sed quamvis crimen cujus quis convictus fuerit hoc modo sit felonia, attamen talis condemnatio non sufficit ut is qui convictus fuerit bonis multetur. Aliqua delicta levia quorum patratores a magistratu (causa breviter cognita) nonnisi multa parva puniri possent, ut ebrietas publica, a jure municip., non ut scelera [*crimes*] sed ut *offensæ* reputantur. Sola causa publica quæ ex præscripto juris com. breviter cognosci possit est contemptus ipsius curiæ, quæ eum qui hoc crimen commiserit, breviter et formis consuetis prætermissis, multa et captivitate punire possit.

(*a*) Cf. infra n. 588. et 590. (*b*) Loc. cit.

§ VIII. *De tribunalibus regis quæ juris communis tribunalia* [Common Law Courts] *appellantur.*

28. Tribunal regium [*a court of justice*] est locus in quo justitia secundum præscripta juris administratur. Hæc tribunalia duplicis sunt generis, quædam enim acta sua in tabulas referunt [*are courts of record*]; alia acta sua non ita referunt [*are courts not of record*]. In tribunalibus prioris generis acta et processus judiciales in membrana scribuntur, et sic rerum quæ in illis peraguntur testimonium conservatur, cujus auctoritas in dubium vocari non possit. Omnia hujusmodi tribunalia jus habent eos multa et captivitate puniendi, quicumque eorum auctoritatem contemnere ausi fuerint. Tribunalia vero quæ acta sua in tabulas non referunt, ex eorum propria constitutione tali potestate non potiuntur, et disceptationes de eorum actis non ex suarum literarum monumentis, sed aliis testimoniis dirimi necesse est.

Punctum primum—De tribunali Communium Placitorum.

29. In antiquissimis temporibus in Anglia concilium generale regni quod lingua Saxonica *wittenagemote* dicebatur, convocatum est semel aut sæpius in anno, eo in loco ubi rex festum Nativitatis Domini, aut Paschatis, aut Pentecostes, celebrabat, in quo non solum de publicis regni negotiis agebatur, sed etiam justitia inter cives, coram, et non raro, ab ipso rege administrabatur. Post victoriam Normannorum Guliel. I. auctoritatem hujus concilii judicialem ab ejus auctoritate deliberativa segregavit, constituitque tribunal justitiæ permanens, in quo potestas judicialis jugiter exerceretur in propria sua aula, unde "Aula Regis" dicta est. In hac aula, absente rege, præsidebat judex supremus totius Angliæ (*the Chief Justiciar*], et sub eo Cancellarius, ii qui muneribus regni maximis præpositi erant, magni Barones Parlamenti, et quidam jurisperiti, qui judices regii [*royal justiciars*] appellabantur. Quoniam hoc concilium haberi non potuit nisi in aula regis, non semper in

eodem loco, sed in diversis et dissitis regni partibus habitum est. Hoc valde onerosum erat populo, qui eorum causas in longinquis locis agere cogebantur. Itaque per cap. xi. Magnæ Chartæ statutum est, ut: "Communia Placita non sequantur curiam regis, sed teneantur in aliquo loco certo." Locus certus in aula Westmonasteriensi, ubi ipsa aula regia erat, dum rex in ea urbe habitare, stabilitus est. Judex supremus et judices inferiores constituti sunt, qui omnes causas privatas circa agros aut injurias privatas inter ipsos cives, non autem inter cives et regem, occurrentes, cognoscerent et dirimerent. Tribunali seu Curiæ Communium Placitorum, nunc præsident unus judex supremus et quatuor judices inferiores [*one Chief Justice of Common Pleas, and four puisne judges*]. Nullam habent jurisdictionem in causis publicis [*criminal jurisdiction*], neque etiam in causis privatis [*civil causes*] vectigalia aut reditus publicos spectantibus. Hoc tribunal sibi soli vindicabat jurisdictionem circa actiones *reales* (quæ olim maximi erant momenti) et circa actiones fictas quæ *fines* et *recuperationes* [*fines and recoveries*] appellabantur (*a*), quibus status talliati [*estates tail*] a tallio [*the entail*] liberari potuerint (*b*). Adhuc sibi soli vindicat jurisdictionem circa eas actiones *reales* quæ abrogatæ non sunt, quæ in locum finium et recuperationum substitutæ sunt (*c*). Hoc tribunal acta sua in tabulas refert. In Hibernia sedem habet fixam Dublinii, eique unus judex supremus et tres inferiores præsident.

Punctum secundum.—De tribunali Scaccarii [of the Court of Exchequer].

30. Constituto tamen tribunali Com. Placit., adhuc omnes causæ quæ ejus jurisdictioni non subjiciebantur, in aula regis cognoscebantur, et ad hoc tribunal etiam a sententiis judicum Com. Placit. appellatum est. Circa finem vero seculi xiii. in regno

(*a*) Cf. infra n. 297. (*b*) Cf. infra n. 293.
(*c*) Cf. infra n. 57. in Procem.

Edv. I. potestas causas cognoscendi, a potestate leges exequendi omnino segregata est. Posteriorem retinuit rex, priorem inter diversa tribunalia distributa est. Tribunalia inter quæ potestas causas omnes tum privatas tum publicas cognoscendi et dirimendi distributa est, erant Scaccarium, Curiæ Equitatus [*of chivalry*], Domus Regis [*of the royal household*], Cancellariæ, Banci Regis [*King's Bench*], et Parlamenti, quod tunc ex solo senatu superiori constabat. Sed de Curiis Equitatus et Domus Regis necessarium non est aliquid dicere, quia pridem abrogatæ sunt. De ceteris breviter agemus. Scaccarium sibi vindicat jurisdictionem circa vectigalia et reditus publicos, et ab initio in hujusmodi causis fere solis versabatur. Nomen Scaccarii accepit hoc tribunal a panno tesselato tabulæ latruncularie simili, quo tabula quædam hujus tribunalis consternebatur. Super hanc tabulam quando quædam rationes regis computabantur, varia capita calculis designabantur. Progressu temporis, et ab initio usurpatione, hoc tribunal jus sibi vindicavit causas privatas inter ipsos cives cognoscendi et dirimendi ope mandati [*a writ*] *quo minus* dicti, in quo fingebatur accusatorem debitorem fuisse principis. Quamvis hæc allegatio erat omnino falsa et ficta, attamen ejus ope integrum erat accusatori actionem reo in Scaccario intendere. Tam inveterata in nostro jure municip. erat consuetudo ad fictiones legales confugiendi, etiam sine ulla rationabili causa, ut Scaccarium causas privatas inter cives, nonnisi ope hujus fictionis cognoscebat usque ad regnum Guliel. IV., quo tempore mandatum *quo minus* abrogatum est, et jurisdictio directa ad causas privatas inter cives cognoscendas et dirimendas huic tribunali concessa. Scaccarium olim erat tribunal non solum Juris Com. sed etiam Æquitatis, sed ejus jurisdictio ut tribunal Æquitatis per 2 Guliel. IV., c. 39, ad Curiam Cancellariæ translata est. Scaccarium nunc est tribunal quo jura regis ad vectigalia et ad reditus publicos vindicantur [*a Court of Revenue*]; et Juris Com. quo causæ privatæ inter cives cognoscuntur et dirimuntur. Hoc tribunal acta sua in tabulas refert. In eo præsident unus

Summus Baro et quatuor inferiores in Anglia, et unus Summus Baro et tres inferiores in Hibernia. Judices hujus tribunalis, ut fertur, Barones appellantur, quia in initio ad ordinem senatorium pertinebant, et ideo erant Barones Parlamenti. Hoc tribunal nulla potitur juridictione circa causas publicas.

Punctum tertium.—De tribunali Banci Regis [King's (Queen's) Bench].

31. Quando dissolutum est tribunal Aulæ Regis, Bancus Regius sibi vindicabat eam omnem jurisdictionem quam Barones Parlamenti sibimetipsis non reservaverunt, aut quæ inter alia tribunalia partita non est. Quamvis hoc tribunal perdiu fixas sedes habeat Westmonasterii pro Anglia, et Dublinii pro Hibernia, attamen adhuc, si ipse hoc exigat, regem ubicumque in regno fuerit sequi tenetur, et causæ in eo cognosci dicuntur *coram ipso rege*, et omnia ejus mandata nomine regis dantur, et "*ubicumque nos* (*rex*) *fuerimus*, reddi jubentur." Est tribunal supremum totius regni ad causas publicas cognoscendas et audiendas. Huic tribunali pertinet omnia tribunalia inferiora quæ ad causas publicas cognoscendas constituta sunt, intra fines eorum propriæ auctoritatis coarctare; et ex justa causa potest ea restringere ne ad causæ cognitionem procedant, aut sententiam pronuncient, aut etiam totam causam, sive ante sive post sententiam prolatam, ad seipsum revocare; nisi tamen per rescriptum de errore corrigendo ad tribunal ad appellationes in causis publicis admittendas constitutum, appellatum fuerit. Quamvis, autem, causæ in hoc tribunali coram ipso rege cognosci finguntur, et quamvis Jacobus I. in eo præsedisse fertur, attamen rex jus non habet ullam causam per se cognoscendi, sed solummodo per suos judices quos ad tales causas cognoscendas constituerit.

32. Bancus Regius omnes causas etiam privatas inter cives cognoscere et dirimere potest, paucis supra memoratis exceptis, quæ a Com. Placit. exclusive vindicantur. Hæc jurisdictio in causis privatis, ab initio usurpata, fictione nixa est usque ad reg-

num Guliel. IV. Hoc tribunal in duas partes dividitur; una in qua causæ publicæ cognosuntur, quæ, quia hujusmodi causæ nomine regis intenduntur, Pars Regis [*the Crown side*] appellatur; altera in qua causæ privatæ cognoscuntur, quæ ideo Pars Civilis [*the Civil or Plea side*] dicitur. Acta sua in tabulas refert. In eo præsident unus supremus et quatuor inferiores judices in Anglia; et unus supremus et tres inferiores in Hibernia.

33. Tria tribunalia prædicta tribunalia suprema Juris Com. appellantur, vel conjunctim cum tribunalibus Cancellariæ, simpliciter tribunalia suprema. Sessiones judicum horum tribunalium in propriis eorum tribunalibus, Westmonasterii et Dublinii, sessiones in consessu [*in Banc*] appellantur. In his sessionibus, quæ quater in singulis annis habentur, nonnisi quæstiones legales dirimuntur. Quatuor tempora legalia [*law terms*] in quibus fere solis sessiones in *Banco* habentur, sunt: 1. *Terminus* S. Hilarii [*Hilary Term*], qui incipit die 11 et desinit die 31 Januarii; 2. Terminus Paschæ [*Easter Term*], qui incipit die 15 Aprilis, et desinit die 8 Maii; 3. Terminus SS. Trinitatis [*Trinity Term*], qui incipit die 22 Maii, et desinit die 12 Junii; et 4. Terminus S. Michælis [*Michaelmas Term*], qui incipit die 2 et desinit die 25 Novembris. Attamen excepto intervallo a die 10 Augusti usque ad diem 24 Octobris, judices in Banco sedere possunt. Post singulos terminos legales habentur sessiones coram summis aut aliis judicibus tribunalium superiorum Juris Com. In sessionibus in Banco omnes judices eorum proprio tribunali præsident; omnes judices v. g. Banci Regis simul ei præsident, ad quæstiones solummodo juris dirimendas, et idem de aliis tribunalibus dicendum est. In sessionibus vero post Terminos finitos nonnisi unus judex singulis tribunalibus præsidet, et coram se convocat juratos [*a jury*] ad quæstiones facti dirimendas, quæ se offerebant in variis causis privatis quæ coram judicibus dum in Banco sedebant agebantur. Quoniam hæ sessiones habentur post Terminum, *after sittings* appellantur. Aliquando dicuntur *Ses-*

sions at Nisi Prius, quia olim in Terminis legalibus Paschæ aut S. Michaelis, dies statutus est in quo jurati Westmonasterium aut Dublinium, convocari debent ex eo comitatu in quo causa actionis orta est ad quæstionem facti dirimendam; hac tamen conditione, *nisi prius* judex ad conventum agendum [*to hold the assizes*] in ipsum comitatum venerit.

34. Judices curiarum sup. Juris Com. etiam præsident in conventibus qui saltem bis in singulis annis, in omnibus comitatibus aguntur [*at the assizes*]. Attamen illa jurisdictione vi cujus præsident in his comitiis non potiuntur, *qua judices,* sed ex mandato quod ipsis simul cum quibusdam aliis, ut servientibus ad legem [*sergeants-at-law*], et jurisconsultis regis [*King's (Queen's) Counsel*] ad conventus agendos dirigitur. Simul cum mandato datur rescriptum "si non omnes" dictum, vi cujus præcipitur ut si non omnes adsint duo aliqui ex illis, *quorum* unus erit aut judex, aut jurisconsultus, qui vice judicis deputatur, comitia in loco constituto habere possent. Revera a duobus ex iis, qui *inter quorum* nominantur, comitia provincialia in locis constitutis habentur.

Alia plura sunt tribunalia in quibus justitia secundum præscripta juris com. administratur, et quæ etiam aliquali jurisdictione *æquitabili* potiuntur, sed ad nostrum præsens propositum necessarium non est de iis disputare. Præcipua tribunalia quæ ad causas privatas minoris momenti dirimendas constituta sunt, novi sunt comitatus tribunalia (*County Courts*] in Anglia; et trimestria magistratuum comitia [*Quarter Sessions*] in Hibernia, in quibus præsidet jurisperitus [*chairman*] qui est solus judex in causis privatis.

§ IX. *De tribunalibus Æquitatis.*

35. Cancellarius triplici gaudet jurisdictione, nempe: 1. personali; 2. judicis tribunalis ordinarii Cancellariæ; et 3. judicis tribunalis extraordinarii. Cancellarius non creatur sicut judices tribunalium Juris Com. per diploma regium, seu ut verbis jurisperitorum utamur per *regis literas patentes* [*by the King's letters patent*], sed simplici traditione magni sigilli regis, eique ejus custodia confiditur.

Ipsi pertinet omnia præcepta [*writs*], beneficia [*grants*], et literas quæ sigillo magno regis signari debent, examinare, et diplomata regis rescindere seu cancellare quando aut illegaliter conceduntur, aut fraude obtinentur. Ipsi sub principe pertinet omnes magistratus per totum regnum cujus Cancellarius est constituere; et quoniam olim semper erat clericus, et fere semper episcopus, in sacello regis præsidebat, ejus conscientiæ custos erat, jure patronatus gaudebat circa omnia beneficia ecclesiastica regia, quorum singulorum reditus 20 lbb. quotannis non excedebat, et erat inspector [*visitor*] omnium nosocomiorum et collegiorum quæ a rege instituta sunt. His fere omnibus muneribus adhuc præficitur Cancellarius in Anglia, et custos est conscientiæ regis, et inspector nosocomiorum, &c., in Hibernia. Adhuc etiam jure patronatus in secta Anglicana potitur Cancellarius Angliæ, non autem in Hibernia, ubi ut infra (*a*) dicemus Ecclesia Anglicana a lege constituta non amplius existit. Cancellarius ex officio ad concilium regis interius pertinet, et quando dignitate proceris senatus Parlamenti superioris potitur omnibus proceribus laicis antecellit, exceptis filiis, nepotibus, fratribus, avunculis regis, et fratrum aut sororum ejus filiis, et omnibus proceribus ecclesiasticis, excepto Archiepiscopo Cantuariensi, in secta Anglicanorum. Cancellarius etiam Angliæ ex officio neque inter proceres senatus Parlamenti superioris numeratur, neque jure in eo senatu præsidendi potitur. Rex jure quemcumque præsidem senatus superioris eligit, sed revera semper eligit Cancellarium Angliæ, qui etiam dignitate proceris senatus superioris semper ornatur. Si autem ad hanc dignitatem non eveheretur, quamvis in senatu superiori præsidere posset, attamen jus sententiam dicendi non haberet.

36. Curia Cancellariæ, cujus nomen a Cancellario derivatur, duo habet tribunalia, unum ordinarium juris com. quod acta sua in tabulas refert; alterum extraordinarium, quod est supremum tribunal æquitatis, sed acta sua in tabulas non refert. Hoc sine

(*a*) n. 441.

dubio satis mirum videtur, sed nullum tribunal eo privilegio gaudet, nisi ex consuetudine omni hominum memoria antiquiore, aut ex statuto Parlamenti. Tribunal, vero, extraordinarium Cancellariæ neque ex consuetudine neque ex statuto Parlamenti, jure acta sua in tabulas referendi potitur.

37. Tribunal ordinarium juris com. Cancellariæ viguit diu ante tribunal extraordinarium æquitatis. Jurisdictio tribunalis ordinarii præcipue versatur circa causarum cognitionem quæ intenduntur ad diplomata regia [*letters patent*] abroganda et cancellanda, quia aut contra præscripta legis aut ex falsis rationibus et allegationibus concessa fuisse perhibentur. Ad hoc etiam tribunal causam per literas deferri necesse est, quando aliquis civis conqueritur regem injuste persuasum fuisse officium in aliquem conferre, aut agrorum aut bonorum possessionem contra jura subditi accipere. Quoniam, enim, axioma legis est, *regem nullam injuriam scienter committere posse*, pro certo habetur regem, cognita injuria, paratum esse eam statim reparare, per Cancellarium cui suæ conscientiæ custodia confiditur. In tribunali ordinario Cancellariæ servatur *officina justitiæ* unde omnia præcepta originalia quæ sigillo magno muniuntur [*all writs that pass under the great seal*] (*a*), omnes commissiones circa pecuniam quæ in usus pios impendi debet; et circa fatuos, et mente captos, emittuntur. Hæc officina semper patet subditis regni, et singuli cives jus habent ex *debito justitiæ*, ut mandata [*writs*] quæ ex justis causis postulant, iis non denegentur. Mandata quæ ad subditos attinebant custodiebantur in corbe quæ a jurisperitis antiquis sermone incompto *hanaperium* appellata est, dum ea quæ ad regem attinebant, in sacculo qui ab iisdem jurisperitis *parva baga* dicta est, servabantur, unde officina justitiæ in *Hanaper Office*, et *Petty Bag Office* divisa est.

(*a*) Per 12 et 13 Vict. c. 100, sigillum novum quod appellari jubetur sigillum Juris Com. Cancellariæ [*the Chancery Common Law Seal*] confici jussus est, et præcepta, paucis exceptis, quæ olim sigillo magno in officina justitiæ signata sunt, in posterium sigillo Juris Com. Cancellariæ consignari jubentur.

38. Adeo rudis erat constitutio tribunalium juris com. in antiquis temporibus, ut in singulis causis auctoritas a rege obtineri deberet ad eam cognoscendam (*a*). In mandatis regis quibus hæc potestas judicibus concessa est, quædam antiquæ formulæ servabantur; et judices adeo contracti et pusilli erant animi, ut ad meram literam adhærentes non raro causam cognoscere omnino recusarent, et etiam quando causam cognoscebant non semper vindicabant justitiam, sed injustitiam sanctione legali firmabant (*b*). Solum remedium his malis erat appellatio ad regem, qui cum concilio suo interiori quum injustitia erat manifesta sententiam tribunalium reformabat; sed in causis dubiis litis resolutio primo Cancellario et aliis viris doctis, postea vero solo Cancellario deferebatur. Sed a longo tempore tribunal extraordinarium Cancellariæ in duobus negotiis præcipue versabatur; nempe, 1. in medendis defectibus formularum judicialium, ob quarum ineptias, judices causam manifesto justam cognoscere recusabant; et 2. in moderandis sententiis duris et etiam injustis, quæ ex nimis rigida et illiberali interpretatione præscriptorum juris com. sæpe dictæ sunt. Quamvis Cancellarii eorum sententias primo secundum rectitudinem naturalem et bonam conscientiam pronunciabant, non tamen potuerunt leges stabilitas abrogare quantumvis bono publico noxiæ ipsis videbantur. Hoc enim esset abusus intolerabilis, omnes possessiones incertas redderet, et everteret ipsa instituta prima reipublicæ quibus statuitur, *ipsum regem non ad arbitrium suum sed secundum leges regere teneri.* Æquitas ergo non solum leges et consuetudines regni justas et rationabiles evertere non potest; v. g. valida reddere testamenta, aut pacta sine solemnitatibus essentialibus confecta; sed neque etiam leges et consuetudines certas et stabilitas abrogare, quantumvis justitiæ naturali repugnent. Hinc tribunal æquitatis constringere non potuit eum qui statum

(*a*) Cf. Stephen. vol. 3. p. 419.

(*b*) Id. ibid. et p. 425. et vol. 1. p. 82.

in feudo simplici (*a*) per testamentum accepisset, debita etiam specialiter munita prioris domini solvere; neque ullum heredem aut legatarium status immobilis (*b*) solvere debita specialiter non munita prioris domini (*c*). Unde hæc præscripta prævalebant usque ad regem Guliel. IV., quando tandem statuto Parlamenti abrogata sunt (*d*). Leges itaque stabilitæ quantumvis alienæ a prudentia civili *directe* abrogari non possunt nisi per statuta Parlamenti. Sed Cancellarii bono communi valde profuere leges emendando, fidei-commissa (*e*) aliaque præscripta justa et convenientissima inter consuetudines regni stabiliendo, et ipsas leges regni large liberaliterque interpretando. Circa præcepta etiam quibus judicibus concessa est facultas ad causas cognoscendas, Cancellaria novam accepit jurisdictionem ex Statuto Westmonasteriensi secundo (13 Edv. I. c. 24, A. D. 1285) vi cujus, quamvis nullum exemplum mandati quod petitum est ut aliqua causa cognosceretur inveniri posset; attamen si inventum esset in Cancellaria aliquod exemplum in quo causa, jus, et remedium ejusdem forent generis, clerici Cancellariæ, si convenirent, novum mandatum formare possent. Si vero non convenirent, novum exemplum pro causis similibus, de consensu jurisperitorum in proximo Parlamento confici mandatum est, "ne curia domini regis in exequenda justitia, gratiæ captoribus [*to suitors*] deficeret." His modis tribunal extraordinarium Cancellariæ magnum levamen litigantibus præbuit, et inde totum corpus regularum et institutorum quæ in hoc tribunali viguerunt nomen *æquitatis* accepit (*f*).

(*a*) Cf. inf. nn. 289, 290. (*b*) Cf. infra nn. 254. 255.

(*c*) Cf. infra nn. 301, 302. (*d*) Cf. ibid.

(*e*) De fidei-commissis cf. infra, disp. 22. § 1. n. 393, seq.

(*f*) Johannes Salisburiensis qui obiit anno 26 regni Hen. II., A. D. 1182, sic loquitur de officio Cancellarii in versibus in prima fronte sui libri Polycraticon inscripti præpositis:

Hic est qui leges regni cancellat iniquas,
Et mandata pii principis æqua facit.

39. Distinctio inter legem et æquitatem apprime nota erat Romanis (*a*), et apud omnes excultas gentes servatur; sed in nullo alio regno præter Angliam ex quo usus in Hiberniam et in quasdam ex provinciis fœderatis Americæ septentrionalis [non autem in Scotiam] invectus est, viget mos *solam legem* administrandi in uno tribunali, et *solam æquitatem* in alio prorsus diverso. Unde quando agri abalienantur Caio ad usum et commodum Julii, tribunalia juris com. Caium ut solum verum dominum agrorum respicient, eosque ei sine ullo onere vindicabunt; sed tribunalia æquitatis Caium ut merum fiduciarium Julii habebunt, eumque cogent omne emolumentum et commodum quod ex agris percipit Julio tradere. Unde unum tribunal statum [*the estate*] (*b*) Caio absolute tradet, alterum Julio. Hic modus administrandi legem et æquitatem, et in se incongruus est, et incognitus aliis gentibus sive antiquis sive novis, quia eidem tribunali semper concessa est potestas legem per æquitatem moderandi (*c*) Quoniam, vero, in jure nostro quis titulum legalem adeo evidentem ad aliquem statum habere potest, ut judex tribunalis juris com. hunc statum ei sine argumento vindicabit; dum ejus adversarius eadem facilitate eundem statum in tribunali æquitatis recuperabit; mirari quis possit quomodo controversia diri-

(*a*) Cf. infra n. 393.

(*b*) Quid intelligatur per statum [*an estate*] infra n. 283 exponitur.

(*c*) "This distinction," ait Steph., vol. 3, p. 418, "between law and equity, *as administered in different courts*, is not at present known, nor seems ever to have been known in any other country, at any time." "It is peculiar," ait Lord St. Leonards, Handy Book of Real Property, s. 2, p. 3, 7th ed., "to the constitution of this country, *that the law on the same case is frequently administered differently by different courts, and that not from any contrary exposition of the same rules.* It must sound oddly to a foreigner, *that on one side of Westminster Hall a man shall recover an estate without argument on account of the clearness of his title, and that on the other side of the Hall his adversary shall, with equal facility, recover back the estate.* In all other countries, if we except America, the law is tempered with equity, and the same grounds rule the same case in all courts of justice."

menda sit? At respondendum est tribunal Cancellariæ in iis causis quarum cognitio sibi competit, jus supremum in tribunalia juris com. et in corum sententias semper sibi vindicasse. Huic tamen juri tribunalia juris com· non semper pacifice submiserunt; et etiam seculo xvii., celebris Edvardus Coke eques, tunc judex supremus Banci Regii negavit tribunal Cancellariæ posse ullum præsidium præberc, aut contra aut post sententiam tribunalis juris com.; quamvis sententiam, quæ eo in casu labefactata est, fraude maxima obtentam esse ab omnibus agnitum est. Judex tamen Banci Regii obedire mandato Cancellariæ coactus est, et ejus perversus modus agendi in hoc casu una erat ex rationibus propter quas a sede judiciali postea dejectus est. In causis itaque quæ ad jurisdictionem æquitatis pertinent, inter quas fere omnes quæ possessiones respiciunt numerantur, sententia æquitatis est suprema, cui obedire tenentur judices tribunalium juris com. Itaque is cui status jure æquitatis pertinet verus est ejus dominus, et eo per sententiam nullius juris com. tribunalis privari potest.

40. In temporibus perantiquis non solum Cancellarii sed et alii judices ex clericis delecti erant, quia laicis non solum doctrina sacra se et scientiis humanis et præsertim jurisprudentia etiam civili magnopere excellebant (*a*). Legum magistri erant in monasteriis et in academiis [*universities*], et in scholis; et adeo universalis inter eos erat hæc disciplina, ut paulo post victoriam Normannorum de iis testetur Gulielmus Malsburiensis (*b*): *Nullum esse clericum nisi causidicum.* Ex ordinibus clericorum superioribus plerumque delecti erant judices, ex inferioribus ii qui muneribus minoris momenti in tribunalibus functi sunt, unde corum successores in

(*a*) Cf. Steph. vol. i. p. 11, ubi probat eundum morem in Normandia viguisse: Les juges sont sages personnes et autentiques—siccomme les archevesques, evesques, les chanoines des eglises cathedralx, et les aultres personnes qui ont dignitez en saincte eglise; les abbez, les prieurs conventualx, et les gouverneurs des eglises, &c. Grand Coustumier, ch. 9.

(*b*) Ap. eund. ibid.

his officiis hodie clerici [*clerks*] appellantur. Ante victoriam Normannorum episcopus non tantum erat judex in omnibus causis ecclesiasticis sed insuper tribunali civili comitatus simul cum *vice-comite* [*the sheriff*], ad causas laicorum dirimendas præsidebat. Post victoriam, tribunalia ecclesiastica a civilibus segregata sunt, sed plures ex judicibus tribunalium civilium erant clerici, et ii fere soli in omnibus tribunalibus causas agebant. Seculo xii. clerici summa assiduitatæ disciplinæ legis civilis se devoverunt. Hoc vero proceribus regni laicis magnopere displicebat, et ideo Stephanus rex ante medium ejusdem seculi edictum edidit, quo studium legum nuper ab Italia introductarum vetitum est (*a*). Sed hoc eorum ardorem nullomodo compescuit. Seculo vero proximo regnante Hen. III., clerici constitutionibus ecclesiasticis vetiti erant causas, nisi aut proprias aut miserabilium, in tribunalibus laicis agere (*b*); et non multo post etiam officium judicis in curiis laicis abjecerunt; quia judices coacti erant jurare se justitiam administraturos secundum leges antiquas et consuetudines regni (*c*). Hoc jusjurandum præstare non potuerant salva conscientia, quoniam hæ leges et consuetudines, non immerito, iis in multis a vera justitia aberrare videbantur (*d*). Officium tamen tum personale tum judiciale Cancellarii retinuerunt clerici, et hi soli huic tribunali per multa secula præsidebant.

41. Hoc felix faustumque erat pro legibus et institutis totius regni. Si enim laici huic tribunali præsedissent, sine dubio

(*a*) Roger Bacon, ap. Steph. vol. 1. p. 12. n. *t*.

(*b*) Wilkins' Concilia Magnæ Britanniæ et Hiberniæ, tom. 1. pp. 574. et 586.

(*c*) Selden in Fletam, 9. 3. ap. Steph. vol. 1. p. 14. n. *c*.

(*d*) Sic de his legibus loquitur ipse Steph.: "The ancient structure of our national jurisprudence (whatever might be its merits in other particulars) was singularly defective in compass and enlargement of view. It took no account of several subjects for which it is *the duty of civilized judicature to provide;* and to others it applied maxims too strict and unbending *to satisfy the notions of justice in an advanced state of society*. Its judicial remedies were also in some cases of a cumbrous and inconvenient character." Vol. 1. p. 82.

sententiis arctis et injustis judicum juris com. adhæsissent (*a*). Clerici autem qui tribunali Cancellariæ præsidebant, legibus naturalibus, divinis, ecclesiasticis, et municipalibus eruditi erant; et proinde neque leges et consuetudines justas regni perturbarunt, neque arctis et injustis sententiis judicum tribunalium juris com. adhæserunt. Per multa secula nullus jurisperitus tribunali Cancellariæ præsidebat. Primus jurisperitus qui ad hoc munus evectus est, erat Thorpe qui A. D. 1372 Cancellarius constitutus est; secundus erat Knyvet qui anno sequenti idem munus accepit. Uterque antea judex erat supremus Banci Regii. Sed nullus alius jurisperitus officium Cancellarii obtinuit, donec celebris Thomas More eques A. D. 1530 ab Hen. VIII. ad id evectus est. Ante hoc tempus exceptis duobus jurisperitis jam memoratis, et admodum paucis rerum publicarum peritis, judices Cancellariæ ex ordine clericali delecti erant, a quibus modus justiam in tribunalibus æquitatis administrandi ad normam juris canonici et civilis, immobiliter stabilitus est. A tempore Mori Cancellarii erant promiscue aut jurisperiti aut aulici, inter quos celeberrimi sunt, Wriothsley, St. John, et Hatton, aut ecclesiastici (*b*), usque ad A. D. 1792, quando serviens ad legem [*sergeant*] Pickering Dominus Custos Sigilli Magni [*Lord Keeper of the Great Seal*] constitutus est, ex quo tempore, quatuor solummodo annis exceptis, jurisperiti jugiter tribunali Cancellariæ præsidebant. Sed modus causas cognoscendi et sententiam dicendi non minus regitur exemplis [*by precedents*] in tribunalibus æquitatis, quam in tribunalibus juris com.; et exempla sententiarum tribunalium æquitatis, quæ juri canonico et civili magna ex parte conformia sunt, ita stabila erant, antequam jurisperiti ad munus Cancellari evecti erant, ut ab his decedere nullo pacto liceret.

(*a*) "Our legal judges," ait Lord St. Leonards, "heretofore adhered so strictly to technical rules, *although frequently subversive of substantial justice*, that the Chancellors interfered and moderated the rigour of the law, according as it is termed, to equity and good conscience."—Loc. cit.

(*b*) Goodricke, Gardener, Heath.

42. Tribunalia æquitatis nulla potiuntur jurisdictione ad causas publicas cognoscendas; et plures etiam sunt causæ privatæ quas eorum potestas nullomodo respicit. Sed magna pars causarum privatarum quæ bona et possessiones respiciunt, nunc in tribunalibus æquitatis cognoscuntur et dirimuntur. Tribunalia enim æquitatis fere exclusive sibi vindicant cognitionem causarum pæne innumerabilium quæ fidei-commissa, et societates quæ constituuntur ad mercaturam faciendam [*trading companies*] respiciunt. His etiam tribunalibus regulariter recurrendum est, quando actio alicui intenditur non ad damnorum compensationem obtinendam sed ad contractus impletionem exigendam [*for the specific performance of a contract*], et quando mandatum [*an injunction*] ad aliquem ab injuria inferenda prohibendum petitur. In neutro enim casu potuerunt tribunalia juris com. usque ad regnum R. Victoriæ aliud efficere præterquam compensationem ob violationem contractus, aut ob damnum jam illatum, decernere. Nuperrime tamen statutis conceditur jurisdictio tribunalibus juris com. in quibusdam casibus contractus adimpletionem decernere, et injustum invasorem ab injuria inferenda prohibere. Sed hæc jurisdictio non est *legalis* sed *æquitabilis;* sicut e converso potestas legalis in quibusdam casibus tribunalibus æquitatis conceditur. Ex statutis enim recentioribus Cancellarius juratos [*a jury*] convocat ad facta quæ in aliqua causa disputantur dijudicanda, quod usque ad præsens regnum facere non potuit; hoc enim ad quemdam ex judicibus juris com. committere necesse fuit. Quamvis autem possit Cancellarius, si it sibi visum fuerit, juratos coram se convocare ad facta dijudicanda, fere semper, tamen, hanc causæ partem ad judicem jusis com. committit. Insuper Cancellarius nunc non potest juratos convocare in tribunali juris communis Cancellariæ, quia per 12 et 13 Vict. c. 107 statuitur quod si in hoc tribunali aliqua quæstio [*issue*] sive juris sive facti occurrat, exemplar tabulæ quæ in Cancellaria habetur [*a copy of the record in Chancery*] alicui ex judicibus tribunalium superiorum juris com. transmittatur

ut a tribunali juris com. modo consueto lis dirimatur, id est; ut si quæstio sit facti a juratis dijudicetur, si autem sit juris ab ipsis judicibus tribunalis juris com.

43. Alii judices superiores tribunalium æquitatis sunt, 1. Magister Tabularum seu, ut verbis utamur jurisperitorum, *Rotulorum* [*the Master of the Rolls*]. Quamvis ab initio hoc tribunal constitutum est ad mandata et tabulas [*the writs and records*] Cancellariæ conservanda, mos tamen ab antiquis temporibus ad nostram ætatem traditus est, ut officio judicis æquitatis Cancellario inferioris fungeretur. Nunc ex variis statutis cognoscere et dirimere potest fere omnes causas, postulationes [*motions*], responsa [*pleas*], &c., quæ jurisdictioni tribunalium æquitatis subjiciuntur; ita tamen ut inter acta publica ejus sententiæ non referantur, donec nomine Cancellarii subscribantur, a quo mutari aut rejici possunt. Sub Magistro Rotulorum usque ad tempora recentissima erant plures alii Magistri in Cancellaria appellati, qui variis muneribus ad tribunalia æquitatis pertinentibus fungebantur. Hi ex officio nulla jurisdictione ad causam dijudicandam potiti sunt, sed solummodo causa diligenter examinata omnem rem Magistro Rotulorum referrebant. Cancellarius tamen jurisdictionem alicui Magistro concedere potuit, ad causam aliquam specialem audiendam et dirimendam. Officium autem Magistrorum in Cancellaria nunc abrogatum est, et ejus loco institututa sunt nova tribunalia æquitatis quorum judices jurisdictionem habent ad causas cognoscendas et dirimendas. In Anglia Æquitas nunc in quinque tribunalibus distinctis administratur, nempe 1. in tribunali supremo Cancellariæ; 2. in tribunali Rotulorum; 3. in tribus tribunalibus quorum judices vice Cancellarii funguntur, et ideo *Vice-Chancellors* appellantur. Primus ab aliis duobus distinguitur nomine *Vice-Cancellarii Angliæ*. Quamvis autem causa primo cognosci possit coram tribunali supremo Cancellariæ [*the Court of Chancery has original jurisdiction*]; attamen revera nulla causa nunc a Cancellario primo cognoscitur, sed solummodo eas causas

cognoscit et dirimit, quæ ei per modum appellationis a sententiis tribunalium inferiorum deferuntur. Duo alii sunt æquitatis judices superiores qui domini judices tribunalis appellationis in Cancellaria [*Lords Justices of Appeal in Chancery*] appellantur. Hi simul cum Summo Cancellario judices sunt tribunalis appellationis in Cancellaria, et huic tribunali a sententiis quatuor tribunalium inferiorum appellare licet. Jurisdictionem suam exercere potest hoc tribunal quando duo ex ejus tribus judicibus, id est, quando Cancellarius et alteruter ex dominis judicibus, aut duo domini judices sine Cancellario, adsunt. Quamvis autem hoc tribunal eadem potestate ac Cancellarius potitur ad appellationes a sententiis quatuor tribunalium inferiorum accipiendas, sine tamen imminutione potestatis ipsius Cancellarii constituitur; et proinde ipse solus appellationes a quatuor tribunalibus inferioribus accipere, et eorum decisiones aut confirmare aut evertere potest.

44. In Hibernia quoque nova tribunalia æquitatis nuperrime constituta sunt. Unus tamen adhuc retinetur Magister in Cancellaria cujus officium ejusdem est generis atque id quod de, Magistris aliis supra exposuimus. Tria sunt tribunalia superiora judicialia æquitatis, nempe tribunal summum Cancellariæ, tribunal Rotulorum, et tribunal judicis qui Vice-Cancellarii fungitur [*the Vice-Chancellor's Court*]. A sententiis duorum tribunalium inferiorium ad Cancellariam appellare licet. Est etiam novum tribunal appellationis in Cancellaria cujus judices sunt Cancellarius et unus dominus judex [*a Lord Justice*] appellationis in Cancellaria. Hi judices habent potestatem designandi unum quemdam ex judicibus tribunalium juris com., qui cum illis in tribunali appellationis sedeat et suffragetur. Hæc designatio non est perpetua, sed diversus judex in singulis temporibus legalibus designatur. Quoniam in Hibernia tribunal Cancellariæ adhuc non est merum tribunal appellationis, sicut in Anglia, nam ab eo causæ primo cognoscuntur, ab ejus decisionibus ad tribunal appellationis provocari licet.

45. Quamvis ab initio et per plura secula tribunalia æquitatis magnum levamen civibus præbuerunt, in temporibus tamen recentioribus usus pravi in ea irrepserunt, et non solum sententias perversas dicendo sed causas quotidie differendo et procrastinondo, præsertim toto illo tempore quo dominus Eldon Cancellarius erat, cives ab iis arcebantur, et litigantes fere semper impensis maximis conficiebantur. Quamvis enim in eorum exordio tribunalia æquitatis eorum sententias secundum rectitudinem naturalem et bonam conscientiam dicebant, decursu tamen temporis non minus regulis eorum propriis et exemplis, quam ipsa juris com. tribunalia regebantur, et reguntur. Exempla enim satis usu firmata everti nequeunt a Cancellariis, neque aliter quam statuto Parlamenti. Inde fit ut in tribunalibus æquitatis multa sint exempla multæque regulæ a quibus decedere nequeunt judices, quamvis a justitia naturali longe aberrent (*a*). Equidem multa statuta lata sunt ad hos defectus emendandos, præsertim a tempore quo cœpit regnare R. Victoria, sed adhuc multis correctionibus et emendationibus locus est.

§ X. *Exponuntur regulæ secundum quas statuta Parlamenti interpretanda sunt; et de discrimine inter legem et æquitatem agitur.*

46. Authentica interpretatio statutorum Parlamenti fieri potest a solis judicibus tribunalium superiorum. Sed et ipsi in eorum interpretationibus quibusdam regulis usu et consuetudine stabilitis diriguntur, quarum præcipuæ hæ sunt: quod statuta nunc vim legis habeant non a principio sessionis Parlamenti in qua lata sunt sed a die quo regis assensum accipiunt, nisi contrarium in ipso statuto declaratum sit; quod interpretanda sint non secun-

(*a*) "The judges in equity" (ait Lord St. Leonards' Handy-Book of Real Property, p. 197) "soon found it necessary, like the Common Law judges, to adhere to the decisions of their predecessors. Whence it has invariably happened that there are settled and inviolable rules of equity, which require to be moderated by the rules of good conscience as much as even the most rigorous and inflexible rule of law did before the Chancellors interposed upon equitable grounds." Narrat ibidem sententiam a curia æquitatis recense dictam quæ æquitati naturali prorsus repugnat.

dum meram verborum significationem, sed habita etiam ratione objecti propter quod condita sunt; quod ea quæ remedia præbent, benigne et large interpretanda sint, pœnalia vero stricte; et quod nullum statutum potestatem subsequentis aut cujuspiam Parlamenti futuri ligare possit. Sic statutum 2 Hen. VII., c. 1, quo decernitur, neminem criminis perduellionis damnari posse, eo quod auxilium ei qui *de facto* regnum occupat præbuerit, solummodo obstat ne actio coram tribunalibus intendatur, nullomodo vero officit ne quis ob hoc factum a Parlamento perduellionis condemnetur. Leges, accepto regis assensu, eo ipso promulgari, et ab omnibus cognosci censentur.

47. Ex sequentibus regulis percipietur quomodo a se invicem distinguuntur æquitas et lex. 1. Æquitas magis substantialem partium contrahentium intentionem respicit; lex magis verba conventionis; 2. earum jurisdictio respicit aut diversa objecta, aut eadem objecta diverso modo; 3. reparatio quæ obtinetur a tribunalibus æquitatis diversa est ab ea quæ a tribunalibus legis præbetur; 4. Tribunalia æquitatis injunctionem concedere possunt, qua injustus aggressor a damno *inferendo* arcetur, quæ usque ad tempora recentissima in nullo casu a tribunalibus legis concedi potuisset, et adhuc nonnisi in quibusdam casibus determinatis datur; et 5. denique modus causas cognoscendi in tribunalibus æquitatis, diversus est ab eo qui in tribunalibus legis servatur.

48. 1. *In pactis Æquitas magis substantialem partium contrahentium intentionem respicit, lex magis verba conventionis.*

Hæc regula non sic intelligenda est, quasi, quando sensus verborum sit dubius, tribunalia legis non magis ad mentem contrahentium quam ad verba attendant. Regula hoc sensu intellecta in omnibus tribunalibus servatur, ut ex supra dictis n. 47 constat. Quoniam, enim, leges municip. verbis generalibus traduntur, impossibile esset omne casum specialem occurrerentem nominatim exprimere; et proinde determinare utrum aliquis casus qui ipsis verbis legislatoris non continetur, in lege secundum

ejus genuinam mentem includi debeat necne; et vice versa an aliquis casus qui in verbis legis expresse habetur, excludendus sit ut a mente legislatoris alienus, prudentiæ judicum confiditur. Sic quando per aliquod statutum decernitur, quod omnes qui tale crimen admiserint feloniæ sontes erunt, non includuntur amentes, quia hoc esset contra legislatoris intentionem; ex alia parte quando per statutum datur potestas ei cui agri, mortuo possessore, necessario descendere debent, tenentem *in annos* restringendi ne damnum inferat [*from committing waste*], (*a*) ita interpretatur lex ut tenentem in *unum* annum, aut in *semestre*, aut etiam in minus temporis spatium includat, propter præsumptam legislatoris intentionem. Quando a verbis legis propter legislatoris intentionem sic deceditur, talis explicatio dicitur interpretatio æquitatis [*the construction is said to be by equity*]: sic in exemplis allatis primus casus dicitur esse *extra*, secundus *intra* statuti æquitatem. Æquitas autem hic eodem in sensu non accipitur, quo eam intelligimus quando de ea ut jure a lege diversum et distinctum loquimur. Per æquitatem enim hic nihil aliud intelligitur quam interpretatio legis quæ fit secundum veram intentionem legislatoris. Sed per æquitatem quæ est jus a lege diversum licitum est decedere quandoque, a *verbis etiam definitis*, non quidem legislatoris, sed contrahentium, quando lex neque hoc admitteret, neque admittere posset. In statutis interpretandis nec etiam in æquitate ab expressis verbis legis decedere licet propter intentionem præsumptam legislatoris, secundum pronunciatum, "a verbis legis non recedendum est." Sed in pactis æquitas a verbis etiam definitis contrahentium aliquando recedere solet. Sic v. g. si Caius domum vendat Julio quam sartam ac tectam esse falso declarat, et si Julius domo statim non idigeat, et interim refici posset, æquitas, summa sufficienti a Caio soluta ad domum sartam ac tectam reddendam, Julium coget contractui stare domumque accipere, quod a lege fieri nequit. Iterum si Caius vendat Julio fundum quem declarat sibi locatum esse [*leased*] in septuaginta

(a) Cf. infra n. 326.

annos, dum tempus in quod locatum est sexaginta octo annos non excedit, æquitas, nisi aliqua sit ratio specialis quare hoc fieri non debeat, coget Julium fundum accipere, pretio pro rata diminuto propter duos annos qui a tempore locationis subtrahuntur. Judex juris com. hoc facere non posset sed contractum rescindere teneretur. Iterum si tempus intra quod aliquis contractus impleri debet, inter partes definiatur, jure com. hæc stipulatio est de essentia contractus: in æquitate vero si tempus non sit res magni momenti, aut si accusator causam moræ tempore quo contractum iniit noverit, et reus non sit in mora culpabili, contractus rescindi non poterit, nisi, rescindendem in his circumstantiis, inter partes expresse conventum fuerit. Si venditor agrorum titulum validum ad omnes agros dare non possit, leg. com. emptor ad aliquam partem eorum accipiendam cogi non poterit, sed si pars circa quam titulus validus deficit necessaria non sit ut emptor altera parte fruatur, æquitas, pretio pro rata minuto, coget emptorem accipere partem ad quam titulus validus habetur. Ex his exemplis patet tribunalia æquitatis sibi vindicare potestatem pacta firmandi non solum contra propriam verborum significationem, sed non raro etiam contra mentem unius ex contrahentibus. Sed æquitas interpretari nequit pacta contra *expressas* partium stipulationes. Quando vero non adest expressa stipulatio, æquitas firmat pactum quando *substantialiter* impleri possit; si enim hoc fieri nequeat, ut si titulus validus non daretur ad eam partem status in qua ædes sita est, æquitas emptorem ad aliam partem accipiendam cogere nequit.

49. 2. *Objecta circa quæ versantur æquitas et lex sunt aut diversa, aut si sint eadem, diverso sub respectu respiciuntur.*

Quoniam æquitas ab initio introducta est ad rigorem nimium et etiam non raro injustum juris com. moderandum, vel ad ejus defectus medendos, auctoritatem suam nunquam iis rebus interposuit, quæ satis juste et prudenter a tribunalibus juris com. administratæ sunt. Alia vero sunt objecta maximi momenti

quorum aut nullam aut nonnisi injustam cognitionem habuit, et adhuc habet lex com. Sic fidei-commissa omnino non agnoscit lex com.; et ejus modus agendi circa mutua, quando v. g. Caius pecuniam Julio mutuo tradidit, chirographo exhibito, erat omnino injustus. Quoniam enim lex usuram reprobavit hic modus eam exigendi excogitatus est, mutuatutarius per chirographum se obligavit, summam duplo majorem quam acceperat solvere. Quamvis autem judices hoc apprime cognoscebant, pertinaciter defendebant multam verum fuisse debitum, et hoc modo feneratores usuras graves et onerosas exigebant, quia nisi is qui mutuatus est feneratori satisfecisset, judices eum ad totam pecuniam quæ per chirographum tuto præstita erat solvendam cogebant. Quinimo postquam statuto 37 Hen. VII., c. 9., declaratum est ipsam pecuniam mutuo datam et non multam verum fuisse debitum, et auctarium accipere lege municip. permissum est; adhuc cæce et obstinate exemplis adhæserunt judices juris com., et solutionem totius summæ mutuæ datæ, auctarii, et impensarum legalium, in plenam chirographi satisfactionem accipere recusarunt. In vadiis mortuis similiter, quamvis ante sententiæ exsecutionem contra debitorem, sors, auctarium, et omnes expensæ solutæ fuissent, judices tamen decernebant debitorem ex agris excidisse. In tribunalibus æquitatis iisdem temporibus, instrumenta interpretata sunt secundum veram et justam partium intentionem, et jura non solum creditoris sed et debitoris vindicata sunt. Attamen judices tribunalium juris com. recusaverunt se conformare his sententiis rationabilibus judicum curiarum æquitatis, donec per statuta Parlamenti, 4 Ann., c. 16., et 7 Geo. II., c. 20., obstricti erant.

Alia sunt objecta circa quæ tribunalia juris com. et æquitatis divisum exercent imperium, qualia sunt pacta et conventiones; sed quamvis jurisdictio curiarum juris com. hæc complectatur, ea a solis tribunalibus æquitatis fere vindicantur.

50. 3. *Tertium discrimen inter legem et æquitatem invenitur in diversitate subsidii quod ab utriusque tribunalibus obtinetur.*

Quando Caius v. g. pactum init cum Paulo ei vendere agros determinatos aut domum, pretio constituto, et postea recusat agros Paulo tradere, aut vice versa Paulus recusat pretium solvere, tribunalia juris com. ipsius contractus impletionem exigere non possunt, sed solummodo cogent eum qui injuste contractum observare recusat, alterum compensare propter damna quæ ex hoc modo injusto agendi passus sit. Caius jure com. dominium agrorum retinet, donec instrumentum abalienationis [*the deed of conveyance*] rite et legaliter confecerit. Si autem recursum habeat Paulus ad tribunal æquitatis, cogetur Caius, quamvis nullum abalienationis instrumentum confectum fuerit, agros Paulo abalienare. Æquitas enim agnoscit statum tum legalem tum æquitabilem in agris; priorem retinet Caius donec agros Paulo abalienaverit, posteriorem transfert ad Paulum a tempore contractus, et ab hoc tempore Caium ut ejus fiduciarium respicit. Hoc præscriptum legis principio nititur, quo in tribunalibus æquitatis, id ut revera factum censetur, ad quod faciendum quis pacto valido se obligavit. In quibusdam aliis contractibus exsecutionem ipsius contractus, recurrendo ad tribunal æquitatis, obtinebitur; sed plerumque tribunalia æquitatis auctoritatem suam non interponent, nisi de agris aut domibus agatur, quoniam in aliis rebus partes læsæ sufficiens remedium a curiis juris com. per compensationem damnorum obtinebunt.

51. Olim tribunalia æquitatis nihil præter ipsius contractus exsecutionem decernere potuerunt. Nunc autem per 21 et 22 Vict., c. 27., s. 2., etiam damnorum compensationem decernunt, simul et contractus exsecutionem, aut compensationem totius damni sine ipsius contractus exsecutione.

Ex altera parte tribunalia juris com. per 19 et 20 Vict., c. 90., s. 2., possunt, non quidem generaliter, sed cujusdam generis contractus, exsecutionem decernere, ut si conventum sit bona determinata [*specific goods*] pro pretio pecuniario vendere. Sed ab his tribunalibus exsecutio contractuum de agris, domibus, aut

etiam de catallis mobilibus, excepto casu jam exposito, obtineri non potest.

52. 4. Quartum discrimen inter tribunalia æquitatis et legis in hoc consistit, quod priora injunctionem concedere solent qua injustus aggressor ab injuria inferenda restringitur, et injustus invasor aut juris auctoris libri (*a*), aut alicujus artis inventoris, cujus usus exclusivus ei regio diplomate vindicatur (*b*), ab his actibus injuriosis arcetur. Potest tribunal æquitatis argentariam Angliæ et Hiberniæ restringere, ne translationem pecuniarum fide publica mutuo datarum permittant, et ne auctaria [*the dividends*] solvant. Insuper mandatum a Cancellario obtineri potest quo is qui alicui actionem de agris aut domibus in tribunali juris com. intendit, ab actione prosequenda abstinere cogitur, et etiam a sententia jam obtenta exsequenda arcetur. Supponatur Caium statum a Julio emisse, sed tempore statuto pretium non solvisse, et Julium ob hanc rationem, contractum irritum declarasse, actionemque coram tribunali juris com. Caio ad damnorum compensationem obtinendam intendisse. Caius, pecunia comparata, ad tribunal æquitatis recurrit, actionem in Cancellaria Julio intendit, tum ad eum restringendum ne actionem in tribunali juris com. ulterius prosequatur, tum etiam ad ipsius contractus exsecutionem exigendam. Declarat moram in pecunia solvenda neque culpabilem neque injuriosam fuisse, et si ejus allegatio sit vera, æquitas coget Julium ab actionis prosecutione desistere, et ipsum contractum implere.

Tribunalia juris com. nunc per 17 et 18 Vict., c. 125., ss. 79. et 82., accusatori in aliqua actione de qua quæstio tunc agitur coram tribunali, injunctionem concedere possunt, qua reus, dum causa agitur, a renovatione aut continuatione injuriæ propter quam actio intenditur prohibebitur. Sed ultra hunc casum injunctionem concedere nequeunt.

(*a*) Cf. infra n. 650. (*b*) Cf. infra n. 652.

53. 5. *Quintum discrimen consistit in diversis modis qui in actionibus cognoscendis in tribunalibus æquitatis et juris com. servantur.*

Exponere varios modos procedendi in diversis tribunalibus servantos ad nostrum propositum non attinet. Usus novus qui ab antiquo multum differt videatur ap. Steph. lib. v., c. 13, vol. 4., pp. 49., et seq. Operæ pretium est observare, quod olim in tribunalibus juris com. adversarius in lite testimonium dicere cogi non poterat. Contrarius usus in tribunalibus æquitatis prævaluit, et ita tum accusator tum reus beneficio testimonii adversæ partis potitus est. Nunc autem per 14 et 15 Vict., c. 99., et 16 et 17 Vict., c. 83., alteruter ex adversariis in aliqua lite, in tribunalibus juris com. cogi potest ad testandum ; et uterque ex litigantibus jus habet interrogationes adversæ parti tradere, quibus, sicut in tribunalibus æquitatis, respondere tenetur.

54. In tribunalibus æquitatis usque ad hanc ætatem nonnisi scripta testimonia dari potuerunt. Sed nunc per 15 et 16 Vict., c. 86., et 23 et 24 Vict., c. 128., facta per testimonium viva voce dictum probantur, quando hoc judici æquum videtur. Hæ mutationes in usu et consuetudine tribunalium, quibus aliquid quod hactenus ad solam æquitatem pertinebat datur tribunalibus juris com., et aliquid quod ad hæc sola tribunalia pertinebat, curiis æquitatis datur, valde utiles sunt, et sperandum est quod brevi tempore in nostris tribunalibus, sicut in mos est omnium aliarum gentium excultarum, lex et æquitas in eodem tribunali, et ab eodem judice, administrabuntur.

55. Insigne discrimen adhuc existit inter usum tribunalium æquitatis et legis circa testimonii conservationem. In tribunalibus juris com. testimonium nunquam datur, neque testis interrogatur, nisi postquam actio intenta fuerit, et quando causa inter accusatorem et reum apud judices agitur. Quoniam itaque præcipui testes in aliqua causa naturæ debitum reddere possent antequam actio aut intenta sit aut intendi possit, manifestum est justitiam hac ratione non raro vindicari non posse. Remedium huic incommodo a tribunalibus æquitatis suppeditatur, quia con-

cedunt iis qui timent, ne per mortem testium juribus suis priventur, facultatem actionem intendendi ob solum finem testimonium conservandi. In hac actione testimonium scriptis mandatur, et si lis de eadem causa postea moveatur, quando testes adesse nequeunt, profertur. Actiones ad testimonium conservandum plerumque intenduntur ab eo qui agros, herede excluso, per modum legati accipit. Actio tunc intenditur ad conservandum eorum testium testimonum qui testamento subscripserunt. Qui hoc modo agit, testamentum in Cancellaria comprobare dicitur. Nunc autem per 5 et 6 Vict., c. 69, quicumque declarat se, casu aliquo futuro eveniente, jus habiturum ad officium, honorem, dignitatem, aut ad possessiones, aut bona mobilia, actionem intendere potest [*can file a bill*] in Cancellaria, ad testimonium conservandum quo ejus jus stabiliatur.

§ XI. *De variis modis quibus damna privata* [civil injuries] *secundum præscripta juris municip. reparantur.*

56. De causis publicis agere ad nostrum propositum non attinet. Remedia autem propter injurias privatas triplicis sunt generis: nempe 1. *permissiva*, sive ut loquuntur jurisperiti, per *merum actum ejus qui damnum passus est*, sine interventu legis; 2. *activa* quando per solum actum aut operationem legis, sine ullo actu ex parte ejus qui injuria afficitur, damnum reparatur; 3. quando reparatio per actionem legalem obtinetur, in quo casu duo priores modi inveniuntur, quoniam reparatio per actionem legalem, actum tum partium litigantium, tum legis exigit, ut in tertio puncto videbimus.

Punctum primum.—De remediis per merum actum ejus qui injuriam passus est.

57. Primum remedium permissivum derivatur ex ipso jure naturali quo quisque jus habet seipsum, suam uxorem, patrem, matrem, filios, dominum, domesticos, possessiones, et bona defendendi contra injustum aggressorem, quia omnibus juribus

vim vi repellere licet. Secundum remedium permissivum quod primo prorsus affine est, resumptio [*a recaption or reprisal*] appellatur. Quando enim Caius v. g. injuste detinet bona, aut uxorem, aut liberos, aut domesticos Julii, potest Julius hæc omnia auferre, modo tamen hoc sine vi fieri possit. Si enim injustus possessor resistat, plerumque non potest vim adhibere, sed ad actionem legalem recurrere tenetur. Similiter, si equum meum injuste ablatum inveniam in loco communi, aut in via publica, aut in nundinis, aut in diversorio, eum legitime recipere possum. Non autem possum ad eum recipiendum in privatum stabulum introrumpere, aut agros v. g. Petri, qui equum non abstulerit, ingredi, nisi tamen furto [*feloniously*] abactus fuerit; sic enim agendo justitiam legalem violarem, propter quod juste puniri possem, quamvis equum meum quovis modo auferendo justitiam commutativam non violarem. Similiter quando quis agros meos sine ullo jure occupat, ejus injustam possessionem destruere possum per simplicem ingressum in agros, declarando quod hoc facio ad eorum possessionem recuperandam. Et quamvis agri sint in dissitis locis ejusdem comitatus, sufficit aliquam partem eorum ingredi, declarando quod hoc fit animo possessionem omnium agrorum recipiendi; nisi tamen sint plures injusti invasores [*disseisors*], quia tunc in agros ab unoquoque occupatos ingredi necesse est. Item quando agri in diversis comitatibus siti sunt, necesse est ingredi in agros in singulis comitatibus; aut si injustus invasor agros qui etiam in eodem comitatu siti sunt per *seisinæ traditionem* [*by livery of seisin*] (*a*) diversis personis abalienaverit, in agros ab unoquoque occupatos ingrediendum est. Sed ingressus debet esse pacificus; si enim injustus possessor ingressui domini vi resistat, dominus agrorum eum vi expellere nequit, sed ad actionem recurrere tenetur. Hereditamenta incorporalia, ut patet per ingressum recuperari non possunt, quia actu corporali occupari nequeunt.

Si quis vi occupet agros alienos sine ullo titulo, aut eos vi

(*a*) Cf. infra Disp. 20. n. 348. et seq.

detineat postquam dominus eorum possessionem per pacificum ingressum recuperaverit, noxius injuriæ tam privatæ quam publicæ constituitur, et non solum actio privata ei intendi potest ad agrorum possessionem recuperandam, sed et publica, propter violationem pacis, quibus pretium damni in triplum parti læsæ, et multam regi solvere cogetur.

57. Tertius modus damnum reparandi est per molestiæ amotionem. Molestia quam veteres jurisperiti *nocumentum* [*a nuisance*] appellabant, per actum civis privati sine actione removeri potest; et hoc est tertium hujus generis remedium. Actus quo hoc fit amotio [*abatement*] appellatur. Nocumentum est id omne quod aut injuriam aut incommodum illegale producit. Est aut *publicum* aut *privatum*. Publicum est id quod civibus generatim molestiam affert. Nocumentum inferri potest non solum per actum, sed etiam per omissionem actus debiti. Priori modo fit, quando quis januam in via publica erigit, aut fossam in ea confodit, aut artes sensibus molestas aut injuriosas exercet, aut homines morbo contagioso infectos in via publica exponit, tabernas aut theatra sine auctoritate, [*unlicensed*] aut lupanaria, aliosve domos inordinatas, habet; posteriori modo quando quis negligit officia publica quæ propter communitatem adimplere tenetur; ut viarum aut pontium reparationes, aut si caupo viatorem in suum diversorium sine legitima causa admittere recuset. Nocumenta publica non sunt injuriæ privatæ, sed delicta publica minora [*misdemeanors*], et multa, et captivitate puniri possunt. Attamen si quis ex nocumento publico injuriam sustineat, ut si ejus equus cadat in foveam illegitime in via publica effossam, et lædatur aut occidatur, actio privata auctori nocumenti intendi poterit, ad damni reparationem obtinendam. Quivis civis privatus nocumentum publicum removere potest, modo tamen sine tumultu aut pacis violatione, efficiatur. Sic janua viam publicam impediens a quolibet removeri, aut si necessarium sit ad molestiam removendam, destrui potest.

58. Nocumentum privatum est actus aut negligentia, qua quis sine vi aut actuali, aut ex interpretatione legis, injuriam aut in-

commodum alteri infert in ejus agris, tenementis, aut hereditamentis (*a*), sive corporalibus, sive incorporalibus. Si vero agit vi, ejus actus in crimen ponitur, quod illegitimus alieni agri ingressus [*trespass*] appellatur. Nam ingressus illicitus agri alieni, quamvis sit pacificus revera tamen a jure vi fieri censetur; et ideo non solum jus privatum, sed et publicum, invasor violare reputatur, propter quem actum non solum injuriam civi privato illatam reparare tenetur, sed etiam multam regi solvere damnari potest.

Sed si quis domum aut murum tam prope domui meæ ædificet ut meis luminibus titulo præscriptionis legitime acquisitis (*a*) officiat, nocumenti solummodo privati sons est, et ejus agros legitime ingredi possem, et domum aut murum, tamen sine violatione pacis, diruere. Iterum si rami arboris alieni, meos agros promineant, nisi tamen is jus præscriptione acquisiverit ut hoc patiar, possem, si ipse cui arbores pertinent hoc facere recuset, ramos sic prominentes pacifice succidere. Sed nemo tenetur nocumentum aut aliam injuriam solo actu suo auferre, aut injuriam reparare; solummodo hæc facere permittitur quando pacifice fieri possunt, sed in omni casu, his remediis prætermissis, actionem reo intendere potest. Ad obtinendam reparationem damni quod per nocumentum privatum infertur, fere semper necessarium erit ad actionem recurrere. Sic si quis porcos aut alia animalia tetra alat in loco tam propinquo meæ domui in quo jam habitato, ut fætor mihi gravidus et molestus sit, nocumenti privati sons est; et similis offensæ reus est, si artem noxiam exerceat, ut coriarii aut laterarii, aut si candelas sebet in simili loco. Quamvis enim hujusmodi res sint in se non solum licitæ sed etiam utiles, attamen in locis remotioribus haberi debent secundum regulam juris municip.: "Sic utere tuo ut alienum non lædas." Sic etiam si quis negligenter, effodiendo in suo fundo domum alienam in fundo proximo diruat; aut si is qui tenetur fossam detergere hoc negligat, unde agri alterius inundentur, nocumenti sons est;

(*a*) Cf. infra n. 617.

et universim, quicumque aliquid facit in loco propinquo agris alienis, ut officinam ad vena metallica excoquenda erigendo, unde segetes, gramina, aut pecora, domini agrorum vicinorum detrimentum patiuntur nocumentum committit. Sed in his et similibus casibus, nisi is qui nocumenti reus fuerit sponte damnum reparaverit ad compensationem obtinendam, necessario ad actionem recurrendum erit.

59. Hæc nocumenta hereditamenta corporalia respiciunt; qui autem aquam profluentem ab alienis agris aut a mola illegitime divertit, aut viam jam legitime possessam per agros alienos, aut obstruat aut minus commodam reddit, v. g. truncas super eam sternendo, aut ipsam arando, nocumenti reus est circa hereditamenta alterius incorporalia, nempe circa *jus* ad aquam et ad viam, quod impedit. Sed non est nocumentum privare hominem juribus incorporalibus quæ nonnisi ad delectamentum inserviunt, ut domum aut murum ædificare quo prospectus amœnus præcluditur, aut fenestras facere unde secessus [*the privacy*] domus aut horti alieni aufertur. Nec nocumentum est novam molam v. g., aut scholam, constituere in loco vicino ei in quo alterius mola aut schola jam stabilita est, quamvis inde detrimentum oriatur; quia talis æmulatio ad bonum conducit, et proinde *est damnum sine injuria*. Sed nocumentum privatum est, novum mercatum constituere in loco qui non distat fere plus quam sex millia, seu ut terminis legis utar, infra tertiam partem viginti millium mercatûs qui jam legitime stabilitus est. Distantia determinatur hac ratione, quod unicuique præsto esse debet mercatus, cui iter facere posset infra spatium tertiæ partis unius diei, ita ut unam partem occupet eundo, alteram negotia peragendo et tertiam redeundo. Ad hoc autem necessarium non censetur novum mercatum infra spatium prædictum constituere, et qui hoc faceret, nocumenti reus est circa liberum tenementum [*the freehold*] (*a*), quod dominus in mercato suo jam stabilito possidet.

Quando quis per nocumentum aut positivum aut negativum

(*a*) Cf. infra n. 285.

alicui damnum injuste et culpabiliter infert, eum teneri ad restitutionem manifestum est. Quatenus autem restituere teneatur, sive ante sive post sententiam judicis ob omissionem inculpabilem diligentiæ quæ a jure municip. requiritur, in tractatu *De Restitutione* exponetur.

60. 3. Quartum remedium quo reparatio damni per actum proprium civis privati fieri permittitur, pignoris captio [*a distress*] appellatur. Pignoris captio seu, ut utamur verbis veterum jurisperitorum, *districtio*, est actus quo is qui injuriam passus est, occupare possit catalla personalia ejus qui injuriam intulerit. Tria in hac definitione exponenda sunt: 1. quandonam possit quis actu proprio catalla alterius personalia in pignus capere; 2. quæ bona sic capi possint; et 3. quomodo captio fieri debeat. De his, quoniam potius jurisperitos quam theologos respiciunt, nonnisi breviter tractandum est. Ad hoc remedium præcipue recurri potest propter reditus non solutos, quorum natura infra exponetur (*a*). Alia injuria propter quam dominus agrorum catalla in iis inventa in pignus capere possit, fit quando jumenta aliena ibi damnum inferentia invenit. In hoc casu dominus agrorum animalia, *quamdiu in ejus solo manent*, in pignus capere possit, nisi ob defectum sepimentorum eorum ingressus in agros [*the trespass*] excusari possit. Præter hos casus, in quibus bona personalia in pignus capi possint ex præscripto juris com., alii quidam sunt, in quibus eadem facultas per statuta conceditur. Sic in pignus capi possunt catalla personalia alicujus, qui vectigal, quod ei in sustentationem pauperum imponitur, solvere recusat.

61. 2. Quod attinet ad res quæ in pignus capi possent, dominus agrorum aut domorum generatim occupare possit omnia catalla personalia quæ in domibus aut in agris inventa sint, sive hæc pertinent ad tenentem qui reditus solvere tenetur, sive ad alienum, et alienus nullum habet remedium contra eum qui bona illius occupaverit sed solummodo contra tenentem. Circa animalia

(*a*) Cf. infra n. 438, et seq.

tamen quæ in agris alienis propter reditus non solutos occupati fuerint, distinguendum est. Vel enim in his agris ab eorum domino locata sunt, vel non. In primo casu occupari possunt a domino cui reditus ex his agris debetur; et etiam in secundo, modo agri sufficienter circumsepti sint, si vero sepimenta sufficientia, non sint animalia modo consueto excludere, in pignus capi nequeunt, donec in agris *cubantes* et *levantes* fuerint, quod spatium unius noctis exigere interpretatur; et quamvis fuerint in agris *levantes* et *cubantes*, si tamen sepimenta sufficientia non erant et animalia ad agros sine culpa eorum domini venerunt, occupari non possunt propter reditum non solutum, nisi dominus post monitionem datam ea removere neglexerit.

62. Forsan hæc præscripta legis quibus facultas conceditur dominis agrorum et domorum catalla etiam aliena quæ in iis inveniuntur occupare, lata sunt ne tenentes per venditiones fictas jura dominorum eluderent. Sed hoc non sufficit ad prædicta præscripta vindicanda; quia quamquam dominus sine dubio jus habet ut reditum suum justum obtineat, nullum jus habet ut eum ex bonis ejus qui nihil ei debet, et fraudulenter non agit, accipiat. Dominus itaque, sive agrorum sive domorum, non potest bona illius qui nihil ei debet, et qui nullius fraudis erga eum sons est, in pignus capere et vendere propter reditum non solutum, quamvis hoc jus ei ex præscripto juris municip. concedatur. Iniquum enim est ut inquilinus qui habitationem conductam occupat in domo v. g. Caii, tenentis Sylvii, eamque rebus necessariis instruxerit, suumque reditum Caio rite solverit, rebus suis privaretur ad solvendum reditum Sylvio, cui ipse nihil omnino debet. Similiter, si Julius emerit a Caio jus ad greges suos pascendos in agris Caii, et hic debitum non solverit Sylvestro, omnino iniquum esset, si nulla sit fraus ex parte Julii, ut Sylvius ejus pecora in pignus caperet et venderet ad reditum suum obtinendum, quamvis Julius ei nihil omnino debeat. Et hæc doctrina manifesto concordat cum fundamento præscripti ipsius juris, secundum quod

omnia catalla quæ in pignus capi possunt præsumuntur ad ipsum debitorem pertinere (*a*).

63. Quædam tamen sunt quæ in pignus capi non possunt; 1. occupari non possunt res quibus quis hic et nunc utitur, quales sunt, non solum vestimenta quibus operitur, sed et axia quæ tenet in manibus, equus quo vehitur, &c. Sed equus qui plaustrum ducit, cum ipso plaustro, in pignus capi potest. 2. Bona tradita alicui qui negotium aliquod publicum gerit ad ea transvehenda, aut tractanda secundum suam artem, occupari non possunt, ut merces quæ vectori traduntur ut eas transvehat, equus qui stat in officina fabri ferrarii, aut in diversorio communi, pannus sartori traditus ad vestimenta conficienda, frumentum ad molam transmissum ut molatur, aut ad mercatum ut vendatur, aut res traditæ curatori auctionum ut sub hasta vendantur. Neque in pignus capi potest pecunia, nisi in sacco sigillo munito inventa sit, neque lac, poma, pyra, mala persica, et alia hujusmodi quæ in pignus sine injuria servari nequeunt. In pignus capi non possunt bona mobilia quæ rebus immobilibus affixa sunt [*fixtures*], de quibus cf. infra n. 334. et seq. ubi etiam exponetur quatenus, frumentum, gramina, &c., quamdiu a solo non separantur, in Anglia, aut in Hibernia, propter reditus non solutos occupari possunt. Quædam etiam vacca, ut equus aut bos arator [*beasts of the plough*], oves, instrumenta agriculturæ aut artis, eximuntur *sub modo*, id est capi non possunt, modo catalla alterius generis sufficientis pretii ad reditum solvendum in agris inveniantur.

64. Satis rationi consonum est aliud juris præscriptum quo dominus domus aut agrorum, unius anni reditum exigere potest, præ alio creditore qui judicium aut decretum ad catallo mobilia tenentis arripienda obtinuerit, quando *tenencia* est per annum. quando vero tenencia est in minus spatium, v. g. in sex aut tres menses, dominus agrorum aut domus, reditum, in quatuor hujusmodi spatia debitum, exigere potest. Si ergo locatio fuerit per semestre dominus domus aut agrorum jus habet ad reditum

(*a*) Cf. Step. vol. 3. p. 358.

duorum annorum, prae aliis creditoribus. Non autem æquitati consonum est aliud præscriptum legis ex quo dominus agrorum segetes, etsi jam ab alio creditore arreptæ atque venditæ fuerint, si adhuc in agris inveniantur, vindicare potest, etsi reditus debitus non fuerit nisi post venditionem.

65. 3. Quod attinet ad modum quo catalla personalia capi debent: 1. Hoc fieri debet interdiu; nisi in casu animalium damna inferentium. 2. Ipse dominus aut ejus villicus agros aut domos locatas [*demised*], ingredi tenetur, vel ante finem temporis locationis, vel si, tempore statuto elapso, tenens possessionem illegitime retineat [*holds over*], ante lapsum sex mensium, postquam tempus locationis effluxerit. Et quamvis bona in pignus capi debent in ipsis agris sive domibus, attamen si aut fraudulenter aut clandestine ablata fuerint, dominus ea ubicumque inventa fuerint occupare potest, intra triginta dies a tempore quo ablata fuerint, nisi bona fide vendita fuerint pro pretiuro æstimatione digno [*for valuable consideration*]. Si autem bona fraudulenter ablata fuerint, omnes ad hanc fraudem cooperantes multam in duplum bonorum pretium domino agrorum pendendam incurrunt.

Si bona illegitime occupata fuerint, ut si reditus non fuerit debitus, aut si animalia non in ipsis agris, sed in via publica occupata fuerint, tenens potest ea licite recuperare [*rescue them*]; sed si semel fuerint in septo publico [*pound*] inclusi, etiamsi illicite occupati fuerint, eorum dominus non potest sepimentum effringere, eaque recuperare; et si ita fecerit, quando catalla in pignus capta fuerint propter reditum ad damna in triplum solvendum damnari potest. Si autem animalia damna inferentia licite occupata fuerint, quicumque ea liberaverit, aut liberare attentaverit, etiam dum ad septum publicum agebantur, convictus coram duobus magistratibus, multam 5 lbb. et expensas solvere cogetur; quibus non solutis, in carcerem in spatium non minus quam quindecim dierum, neque majus quam unius mensis, detrudi poterit.

66. Præter modum reparationis per solum actum ejus qui damnum passus est, alius est qui fit consensione utriusque partis [*by accord*], nempe illius qui damnum passus est, et illius a quo

illatum est. Sed mera *conventio* de satisfactione etiam in specie determinata accipienda, non prohibebit quin creditor actionem debitori intendere possit, quia hoc esset solummodo unum jus actionis loco alterius substituere. Pecunia itaque aut alia res quæ pro compensatione datur, debet reapse tradi ei cui compensatio debetur ab eoque accipi; imo, si res debita sit *certa* et *determinata* pecuniæ summa, v. g. si Caius debet 100 lbb. Julio, et hic convenit accipere 50 lbb. in plenam satisfactionem totius debiti, et hæc summa reapse ei tradatur; hoc non obstante, actionem Caio intendere possit ad alias 50 lbb. obtinendas. Neque hæc lex injusta est; quia Julius ideo tantum consentit accipere 50 lbb. loco centum, quia totam summam debitam obtinere non potest, et omnino æqua esset lex quæ Caium, si totum debitum solvere posset, ad totum debitum solvendum obligaret. Non negamus, si Caius majorem summam solvere non possit, neque habet rationabilem spem totum debitum postea solvendi, pactum bona fide iniri posse, quo Julius 50 lbb. loco 100 lbb. in plenum satisfactionem totius debiti acciperet, et nullum jus ad aliam dimidiam partem retineret. Sed creditores plerumque partem debiti accipere loco totius consentiunt, quia timent ne, si hanc partem recusent, nihil omnino accipiant, et debitores non raro fingunt se esse pauperes, quamvis sine gravi incommodo totum debitum solvere possent. Hos teneri totum debitum solvere manifestum est. Si autem summa debita non sit certa et determinata, aut si solutio compositionis non fiat in pecunia, sed in alia specie, v. g. si Julius accepisset equum a Caio in plenam debiti satisfactionem, non amplius actionem Caio intendere poterit, quantumvis debitum rei pretium excedat. Sed hoc præscriptum legis fertur solummodo ad lites præcavendas; et, si res in satisfactionem debiti tradita, bona fide ei non adæquat, sine dubio tenetur Caius, si possit, quod desit Julio solvere. Non hic loquimur de compositionibus quæ interposita solemnitate facti [*deed*] fiunt, quia hoc, debitis servatis conditionibus, quanquam conveniatur minimam summam loco summæ longe

majoris accipere, semper obstat, ne actio propter hoc debitum intendatur.

67. Alius modus dirimendi controversiam legaliter sine recursu ad actionem est per arbitrium [*arbitration*]. In jure com. definitur; actus partium, nempe ejus qui damnum intulerit et ejus qui damnum passus est, quo conveniunt disceptationes de catallis et injuriis personalibus, et etiam de criminibus, modo tamen non sint feloniæ, arbitrio duorum aut plurium arbitrorum permittere. Si vero arbitri non conveniant, plerumque iis conceditur facultas disceptatorem [*an umpire*] eligendi, a quo tota controversia dirimenda est; aut etiam ab initio a partibus litigantibus soli disceptatori confidi possit. Partes disputantes se submittere possunt judicio arbitrorum per sola verba, aut in scriptis, sive sigillo muniantur, sive non; sed judicium arbitrorum [*the award*] necessario scriptis mandari debet. Sed quia pars victa judico arbitrorum stare sæpe recusat, quo facto altera pars eam arbitrio stare cogere non possit, nisi ei actionem intendendo, ideo a longo tempore, disputantes plerumque mutua ineunt pacta [*mutual bonds*] quibus se obligant, aut arbitrio stare, aut ut is qui resiliret certam multam alteri solvere cogeretur. Quoniam autem hic modus disceptationes dirimendi, præsertim quando de rationibus componendis, aliisque rebus ad negotiationem pertinentibus agitur, valde conveniens inventus est, statutis sancitum est, quod litigantes, sive actio instituta fuerit necne, possent (quando nullum aliud est remedium nisi per actionem personalem in tribunali juris com., aut causam coram tribunali æquitatis agendo) convenire, ut instrumentum quo eorum disceptationem judicio arbitrorum, aut disceptatoris submittant, fiat mandatum tribunalis [*a rule of court*] quod acta sua in tabulas refert. Hoc instrumentum non indiget sigillo muniri, sed consensus viva voce datus non potest effici mandatum tribunalis. Conventione partium in hunc effectum probata, jurejurando unius ex testibus qui instrumentum quo partes se submittere judicio arbitrum testati sunt, judex mandatum concedet, quo judicium arbitrorum erit decretorium.

Si una ex partibus judicio sic prolato obtemperare recuset, altera, quamvis hoc facere possit si ita velit, non tenetur actionem intendere; qui enim obtemperare recuset multa et captivitate submittere cogetur, eodem modo ac si contemptus ipsius tribunalis reus fuisset.

68. Quando instrumentum quo partes se submittunt judicio arbitrorum fit mandatum tribunalis modo exposito, non potest una pars, altera nolente, potestatem sic collatam revocare nisi de consensu tribunalis; et judex cogere potest testes, testimonium coram arbitris datum, juramento confirmare. Et quicquid sit de quibusdam antiquis subtilitatibus, omnino dicendum videtur, nunc posse arbitros disceptationes etiam de agris dirimere (*a*). In pluribus etiam casibus, hic modus controversias dirimendi statutis Parlamenti expresse approbatur. Ita statuitur quando controversiæ eveniunt de jure ad decimas, et ad loca communia [*commons*], de quantitate compensationis debitæ propter agros quæ ob commodum publicum occupantur, ut propter vias ferreas, nundinas et mercatus, pontes, portus, amplificationem et ornatum oppidum, exsiccationem agrorum, cemeteria, et in casu disceptationis inter varias societates quæ ad negotia gerenda institutæ sunt. Præterea per 17 et 18 Vic. c. 125. s. 3. et 6. (*b*) statuitur, quod si postquam mandatum [*the writ*] ad aliquam causam cognoscendam emissum fuerit, judici monstratum sit, litem præcipue versari circa rationes computandas quæ modo ordinario convenienter cognosci non possint, rogatione ab alterutra parte ad judicem delata, ipse litem sine juratis [*summarily*] dirimere possit, aut eam ad aliquam personam quæ vicem tribunalis gerit [*an officer of the court*], aut ad arbitros a partibus litigantibus diligendos, remittere, ut ab his, iis servatis quæ a judice præscribuntur, dirimatur. Eodem modo, quando quæstio de aliquo facto, coram judice sine juratis cognoscitur, quod ex præscripto ejusdem statuti, partibus litigantibus consentientibus, fieri conceditur, et ipsi videbitur rationes

(*a*) Cf. Steph. vol. 3. p. 371.

(*b*) Hoc Stat. "The Common Law Procedure Act, 1854," dicitur.

explicandas esse in causa cognoscenda, eam ad prædictas personas remittere possit.

Punctum secundum.—De reparatione damnorum per meram legis operationem.

69. Duo tantum sunt hujusmodi remedia; primum fit quando quis exsecutor testamenti sui debitoris constituitur, aut administrationem ejus bonorum obtinet, quia is detinere permittitur ex bonis quæ administrat, quantum sufficit solvere id quod sibimetipsi a defuncto debitum est, antequam aliis creditoribus *ejusdem gradus* satisfecerit; et proinde in hoc casu ejus debitum fit aliquatenus *privilegiatum;* quia, si bona defuncti non sufficiant ad omnia debita solvenda, plane suo juri satisfacere possit, antequam aliquid creditoribus ejusdem gradus solvat. Sed nihil, ratione sui debiti detinere potest donec omnia debita, quæ ante suum privilegiata sunt, plene solverit. Hoc privilegium exsecutoris, quod in jure retentio [*retainer*] appellatur, tuta conscientia servari potest. Secundum remedium fit quando is qui jure ingressus in agros potitur injuste excluditur, et postea possessionem obtinet non vi tituli proprii, sed alieni, et proinde invalidi; quo in casu ipso facto, ad titulum suum justum a jure remittitur, agrosque vi hujus tituli possidet. Sic si Julius, qui agros Caii injuste invaserit eumque eorum possessione privaverit, postea eosdem agros Caio in aliquot annos locet, et Caius agros ingrediatur, ipso facto ad titulum suum justum, remittitur; et ideo hoc remedium remissio [*remitter*] appellatur. Si vero locatio facto munita sit, ad hoc remedium recurri non potest, quia nemo potest proprium suum factum respuere nisi vi, dolo, aut fraude obtentum fuerit. Et idem dicendum est si locatio facta fuerit auctoritate tribunalis quod acta sua in tabulas refert, quia talis actus infirmari non possit, nisi ipsa sententia legitime evertatur.

Punctum tertium.—De actionibus civilibus et de earum divisione, in reales, personales, et mixtas.

70. Actio realis, secundum Justinianum (*a*) quem passim in hac materia sequuntur theologi, (*b*) est ea quæ immediate rem attingit, ita ut in cujuscumque manus devenerit, dominus eam vindicare possit; actio personalis ea est quæ ei intenditur qui ex contractu aut delicto aliquid dare aut agere obligatur; actio mixta ea est quæ et rei ipsius restitutionem, et damni reparationem exigit. In jure vero municip. actiones diverso prorsus modo definiuntur. Discrimen enim inter actiones in jure civili desumitur ex diversitate nexus qui existit inter nos et ea bona *externa* quæ aut nobis reapse devinciuntur, aut ex justitia devinciri debent in nostrum proprium commodum. Discrimen vero inter varia genera actionum, in jure nostro municip. desumitur ex natura ipsorum objectorum externorum quæ nobis aut immediate devinciuntur aut devinciri debent in nostrum proprium commodum, habita etiam ratione status (*c*) seu *proprietatis* (*d*) quam dicunt, quam is qui actionem intendit in his rebus sibi vindicat. Actio itaque realis non dicitur, nisi res immobiles, id est agros, aut domos, aut jura et emolumenta quæ ex iis derivantur, respiciat; et nisi teneantur aut in vitam aut in perpetuum. Aliter enim, quamvis *res* sint immobiles, *status* qui in iis habetur erit mobilis, et nomine *catallorum immobilium* [*chattels real*] appellatur (*e*). Jamvero actio quæ ad catalla etiam immobilia, immediate vindicanda intenditur, actio non realis sed personalis a plerisque jurisperitis dicitur. Actio itaque realis definitur: ea quæ accusator [*the plaintiff or demandant*] intendit, reo [*the defendant*]

(*a*) Cf. Just. lib. iv. tit. 1. 6.; 16, et seq.

(*b*) Cf. Layman, lib. 3. tr. 1. c. v. n. 1.

(*c*) De significatione legali *statûs* [*an estate*] in jure municip. cf. infra, n. 254.

(*d*) Cf. infra, n. 161. de significatione proprietatis. Forsan hæc vocabula incompta evitari possent, sed ea retinenda esse duximus, causa tum claritatis tum brevitatis.

(*e*) Infra, nn. 254. et 255.

ad ipsum statum immobilem vindicandum quæ habetur in agris, tenementis, aut hereditamentis, aut in juribus quæ ex iis derivantur. Exigit ergo, aut ipsorum agrorum qui in vitam aut in perpetuum tenentur aut jurium quæ ex iis derivantur, *specificam* restitutionem. Olim lites de *proprietate* immobili per solas actiones reales dirimi potuerunt.

Omnes aliæ actiones personales dicuntur, etiam eæ quæ *specificam* restitutionem exigunt aut catalli personalis, ut equis aut catalli realis, ut agrorum qui in annos tenentur. Actiones mixtæ eæ sunt quibus specifica restitutio proprietatis immobilis, et compensatio damnorum petitur.

71. Actiones hoc modo definiuntur a nostris jurisperitis (*a*), quamvis quidam ex iis actionem *ejectionis* [*of ejectment*] qua quis injustum invasorem catallorum suorum realium ejicit, actionem realem appellant. Hæc actio ejectionis, quæ ab initio erat pure personalis et cujus ope nihil aliud directe obtineri potuit nisi compensatio damnorum, *actionem ejectionis firmæ ad injustum possessorum agrorum alienorum arcendum* [*an action of trespass de ejectione firmæ*] *aut breviter* ejectment *appellatur*. Decursu tamen temporis tribunalia æquitatis, et postea tribunalia juris com., accusatori, quando prævaluisset in hac actione, non solum damnorum reparationem, sed et catallorum suorum realium restitutionem specificam decernebant. Attamen restitutio specifica proprietatis immobilis ope hujus actionis obtineri non potuit usque ad an. 1833, quando abrogatæ sunt actiones omnes reales et mixtæ per 3 et 4 Guliel. IV. c. 27. quatuor exceptis, nempe 1. actio rescripti juris doarii, 2. doarii unde nihil habet, 3. quare impedit, et 4. ejectionis. Prima et secunda *doarium* [*the dower*] viduæ respiciunt, et ad primam nunquam, ad secundum rarissime nunc recurritur. Per secundam vidua doarium vindicare potest, quando injuste denegatur (*b*). Tertia actione vindicari potest jus ejus qui jure præ-

(*a*) Cf. Steph. vol. 3. p. 475. (*b*) De doario cf. infra, n. 319. et seq.

sentandi ad beneficium injuste privatur; et proinde nihil attinet ad ecclesiam Catholicam in his regionibus.

72. Actio ejectionis firmæ est fere solum remedium quo res corporales immobiles nunc specifice recuperari possunt. Ad hanc actionem intendendam necesse est ut accusator jure ingressus in agros potiatur, et tunc quidem, sine ulla actione, possessionem recuperare potest per *pacificum* ingressum, si hoc permittat injustus possessor. Si vero hoc non permittat, ad actionem ejectionis firmæ recurrere necesse est. Impossibile est ex ipsa earum natura ingredi in res incorporales, quæ proinde per actionem ejectionis vindicari non possunt; sed recurrere necesse est *ad actionem personalem propter injuriam sine vi illatam*, quam jurisperiti *trespass on the case*, aut simpliciter *trespass*, appellant.

73. Disputatur inter jurisperitos, utrum actio ejectionis sit realis, an personalis, an mixta? Revera videtur has omnes actiones complecti. Est realis, quatenus ejus ope proprietas realis specifice recuperari possit, quamvis in forma ab antiquis actionibus realibus omnino discrepet. Est personalis, quia ejus ope catalla immobilia recuperari possunt; et mixta quia ex ea non solum specifica rerum immobilium restitutio sed et damnorum compensatio obtinetur. Quamvis autem ab absurdis et perplexis formulis antiquarum actionum realium omnino discrepet, cum iis in hoc convenit quod est actio localis. Actiones enim dividuntur in *locales* et *transeuntes;* priores eæ sunt quarum ratio in aliquo loco determinato oriri necesse est, ut invasio agrorum alienorum; posteriores eæ sunt, quarum origo alicubi evenire potest, ut invasio bonorum, injuria personæ illata, &c. Actio ejectionis, quoniam agros aut domos respiciat est semper localis; actiones personales plerumque sunt transitoriæ. Inter has actiones hoc intercedit discrimen, quod actiones locales in comitatu ubi ratio actionis orta est, et a juratis hujus comitatus cognosci necesse est, nisi, propter rationabilem causam, judex aliquis tribunalum superiorum causæ cognitionem in alium comita-

tum amoverit. Sed si actio sit transitoria, ut eæ quæ intenduntur propter invasionem bonorum aut personæ, potest alicubi intra nostrum regnum coram tribunali competenti cognosci, et accusator in margine declarationis in qua rationem actionis exponit, comitatum designat in quo vult causam cognosci. Hoc modo accusatori pertinet *vicinetum* (*a*) [*the venue*] determinare, quod tamen acutoritate judicis tribunalis superioris in alium comitatum mutari possit.

(*a*) *Vicinetum* a verbo vicinus [neighbouring] derivatur.

DISPUTATIONES DE JUSTITIA ET JURE,

&c., &c.

DISPUTATIO PRIMA.

DE NATURA VIRTUTIS IN GENERE.

§ I. *De virtutis definitione.*

1. *Virtus est habitus bonus rectæ rationi legique divinæ conformis.* Est 1. *habitus*, quia nemo dicitur esse v. g. abstemius eo quod unum temperantiæ actum exercuerit si ordinarie ebrietati deditus sit. Talis homo intemperatus vere diceretur, quamvis una aut altera vice sobrium se conservaverit. 2. Habitus *bonus*, quia aliter vitium esset, non virtus. 3. Rectæ rationi legique divinæ consentaneus. Etenim si habitus sit bonus, actus qui ex tali habitu profluunt boni erunt. Jamvero actus bonus esse nequit nisi rectæ rationi conformis sit. "Rectum factum," ait S. Augustinus (*a*), "nullo modo esse potest, quod non a recta ratione proficiscitur."

2. Duæ vero sunt regulæ actuum humanorum, *recta ratio et lex.* Nam eatenus actus et proinde habitus a quo procedit est bonus, in quantum legi Dei, et etiam legi humanæ justæ conformis est. Lex est regula remota actuum humanorum, regula autem proxima quæ actus humanos ad conformitatem cum regula remota dirigit, est recta ratio.

(*a*) De utilitate credendi, c. 12.

§ II. *De virtutum divisione in naturales et supernaturales et in theologicas et morales.*

3. Multipliciter distinguuntur virtutes, sed præsenti in materia adnotare sufficit, alias virtutes esse *naturales*, quæ repetitis actibus acquiruntur, et quarum actus, qualia sunt non furari, res injuste ablatas restituere, solis viribus naturæ *absolute* possunt perfici, quamvis nobismetipsis relicti et divino auxilio destituti, præcepta omnia naturalia propter nostram fragilitatem minime adimpleremus. Aliæ virtutes sunt *supernaturales*, quarum habitus a S. Sancto in nos sine nobis infunduntur, et quarum actus absque divinæ gratiæ auxilio fieri non possunt. Virtus ipsa supernaturalis seu habitus est in nobis sine nobis, actus autem illius nonnisi libera nostræ voluntatis cooperatione meritorie exerceri possunt.

4. Omnis virtus *moralis* est hoc in sensu, quod est regulis *morum* seu legi conformis. Sed quoniam tres dantur virtutes eximiæ (*a*), fides, spes, et charitas, quæ per se acceptæ, et ad ea objecta ad quæ tendunt comparatæ, medium non habent, sed quo magis in objectum suum feruntur, eo perfectiores fiunt; dum aliæ omnes in medio consistunt, et earum regulis ita conformari debent, ut ab iis neque per defectum, neque per excessum errent, tres priores virtutes *theologicæ*, aliæ omnes morales denominantur. Ratio quar evirtutes theologicæ medium non habent est, quod earum regula est ipse Deus. "Causa," ait S. Bernardus (*b*), "diligendi Deum, Deus est: modus sine modo diligere." Objectum enim harum virtutum non est creatum et finitum, sed increatum et infinitum, et in attingendo tale objectum excedere non possumus. "Medium virtutis," ait S. Thomas (*c*), "accipitur per conformitatem ad suam regulam vel mensuram, secundum quod contingit ipsam transcendere vel ab ea deficere. Virtutis autem theologicæ duplex potest accipi mensura: una, quidem, secundum ipsam rationem virtutis; et sic mensura et regula virtutis theologicæ est ipse Deus; fides enim nostra regulatur secundum veritatem divinam, charitas autem secundum bonitatem ejus, spes autem secundum magnitudinem omnipoten-

(*a*) 1 Cor. xiii, 13. Nunc autem manent, fides, spes, et charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.

(*b*) Ep. ad Haimericum.

(*c*) 1. 2. qu. 64. a. 4, in corp. et ad 3.

tiæ et pietatis ejus: et ista est mensura excedens omnem humanam facultatem; unde nunquam potest homo tantum diligere Deum, quantum diligi debet. Unde multo minus potest ibi esse excessus, et sic bonum talis virtutis non consistit in medio: sed tantò est melius, quanto magis acceditur ad summum." Itaque *ex parte ipsius virtutis* theologicæ excessus dari nequit, quia objectum, in quod per has virtutes ferimur, est ipse Deus infinitus.

5. At vero ut ibidem monet S. Doctor: "Per accidens potest in virtute theologica considerari medium, et extrema, ex parte nostrâ; quia, etsi non possumus ferri in Deum quantum debemus, debemus tamen ferri in ipsum credendo, sperando, et amando, secundum mensuram nostræ conditionis. . . . . Spes est media inter præsumptionem et desperationem *ex parte nostra*, in quantum scilicet aliquis præsumere dicitur ex eo quod sperat a Deo bonum quod excedat suam conditionem; vel desperare quia non sperat quod secundum suam conditionem sperare posset. Non autem potest esse superabundantia spei ex parte Dei (id est ex parte objecti) cujus bonitas est infinita. Similiter etiam fides est media inter contrarias hæreses, non per comparationem ad objectum, quod est Deus, cui non potest aliquis nimis credere, sed in quantum ipsa opinio humana est media inter contrarias opiniones." Et similiter quamvis nulla creatura sufficienter Deum diligere potest, attamen ex parte creaturæ potest esse excessus, ut si excubitor cui committitur officium vigilandi, ita se Dei amore absorberet ut officium suum negligeret et castra ab hostibus capi permitteret. Sed in his omnibus casibus excessus nullatenus ex parte ipsius virtutis est, sed omnino ex parte nostra se habet.

6. Nulla autem alia virtus, præter tres prædictas, Deum pro objecto immediato habet; sic objectum virtutis religionis est cultus Deo debitus, objectum jejunii maceratio et subjectio carnis, objectum justitiæ res alteri debita. Sed objecta hujusmodi omnia sunt res creatæ et finitæ, et proinde in ipsa materia harum virtutum, non solum per defectum sed etiam per excessum peccari potest; qui enim jejunando gravem morbum in seipsum sponte induceret, peccaret per excessum, dum ille qui præceptum jejunandi violaret, peccaret per defectum. Contra religionem per defectum peccat blasphemus et sacrilegus, dum qui plures colit Deos, vel qui vero Deo cultum falsum et superstitiosum exhibet peccat per excessum. Unde S. Thomas (*a*) ex Aristotele (*b*) hanc virtutis moralis definitionem adducit, "virtus moralis

(*a*) 1. 2. q. 64. a. 1, in corp. (*b*) 2. Ethic. cap. 6. post med.

est habitus electivus in medietate existens." Deinde ipse S. Doctor (*a*) sic rem explicat : " Moralis virtus proprie est perfectiva appetitivæ partis animæ circa aliquam determinatam materiam. Mensura autem et regula appetitivi motus circa appetibilia est ipsa ratio. Bonum autem cujuslibet mensurati et regulati consistit in hoc quod conformetur suæ regulæ, sicut bonum in artificiatis est ut sequatur regulam artis. Malum autem per consequens in hujusmodi est per hoc quod aliquid discordat a sua regula vel mensura ; quod quidem contingit vel per hoc quod superexcedit mensuram, vel per hoc quod deficit ab ea, sicut manifeste apparet in omnibus regulatis et mensuratis. Et ideo patet quod bonum virtutis moralis consistit in adæquatione ad mensuram rationis. Manifestum est autem quod inter excessum et defectum medium est æqualitas seu conformitas. Unde manifeste apparet quod virtus moralis in medio consistit." Et iterum (*b*), " Bonum virtutum intellectualium et moralium consistit in medio per conformitatem ad regulam vel mensuram quam transcendere contingit ; quod non est in virtutibus theologicis per se loquendo. Virtutes morales perficiunt intellectum et appetitum in ordine ad regulam et mensuram creatam, virtutes autem theologicæ in ordine ad mensuram et regulam increatam."

§ III. *Quommodo justitia ab aliis virtutibus moralibus discrepet ?*

7. Aliæ virtutes morales inter duo constituuntur vitia ; liberalitas medium tenet inter avaritiam et prodigalitatem ; fortitudo inter audaciam et timorem, magnanimitas inter præsumptionem et pusillanimitatem ; sed omne vitium quod in *propria sua materia* justitiæ adversatur *in defectu* positum est ; nam contra justitiam minime peccamus, dum plus quam debemus reddimus, sed tantum dum minus debito solvimus. Attamen medium inter duo extrema tenet justitia, sicut cæteræ virtutes morales. Sed medium diversimode constituitur, etenim in aliis non tantum respicitur *quantitas* rei sed etiam *conditio* personæ, sic eadem vini mensura unum hominem inebriat, dum alium minime perturbat ; eadem donatio erit prodigalitas in paupere et liberalitas in divite, quia medium in hujusmodi virtutibus moralibus observandum est *medium rationis* quod animæ perturbationibus et passionibus modum imponat. Sed in justitia

(*a*) 2. Ethic. cap. 6. post med. (*b*) *Ibid.* q. 64 a. 4. ad 1. et 2.

stricta medium servandum est æqualitas rei ad rem absque ullo respectu ad conditionem personæ; sic si centum debeas sive diviti sive pauperi, centum et neque minus neque plus vi justitiae strictæ reddenda sunt. Ideo si plus quam centum des, excessus non ad justitiam sed ad aliam virtutem v. g. ad charitatem vel ad liberalitatem pertinebit. Non ita est in virtutibus theologicis, quia quantumvis credis, speras, aut diligis, actus semper ad fidem, spem, aut charitatem pertinebit. E contra si creditor cui tantum centum debentur plus quam centum tanquam ex justitia debitum exigat, ipse contra justitiam peccabit. "Justitia," ait S. Thom.(*a*), "est circa operationes quæ consistunt in rebus exterioribus, in quibus rectum institui debet simpliciter, et secundum se. Et ideo medium rationis in justitia est idem cum medio rei, in quantum scilicet justitia dat unicuique quod debet, et non plus nec minus. Sed aliæ virtutes morales consistunt circa passiones interiores, in quibus non potest rectum constitui eodem modo propter hoc quod homines diversimode se habent ad passiones. Et ideo oportet quod rectitudo rationis in passionibus instituatur per respectum ad nos, qui afficimur secundum passiones."

§ IV. *De virtutum moralium in acquisitas et infusas divisione, et de utriusque generis virtutum natura et indole.*

8. Virtutes morales in acquisitas et infusas dividuntur. Virtus acquisita est, ut ipsum nomen indicat, "Habitus bonus per repetitos actus acquisitus." Etenim uti argumentatur S. Thom. ex malis actibus causatur habitus vitiorum. Ergo multo magis ex bonis actibus possunt causari habitus virtutum. Sic per repetitos actus temperantiæ habitus temperantiæ acquiritur, dum per repetitos actus intemperantiæ habitus hujusmodi malus comparatur. Habitus ergo hujus generis etiam boni non sunt supernaturales sed naturales, et ad actus tantum naturales, seu ad adimplendam legem naturalem inclinant, ejusque adimpletionem longe faciliorem reddunt; sed quamvis hujusmodi virtutes sunt naturales minime supponendum est quod actus quibus acquisitæ erant absque auxilio divinæ gratiæ facti fuerint. Faciliora quidem viribus naturæ, difficiliora nonnisi auxilio gratiæ adimplemus. Itaque ad opus ex sua substantia naturale, uti est restitutio bonorum, perficiendum, sæpe sæpius Dei opitulantis adjutorio indigemus. Et hoc verum est quamvis

(*a*) 1. 2. q. 64. a. 2. in corp.

virtus naturalis jam sit per actus repetitos acquisita. Sic aliquis habens virtutem acquisitam temperantiæ, in gravi aliqua tentatione, in ebrietatem vel luxuriam, propter suam fragilitatem incidet, nisi Dei gratia adjuvetur. Neque etiam per unum aut alterum intemperantiæ actum, quamvis graviter peccaminosum ideoque gratiæ sanctificantis et charitatis destructivum, virtus acquisita naturalis amittitur: hoc enim nonnisi per contrarium intemperantiæ habitum efficitur. Idem de justitia aliisque virtutibus acquisitis dicendum est. "Non autem," ait S. Thom. (*a*), "per unum actum peccati corrumpitur habitus virtutis acquisitæ; habitui enim non contrariatur directe actus sed habitus. Et ideo licet sine gratia homo non possit peccatum mortale vitare ita quod nunquam peccet mortaliter, non tamen impeditur quin posset habitum virtutis acquirere, per quem a malis operibus abstineat ut in pluribus, et præcipue in his quæ sunt valde rationi contraria." Habitus itaque bonus ad adimplenda legis naturalis præcepta magnopere adjuvat, et quamvis per se non sufficit, attamen nunquam peccamus per ullum actum quem vitare non potuimus; peccatum enim voluntariam transgressionem essentialiter exigit.

9. Virtus infusa est habitus bonus rectæ rationi legique divinæ conformis, et in mentes nostras a Deo ipso sine nobis infusa. Virtus potest esse infusa *per se* et *per accidens*. Est infusa per se quando omnino vires nostras naturales exsuperat, ita ut per vires naturales nullatenus acquiri possit, quia revera est aliquod supernaturale et a solo Deo, ut a causa principali et independente, dari potest. Virtus infusa per accidens, est virtus naturalis quæ proinde viribus naturalibus acquiri potest, sed quam Deus ipse modo extraordinario et supernaturali communicat. Sic scientiam naturalem in mentes Adami et Salomonis infudit. Potest omnipotens Deus habitus naturales virtutum in mentes hominum, quando, et quomodo vult infundere. Sed est extra cursum ordinarium providentiæ divinæ, juxta quam misericors Deus nos adjuvat habitus bonos et virtutes naturales per actus nostros proprios acquirere. Minime enim infunduntur virtutes acquisitæ etiam cum gratia sanctificante quando peccator per contritionem perfectam aut pœnitentiæ sacramentum justificatur. Omnes peccatores qui malos habitus contraxerunt misera experientia hanc veritatem cognoscunt. Qui enim ebrietati aut impudicitiæ dediti erant, etiam post conversionem et justificationem magnam proclivitatem ad hæc peccata adhuc experi-

(*a*) 1. 2. q., 63. a. 2. ad 2.

untur, et nonnisi occasiones evitando, orationi incumbendo, et divinum auxilium enixe implorando vitia vetera evitare possunt.

10. Sed virtutes theologicæ, fides, spes, charitas, et morales supernaturales uti habitus supernaturales prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis, justitiæ, obedientiæ, &c. in animam simul cum gratia sanctificante infunduntur. Itaque quamvis homo qui nunc sincere dolet de vitiis intemperantiæ et injustitiæ quibus hactenus deditus erat, non recipit cum gratia sanctificante habitus naturales temperantiæ et justitiæ, attamen habitus supernaturales harum virtutum ei dantur. Et quidem habitus naturalis qui per repetitos actus acquiritur, facilitatem et proclivitatem ad actus suos exercendos producit. Habitus vero supernaturalis est qualitas permanens a Deo infusa, qua potentiæ animæ, intellectus et voluntas, ita elevantur ut actus supernaturalis ordinis elicere possint. Jamvero hujusmodi habitus, quamvis sine dubio aliquo modo inclinat ad actus proprios supernaturales, attamen non dat facilitatem ad actus naturales moralium virtutum exercendos, ideo neque actus supernaturales harum virtutum ab iis qui habitus vitiosos oppositos contraxerunt absque magna difficultate exerceri possunt. Habitus enim supernaturalis principaliter consistit in elevatione facultatum ad ordinem superiorem, et quamvis in nos sine nobis infunditur, actus tamen ejus non fiunt absque nostra libera cum gratia divina cooperatione. Deinde magna difficultas respectu horum actuum moralium inde oritur quod actus supernaturalis justitiæ v. g. elici non potest, quin simul præceptum naturale suum cuique reddendi impleatur. Jamvero quandocumque injustus pœnitentiam agit, remissionem accipit peccatorum, et justitiæ supernaturalis virtus in ejus animam infunditur. Sed ille, nisi per aliquod tempus actus justitiæ exercuerit, virtutem justitiæ naturalis nondum acquisivit, et quamvis nihil damnationis jam in eo est utpote justificato in Jesu Christo; attamen habitus malus eum adhuc ad peccata injustitiæ proclivem reddit, qui malus habitus nonnisi per diuturnam justitiæ observationem vinci potest.

§ V. *De modo in quo actus ordinis naturalis et supernaturalis elici possunt et de utriusque ordinis harmonia.*

11. Quicumque conformat actus suos rectæ rationi, in hac sistens, actus bonos ordinis naturalis elicit, quamvis illos ut plurimum nonnisi auxilio gratiæ divinæ facit. Præceptum enim naturalis justitiæ implet dum suum cuique reddit, eò quod ita agendum esse recta ratio dictitat. Ad actum vero supernaturalem justitiæ

requiritur 1. habitus justitiæ infusus (*a*) vi cujus potentiæ animæ, intellectus et voluntas, ad ordinem supernaturalem elevantur; 2. motivum supernaturale, id est motivum agendi non ratione sed fide divina cognitum; et 3. auxilium actuale gratiæ divinæ, illuminans et dirigens intellectum, et erigens et adjuvans voluntatem.

12. Itaque ordo supernaturalis ordini naturali non est contrarius sed eum elevat et perficit. Sicut enim homini naturaliter insunt quædam facultates vi quarum per suos actus virtutes morales acquiruntur, et ex quibus procedunt tanquam ex principiis quibusdam naturalibus in illo præexistentibus; ita etiam est in ordine supernaturali. "Loco," ait S. Thom. (*b*), "istorum principiorum naturalium, virtutes theologicæ nobis a Deo conferuntur. Unde oportet quod his etiam virtutibus theologicis proportionaliter respondeant alii habitus divinitus causati in nobis, qui sic se habent ad virtutes theologicas, sicut se habent virtutes morales ad principia naturalia virtutum. . . . . Virtutes theologicæ sufficienter nos ordinant in finem supernaturalem, secundum quamdam inchoationem, quantum scilicet ad ipsum Deum immediate: sed oportet quod per alias virtutes infusas perficiatur anima circa alias res in ordine tamen ad Deum. . . . . Virtus illorum principiorum naturaliter inditorum non se extendit ultra proportionem naturæ; et ideo in ordine ad finem supernaturalem indiget homo perfici per alia principia superaddita."

13. Virtus est habitus *operativus* aut *effective* aut saltem *affective*. Priori modo est operativa quando actus alicujus habitus v. g. justitiæ efficitur seu producitur: posteriori modo quando nullus actus hujus virtutis seu habitus producitur, quia qui virtutem habet justitiæ semper paratus esse debet neminem lædere, et suum cuique reddere, ideoque actus justitiæ exercere quando hi præcipiuntur. Itaque operativa est affective sive in proposito et præparatione animi. Virtutes acquisitæ non solum haberi possunt absque infusis, sed et una virtus naturalis v. g. justitia acquiri potest, alia v. g. temperantia non acquisita, et similiter amitti potest virtus acquisita justitiæ, virtute acquisita temperantiæ non amissa.

(*a*) Aliquando Deus supplet habitum infusum per auxilium transiens, ad tempus elevans facultates mentis ut agere possint in ordine supernaturali; sic in justificatione infidelis adulti conceduntur auxilia transeuntia vi quorum actus supernaturales fidei, spei, et pœnitentiæ elicere potest.

(*b*) 1. 2. q. 63. a, 3. in corp. et ad 2. et 3.

§ VI. *De quatuor virtutibus cardinalibus et speciatim de justitia.*

14. Inter virtutes morales sive acquisitas sive infusas hæ quatuor, prudentia, justitia, fortitudo, et temperantia locum principem tenent. Dicuntur cardinales (*a*), similitudine a cardine ducta, eo quod tota vitæ humanæ honestas his virtutibus velut cardinibus vertitur, et ad has velut ad principales, cæteræ virtutes morales revocantur. "Labores hujus (Sapientiæ) magnas habet virtutes : sobrietatem enim, et prudentiam docet, et justitiam, et virtutem," id est fortitudinem (*b*). Prudentia auriga virtutum moralium dicitur, quia cæteris medium inter excessum et defectum præscribit. Attamen longe et difficilior, et magis prolixa est tractatio de justitia, et in ejus enucleatione non solum theologi, sed et canonistæ et jurisperiti summo studio laboraverunt. Et quidem præcepta secundæ tabulæ decalogi magna ex parte circa hanc virtutem versantur ; plura in jure canonico ipsam respiciunt ; et vitam, membra, et bona fortunæ omnium civium et ab hostibus externis et a prædatoribus internis defendere, id est suum cuique salvum præstare, pacem totius reipublicæ servare et bonum ejus promovere, finis est omnis justæ legislationis civilis.

15. De virtute infusa justitiæ satis jam dictum est. Omnis enim homo hanc virtutem simul cum gratia sanctificante accipit, et actus ejus supernaturales debitis temporibus elicere potest. Ad hoc enim sufficit ut dum in suis negotiis neminem lædit, suumque cuique reddit, agat ex motivo supernaturali, et sub influxu divinæ gratiæ, quam Deus humiliter et debite petenti non denegabit. Revelatio divina motivum supernaturale supplet, quia fides docet neminem injuriose tractandum esse, et suum cuique esse reddendum : imo potest aliquis in actibus justitiæ ponendis ex motivo charitatis, seu Dei propter se dilecti, agere ; et tunc actus erit *elicitus* justitiæ quia immediate tendit ad reddendum cuique quod suum est, sed erit quoque *imperatus* charitatis, quia propter Dei amorem ille actus justitiæ producitur. Ad justificationem vero obtinendam unusquisque tenetur legem naturalem justitiæ servare ; et reddere quod injuste abstulerit, si potest, est conditio omnino necessaria ut per pœnitentiam remissionem peccatorum accipiat. "Si autem dixero impio : morte morieris : et egerit pœnitentiam a peccato suo, fecerit que judicium et justitiam, et *pignus restituerit* ille impius, *rapinamque reddiderit*. . . . . vita

(*a*) Ita a S. Ambrosio lib. 5. in Lucam, nominantur.
(*b*) Sapientia, c. viii. v. 7.

vivet et non morietur (*a*). Quoniam ergo neque remissio peccatorum a peccatore obtineri potest absque impletione præcepti naturalis justitiæ, neque sanctitas jam obtenta sine observatione ejusdem virtutis naturalis conservari, natura ejus et proprietates diligenter sunt investigandæ, ut peccatores reddendo cuique quod suum est, Deo adjuvante, ad sanctitatem per pœnitentiam deducantur, et ut justi omnem injuriam devitantes et in Dei et proximi amore quotidie proficientes ad palmam justitiæ æternæ feliciter perveniant.

(*a*) Ezechiel xxxiii. 14. 15.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE JUSTITIÆ VARIIS ACCEPTATIONIBUS, DEQUE EJUS DEFINITIONE ET NATURA QUA EST VIRTUS SPECIALIS.

16. JUSTITIA multiplici in sensu accipitur, sed hic de triplice solummodo hujus vocis significatione necessarium est disserere. Primo enim complexionem omnium virtutum sive theologicarum sive moralium includit; secundo ad eas virtutes quæ primario non ad nosmetipsos sed ad Deum vel proximum ordinantur restringitur; tertio justitiam *formaliter* sumptam, seu qua est virtus specialis, solummodo complectitur. De his tribus justitiæ significationibus agendum est.

§ I. *De justitia qua est virtus generalis et de divisione virtutum moralium in tres classes, nempe in eas quæ ad Deum, ad proximum, et ad nosmetipsos immediate ordinantur; ubi etiam de partibus Justitiæ potentialibus agitur.*

17. Primo itaque, justitia sumitur pro sanctitate Christiana, seu pro complexione omnium virtutum, sic dicitur in Scriptura Sacra: "Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam. . . . . Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cœlorum"(*a*). Et iterum (*b*), "Joseph cum esset vir justus;" homo enim non est simpliciter et vere justus et sanctus, neque regnum cœlorum obtinebit solummodo reddendo alteri quod suum est, quia debet quoque esse castus, sobrius, religiosus, proximi Deique amator. Id enim justum est quod suæ regulæ adæquatur, et quod hanc adæquationem efficit justitia dicitur: omnium autem virtutum collectio reddit voluntatem adæquatam suæ regulæ nempe legi divinæ, proindeque tota collectio justitia et quælibet virtus specialis pars justitiæ rite nominatur. In hoc sensu justitia est virtus omnino generalis, et omnes virtutes, sive theo-

(*a*) Matt. v. 6. et 10. (*b*) Ibid. i. 19.

logicas sive morales, sive ad nos sive ad proximos sive ad Deum immediate ordinantur, complectitur.

18. Secundo, minus late sumitur justitia, ita ut neque virtutes theologicas neque etiam omnes morales, sed eas solummodo complectatur quæ *immediate ad alium* ordinantur, uti religionem, pœnitentiam, obedientiam, liberalitatem, misericordiamque, quarum officia non nosmetipsos immediate, sed alium nempe Deum aut proximum respiciunt. Et quoniam hæ virtutes moralesreddunt aliis officia quæ illis aliquo modo, quamvis non ex stricta justitia debentur, et proinde quæ justa sunt illis præstant, ad virtutem justitiæ *potentialiter* pertinere dicuntur et inter ejus partes *potentiales*, non vero *formales*, numerantur. "Deinde," ait S. Thos. (*a*), "considerandum est de partibus potentialibus justitiæ, id est, de virtutibus ei annexis . . . . quod in virtutibus quæ adjunguntur alicui principali virtuti, duo sunt consideranda: primo quidem, quod virtutes illæ in aliquo cum principali virtute conveniant; secundo, quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius. Quia vero justitia ad alterum est, omnes virtutes quæ ad "alterum sunt possunt ratione convenientiæ justitiæ annecti. Ratio vero justitiæ consistit in hoc, quod *alteri* reddatur *quod ei debetur* secundum *æqualitatem*. Dupliciter ergo aliqua virtus ad alterum existens a justitia deficit: uno modo in quo deficit *a ratione æqualis:* alio modo in quantum deficit *a ratione debiti*. Sunt enim quædam virtutes quæ debitum quidem alteri reddunt, sed non possunt reddere æquale. Et primo quidem quidquid ab homine Deo redditur debitum est, sed non potest esse æquale, secundum illud psal. 115, 12: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?" In virtutibus vero proximum respicientibus et ad justitiam formalem non pertinentibus, quamvis æqualitas existere potest, attamen in eis omnibus ratio *stricti debiti* deficit, uti infra postquam natura justitiæ formalis patefacta fuerit, commodius demonstrabimus.

19. Justitia hoc latiori sensu accepta definiri potest: *virtus moralis nos constanter et perpetuo inclinans, ad recte et ordinate perficienda illa officia quæ alteri reddimus.* Non dicimus quæ alteri *debentur*, quia quamvis pleræque virtutes quæ proximum immediate respiciunt, *debitum* erga ipsum etsi non *strictum* continent, uti gratitudo quæ debetur proximo propter beneficia accepta, obedientia quæ ipsi debetur propter ejus superioritatem, &c.; attamen, quædam ex illis uti liberalitas et amicitia, in debito erga proximum non fundantur etiamsi ipsum immediate respiciunt.

20. Virtutes quæ *ad nos* dicuntur, in moderamine propriarum

(*a*) 2. 2. q. 80. a, 1. in corp.

nostrarum passionum occupantur : et actiones quæ *per se* et *immediate* nosmetipsos solos spectant juxta normam rectæ rationis dirigunt. Tales sunt tres ex quatuor virtutibus cardinalibus, scilicet prudentia, fortitudo, temperantia. Quamvis enim vitia contra has virtutes *per accidens* alios afficere possunt, attamen per se et primario ad ipsum agentem ordinantur, et ipsum solum spectant. Sic quod aliquis est imprudens, pusillanimis, ebriosus, per se non aliis sed ipsi soli nocet. Per accidens quidem possunt hæc vitia ad violationem juris alieni ducere, quia fieri potest ut aliquis propter imprudentiam aut ebrietatem alium occidat. Sed nemo jus habet per se et simpliciter, ut alius non sit imprudens aut ebriosus, sed tantum iis in circumstantiis in quibus propter hæc vitia injuria ipsi obventura prævideatur. Neque habet aliquis jus ne alius sit pusillanimis, nisi solum iis in circumstantiis in quibus injuria inde ipsi obveniret, ut v. g. miles propter pusillanimitatem excubias non deserat. Sed injuria non oritur ex violatione fortitudinis sed ex violatione obedientiæ et contractus onerosi vi cujus ex stricta justitia excubias servare tenetur. Per se itaque nemo jus habet ne alius sit pusillanimis, quia hoc vitium ad injuriam alteri inferendam directe non ordinatur.

21. Dici tamen potest has et omnes alias virtutes esse debitas Deo qui alius est a nobis, et earum violationem esse Deo injuriosam. Hanc doctrinam tenet Suarez (*a*), sed communiter docent theologi homines non teneri ad observationem mandatorum ex justitia stricta seu commutativa (de qua quæstione vide infra n. 33), sed titulis obedientiæ, gratitudinis, amoris, &c. Nihilominus quoniam ipsa obedientia et gratitudo sunt virtutes ad alium, omnes virtutes, eo sub respectu quo Deo debentur, inter partes justitiæ potentiales numerari possunt ; sed quia virtutes ab iis quos *immediate* respiciunt, distribuuntur, et quædam dantur quarum officia Deum aut ejus cultum immediate respiciunt, quæ in prima decalogi tabula continentur ; quædam quæ nosmetipsos, et quædam quæ proximum immediate respiciunt, ideo in virtutes ad Deum, ad nosmetipsos, et ad proximum, rite distribuuntur. Etenim quamvis qui se inebriat legem Dei violat, nihilominus virtus temperantiæ non immediate versatur circa Deum aut ejus cultum, sicut virtutes quæ tribus primis decalogi præceptis imperantur ; sed proxime respicit moderationem nostrarum passionum. Attamen ex violatione etiam præceptorum quæ nos immediate respiciunt, statim oritur debitum erga Deum, nempe pœnitentiam agendi ;

(*a*) Opusc. de Justitia Dei.

pro peccato et hæc virtus pœnitentiæ potentialiter ad justitiam pertinet.

§ II. *Definitio justitiæ formaliter sumptæ profertur et explicatur: ejus materia et forma: virtutes potentialiter ad justitiam pertinentes ab hac definitione excluduntur.*

22. Justitia accepta pro omni virtute ad alium immediate ordinata in justitiam *potentialem* et *formalem* dividitur. De priore jam satis diximus. Justitia formalis sicut potentialis est virtus ordinata ad *alium,* sed præter hanc conditionem aliæ duæ necessariæ sunt ad justitiam formalem constituendam, nempe *debitum* saltem negativum jus alterius non violandi, et *æqualitas,* quarum una aut altera, uti videbimus, in virtutibus quæ ad justitiam tantum potentialiter pertinent semper deficit. Justitia formaliter sumpta definitur, *virtus moralis inclinans voluntatem ad constanter et perpetuo reddendum unicuique jus suum ad æqualitatem* (*a*). Ex dictis patet justitiam esse 1. virtutem moralem, nam voluntas reddendi unicuique quod ei debetur, habitus est bonus rectæ rationi legique divinæ conformis. Hæc autem virtus moralis est, non theologica, quia immediate non Deum, sed officia proximo debita respicit; 2. constanter et perpetuo mentem inclinare dicitur: *constanter,* id est firmiter et non per simplicem vellietatem. Nam exercitium virtutis justitiæ constantiam exigit ex parte voluntatis, ad superandam avaritiam, concupiscentiam aliasque graves difficultates quæ exercitio justitiæ obstant. Dicitur perpetuo voluntatem inclinare non ex parte actus, sic enim sola Dei voluntas est perpetua, sed ex parte objecti, quatenus justus vult perpetuo et in omnibus jus suum cuique reddere. "Non enim," ait Billuart (*b*), "ad rationem justitiæ sufficit, quod aliquis velit servare justitiam ad horam et in aliquo tantum negotio; quia vix invenitur aliquis qui velit in omnibus et semper injuste agere; sed requiritur quod homo habeat voluntatem conservandi justitiam perpetuo et in omnibus."

23. Ex dictis de virtutibus in genere patet, justitiam cum aliis virtutibus moralibus in iis quæ hactenus diximus convenire; cætera verba definitionis ejus propriam naturam quatenus et in

(*a*) Ita quoad substantiam Ulpianus L. 10. ff. 1. 1. de just. et jure "Est" ait "constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi." Hæc definitio accipitur a S. Thom. 2. 2. qu. 58 a, 1. ad 1. et post eum a theologis et utriusque juris interpretibus.

(*b*) De justitia, a. 1.

se tanquam virtus distincta constituitur, et ab aliis omnibus distinguitur, explicant.

Dicitur ad *reddendum*, quia si quis res alienas, invito eorum domino habet, justus esse nequit, nisi illas domino reddat. Et in hoc actu positivo etiam actus negativus non privandi quemquam rebus suis includitur; qui enim paratus est res injuste ablatas restituere, sane non vult novas injurias proximo inferre.

Dicitur *unicuique*, id est omnibus sine ulla exceptione, qui enim vel unum injuria afficeret justus esse nequit. Per hoc verbum etiam significatur justitiam essentialiter *alterum* respicere. Nam, ut ait S. Thom. (*a*), "Cum nomen justitiæ æqualitatem importet, ex sua natura justitia habet quod sit ad alterum; nihil enim est sibi æquale, sed alteri. Et quia ad justitiam pertinet actus humanos rectificare, necesse est quod æqualitas ista quam requirit justitia, sit diversorum." Ideoque si aliquando quis justitiam erga se observare asseritur, locutio est metaphorica, quia nemo proprie sibi ipsi justitiam reddit aut erga seipsum injustitiam committit. Et per hanc proprietatem justitia ab omnibus virtutibus moralibus quæ sunt *ad nos* distinguitur (*b*).

24. Sed hic observandum est, cum Salmanticensibus, "Quod actio exterior injusta v. g. adulterium potest dupliciter considerari: 1. ut oritur a passione, 2. ut terminatur ad rem. Prout oritur a passione concupiscentiæ, pertinet ad temperantiam eam corrigere actionemque illam injustam avertere, non ut injusta est, sed ut est a passione inordinata. At vero, prout terminatur ad rem, et sic jus alterius infringit, pertinet ad justitiam, talem actionem injustam, qua injusta est, avertere. Et quia actiones exteriores non tam specificantur a passionibus interioribus, a quibus procedunt, quam ab ipsis rebus quas attingunt, fit inde actionem illam absolute esse injustam, esseque munus justitiæ eam avertere" (*c*). Justitia itaque non versatur circa passiones hominum tanquam circa materiam, sicut fortitudo aut temperantia, sed circa res quæ aliis debentur, et actiones externas quibus suum cuique redditur.

25. Dicitur *jus suum*. Quoniam postea de Jure expresse tractandum est hic sufficiet post Salmanticenses (*d*) triplicem hujus vocis significationem indicare. Primo accipitur pro lege; quo sensu dicimus jus naturale, jus divinum positivum, jus gen-

(*a*) 2. 2. q 58 a, 2. in corp.
(*b*) Sed non semper requiritur alteritas realis suppositi, quando bona diversa sunt. Cf. inf. n. 87.
(*c*) De Just. cap. 1. punct. 2. n. 13.
(*d*) Ibid. punct. 1. n. 1.

tium, jus canonicum, jus civile. Secundo accipitur pro legitima facultate quæ nobis competit ad aliquid agendum, recipiendum, retinendum, avertendum, &c.; quo sensu jus ad aliquid habere dicimur. Tertio accipitur pro eo quod justum est seu alteri debitum: quo sensu dicimur alteri jus suum reddere.

Sed advertendum est quod jus non solum a lege justitiæ, sed etiam a legibus quæ in aliis virtutibus sedem habent derivari potest. Sic jus patris ad obsequium filii in lege pietatis, jus superioris ad obedientiam subditi in lege obedientiæ fundatur. In præsenti loquimur solummodo de jure quod in lege justitiæ fundatur. Quomodo jus illud et in se constituatur, et ab omnibus aliis juribus distinguatur, infra dicetur. Jus itaque hoc sensu intellectum et in tribus acceptationibus supra expositis ad tractatum de justitia pertinet. Juxta primam acceptationem, jus est regula determinans id ad quod quis legitimam habet potestatem a lege justitiæ derivatam. Omnis enim legitima potestas, uti ipsa verba indicant, a lege aliqua derivatur, uti jam diximus. Hic autem loquimur de lege justitiæ. Sic homo habet evidenter a lege naturali quæ circa materiam justitiæ versatur, legitimam potestatem vim vi repellendi, injusto aggressori vitæ, vel membrorum resistendi, et a lege divina facultatem habet sacramenta suscipiendi. Habet etiam a lege humana legitimam facultatem ad plura v. g. ad ea quæ præscriptione acquiruntur, uti infra ostendetur. Itaque jus secundo sensu acceptum, id est pro legitima facultate ad aliquid, in jure in primo sensu, seu pro lege accepto, fundatur. Ita quoque jus tertio in sensu, seu pro eo quod alteri debetur, acceptum, a jure juxta secundam significationem profluit. Illud enim ad quod agendum aut retinendum legitimam habeo potestatem, meum est vel mihi juste debetur. Sic vita mea, libertas mea, bona mea, sunt jus meum seu juste ad me pertinent; legitimam enim facultatem illis utendi a lege naturali accepi, et qui hæc bona a me aufert, seu me in illorum usu legitimo impedit, jus meum violat, et me injuria afficit. Jus sic passive sumitur pro eo quod alteri debetur. In hoc sensu est objectum materiale virtutis justitiæ, et ita in definitione accipitur.

26. Diximus supra n. 22. virtutem justitiæ formalis semper supponere *debitum* saltem *negativum*, jus alterius non violandi. *Jus* enim in uno, *obligationem* in alio hoc jus non violandi denotat. Sic quamvis alius jus habet suis manibus utendi, attamen non potest illis uti ad me percutiendum. Hoc violaret jus meum, et mihi *debitum* est ut in usu suarum manuum me non percutiat. Sed quoniam hoc debitum est pure negativum, nullum actum ex

parte ejus qui hoc mihi debet exigit. Equidem si propter iram tentatur me vulnerare tenetur non solum ex virtute caritatis erga seipsum passionibus suis juxta normam rectæ rationis moderari, sed etiam ex virtute justitiæ erga me hunc actum injustum evitare; sed si actum evitat nihil positivum mihi debet, quia nullius injustitiæ erga me reus erat. Itaque ipsa virtus justitiæ nullum supponit debitum positivum, neque ullam rem seu actionem alteri debitam; imo ille vere justus est qui nihil cuiquam debet juxta verba Apostoli (*a*), "nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis." Attamen homines in societate viventes necessario actus in materia justitiæ frequenter exercent, quos actus virtuti justitiæ conformare tenentur. Sic mercatores, negotiatores, opifices, medici, jurisperiti et uno verbo omnia membra societatis debita positiva justitiæ jugiter incurrunt. Hæc debita inter cives privatos per proprios eorum actus, nempe venditionis, emptionis, et multarum aliarum commutationum quæ inter illos obtinent, producuntur, unde hæc species justitiæ *commutativa* nominatur.

27. Sed quando cives non qua privati homines sed qua membra reipublicæ considerantur, inde debita etiam positiva absque eorum actibus propriis exurgunt. Ex relationibus enim quibus societas civilis in unum corpus et in unam rempublicam coalescit, varia exurgunt ex una parte *jura* et ex altera debita; quia hæc duo correlativa sunt. Tota enim communitas jus habet ut singuli cives legibus obediant; et cives debitum seu obligationem incurrunt legibus obtemperandi. Primo, itaque, est debitum negativum leges non violandi, et quoniam lex quasdam actiones et res a civibus juste exigere potest, inde oritur *debitum positivum* hæc præstandi. Deinde est debitum quod ipsa societas vel ii qui ejus nomine communitati præsunt, singulis membris debent, nempe onera publica et honores juxta facultates et merita civium distribuendi, quod debitum non solum negativum est, distributionem iniquam prohibens, sed etiam *positivum*, quia distributionem justam exigit. Præterea quoniam in omni communitate iniqui sunt homines a quibus pax societatis violatur et jura civium invaduntur, tenetur tota societas, seu is qui ejus nomine præsidet, tranquillitatem reipublicæ et jura civium sigillatim sumptorum conservare, legum transgressores debite puniendo. Verba *jus suum* in definitione, jus alterius his omnibus modis intellectum complectuntur, quia has omnes juris species diversas illæsas servare ad virtutem justitiæ formalis pertinet, et ille vere

(*a*) Ad Rom. xiii. 8.

justus est, qui non solum ab injuria proximi abstinet, sed insuper solvit omnia hæc debita, ut docet Apostolus(*a*): "Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, &c.; nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis."

28. Dicitur ad *æqualitatem.* Æqualitas est duplex, nempe rei ad rem et proportionis ad proportionem; id est, arithmetica et geometrica. In priore si octodecim debes octodecim reddenda sunt, sive creditor sit pauper sive dives bonus aut malus. In posteriore si distribuenda sint octodecim inter duos homines quorum unus habet merita ut duo, alter ut quatuor, uni dari debent sex, alteri duodecim, quia æqualitas servanda non est rei ad rem sed proportionis ad proportionem, et duo eandem proportionem habent ad sex, quam quatuor ad duodecim. Jamvero quoniam munus justitiæ est æqualitatem constituere ita ut unicuique reddatur quod ipsi debitum est, et quoniam ex dictis debita sunt valde diversa, sic æqualitas servanda necessario diversa est. In justitia enim illa quæ fundatur in jure quod quisque habet ad bona sua, et quæ etiam ex commutationibus inter cives exurgit, servanda est æqualitas arithmetica, et sic si centum injuste abstulisti centum restituere teneris. In justitia vero distributiva nullatenus servari debet æqualitas rei ad rem sed proportionis ad proportionem, iniquum enim esset in oneribus ob bonum publicum imponendis tantum a paupere quantum a divite exigere; aut in officiis conferendis nullam rationem aptitudinis aut meritorum civium habere. In justitia legali æqualitas ex parte subditi est impletio legis, quia debitum ejus præcipuum est obligatio legem servandi, in vindicativa est adæquatio pœnæ ex parte ipsius communitatis ad gravitatem delicti ex parte subditi delinquentis.

29. Per explicationem definitionis patet quod in ea vox justitia non est *univoca,* ut post Viva (Cursus Theolog. P. 5, D. 3, q. 2, a. 2, n. 5.), observat Schmalzgrueber (Jus Ecclesiast. Dissert. Præm. n. 11), nam voce justitia nonnisi analogice de variis justitiæ speciebus utimur, quia non omnino eodem in sensu in omnibus accipitur, sed partim eodem in sensu et partim in sensu diverso. Eodem in sensu in omnibus justitiæ speciebus accipitur in quantum in omnibus speciebus reddit 1 *alteri,* 2 quod ei debitum est, et 3 ad æqualitatem. In sensu autem diverso et analogico in diversis justitiæ speciebus accipitur, in quantum et debitum, et æqualitas, et etiam ipsa alteritas in diversis speciebus, diverso in sensu accipiuntur. Sed propter tres proprietates jam numeratas, quæ in actibus omnium

(*a*) Ad Rom. loc. cit.

dictarum justitiæ specierum inveniuntur, hæ omnes partes *subjectivæ* justitiæ formalis nominantur, quia omnes eidem generali definitioni subjiciuntur, in eaque comprehenduntur.

30. Objectum materiale seu id circa quod versatur justitia est jus alterius passive sumptum, seu res alteri debitæ vi tituli fundati in aliqua ex quatuor justitiæ subjectivæ speciebus. Ipsæ res debitæ objectum materiale remotum efformant; actiones quibus res suæ alteri traduntur sunt ejus objectum materiale proximum, sive, ut loquitur S. Thom. (*a*), "Materia justitiæ est operatio exterior, secundum quòd ipsa vel res quâ per eam utimur, proportionatur alteri personæ, ad quam per justitiam ordinamur. Hoc autem dicitur esse suum unicuique personæ quod ei secundum proportionis æqualitatem debetur: et ideo proprius *actus* justitiæ nihil aliud est quam reddere cuique quod suum est." Advertendum tamen quod res debitæ sunt diversæ in diversis justitiæ speciebus: in commutativa, materia remota actionum quæ hac virtute imperantur, est res aliena, vel æquivalens compensatio injuriæ illatæ; materia proxima ipsæ actiones quibus hujusmodi res restituuntur. In aliis vero justitiæ speciebus materia remota ad eum cui tradenda est non pertinet titulo dominii, sed alio prorsus diverso; in justitia v. g. legali ex parte subditorum materia remota consistit ex iis rebus quæ a singulis civibus exiguntur ob bonum commune, materia proxima ex actionibus quibus hujusmodi res traduntur. Idem dicendum est de distributiva et vindicativa ut ex dicendis patebit.

31. Objectum formale est jus alterius active sumptum, seu ratio *debiti*, id est ratio quare hanc rem ipsi ex justitia tradere tenear, sic v. g. si res alienas ipso invito possideo, illas reddere obligor, quia ille jus seu facultatem legitimam habet ut res suæ ipsi tradantur, et si illas retineo injustitiæ contra ipsum reus sum. Sic etiam justitiæ legalis quatenus inest subditis objectum formale est jus quod communitas habet ut singula membra legibus ob bonum commune obtemperent.

32. Justitia sic explicata est virtus cardinalis et quidem specialis, quia habet speciale objectum materiale et formale uti ex dictis constat. Neque huic obstat quod plures diversas species inferiores continet, quia hoc etiam verum est de aliis virtutibus cardinalibus et etiam de ipsa justitia commutativa prout suo loco videbimus. Justitiam prout a nobis definitam, esse virtutem specialem expresse docet S. Thom. (*b*), dicens, "Cum justitia ordinetur

(*a*) 2. 2. q. 58 a. xi. in corp.
(*b*) Loc. cit. qu. 58 a. viii. in Corp. et ad 2.

ad alterum, non est circa totam materiam virtutis moralis, sed solum circa exteriores actiones et res, secundum *quandam rationem objecti specialem,* prout scilicet secundum eas unus homo alteri co-ordinatur." . . . et paulo infra, "Virtutes cardinales dupliciter accipiuntur: uno modo secundum quod sunt *speciales virtutes* habentes determinatas materias," et hoc modo ipse accipit justitiam juxta præfatam definitionem, prout sub se alias species justitiæ inferiores continet.

33. Constat ex dictis istas etiam virtutes quæ sunt ad alium et potentialiter tantum ad justitiam pertinent, ad justitiam formaliter sumptam, et qua est virtus specialis, non attinere. Sic a ratione justitiæ formalis excluduntur omnes virtutes morales quæ Deum immediate respiciunt, ut religio, pœnitentia, obedientia, &c., quæ verum quidem debitum continent, non vero fundatum in titulo dominii (quia, ut postea de dominio agentes probabimus, creatura non potest supremum Dei dominium invadere), sed debentur titulo vel excellentiæ supremæ, uti debitum religionis, vel bonitatis infinitæ in qua fundatur debitum amoris et doloris propter offensam patris optimi, vel superioritatis ut in obedientia, vel in alio titulo a dominio diverso, de quibus quæstionibus videri possunt si lubet Suarez (*a*), Vasquez (*b*), et Lugo (*c*), qui de his et similibus in scholis libere agitatis minime concordant. Sed quidquid est de hac quæstione, tertia conditio ad justitiam formalem requisita, quando agitur de actibus a creatura ad Deum debitis omnino deficit. In justitia enim debitor per se loquendo ad æqualitatem aut arithmeticam aut geometricam reddere tenetur, sed creatura propter infimam ejus conditionem comparatam cum summo Deo, a quo etiam quidquid habet accepit, ad neutram reddere potest æqualitatem. Itaque creatura erga Deum ex justitia formali obligari nequit, tum quia dominium supremum Dei invadere nequit, tum etiam quia obligari nequit ad impossibile, id est Deo reddere quantum ei debetur, et sic docet S. Thomas. "Dicendum," ait (*d*), "quod quia justitia æqualitatem importat, Deo autem non possumus æquivalens recompensare, inde est quod *justum* secundum perfectam rationem non possumus reddere Deo." Et quamvis etiam inter homines quædam injuriæ, uti occisio hominis, reparari non possunt, attamen hoc inde oritur, quod dominium plenum quarundum rerum Deus hominibus non dedit, quam rem agentes de dominio exponemus. In iis

(*a*) De Incarnatione disp. 4. sect. 5. (*b*) De Incar. disp. 7.
(*c*) De Incarnat. disp. 3. sect. 3. (*d*) Loc. cit. q. 57 a. 1. ad. 3.

vero omnibus rebus quarum plenum dominium hominibus traditur, possunt per se ad æqualitatem satisfacere : sic per se loquendo qui centum abstulit, centum restituere potest, et si hoc aliquando fieri nequit, est omnino per accidens propter inopiam creditoris. At in nullo casu possumus debita nostra Deo solvere ad æqualitatem, nunquam enim possumus ipsum colere, aut pœnitentiam agere ad æqualitatem, quia cultu et obsequio infinito dignus est. In his omnibus intrinsece repugnat dari posse æqualitatem, et ideo actus quibus talia debita solvuntur non possunt proprie, sed tantum potentialiter, ad justitiam pertinere.

34. Virtutes ad alium hominem morales a justitia diversæ sunt, pietas, observantia, obedientia, veracitas, gratitudo, benevolentia, amicitia et liberalitas, quibus a quibusdam misericordia adjicitur. Jamvero in his omnibus deficit aut una aut altera ex conditionibus ad justitiam formalem constituendam requisitis. *Pietas* est virtus qua parentibus et patriæ officium et cultus tribuitur. Sed debitum pietatis non fundatur in justitia, sed in ratione principii ortus et institutionis. Et ideo si filius hæc officia non implet non dicitur injustus sed iniquus et impius, quia erga parentes vel patriam officia debita non præstat. Neque in his officiis datur æqualitas aut arithmetica aut geometrica, multum enim pendent ex circumstantiis ; si enim parentes sint divites nihil omnino iis elargiri tenemur, nisi reverentiam et obedientiam, secus si sint pauperes. Sed hic cavendum est ne debitum pietatis erga patriam quod fundatur in amore soli nativitatis nostræ, confundatur cum debito justitiæ legalis quod in principio justitiæ fundatur, nempe quod omne membrum communitatis a qua protectionem vitæ et proprietatis accipit, ejus bonum, per observationem legum, et ad communia onera juxta facultates et necessitatem publicam contribuendo, promovere tenetur. *Observantia* est virtus qua personis præstantibus sive dignitate, sive ætate, sive doctrina, sive sanctitate vitæ, signa honoris et reverentiæ deferimus. Evidens est quod hoc debitum in justitia non fundetur, et ideo qui hanc virtutem non colit, non injustus sed irreverens dicitur. *Obedientia* est virtus quæ reddit hominem promptum et alacrem ad exequendam voluntatem superioris præcipientis. Non hic loquimur de superiore qua totam communitatem repræsentat et in quantum quædam officia ab bonum commune exigit ; hæc enim ipsi superiori, sed non propter ipsum præstanda sunt, et ex justitia legali debentur. Sed quando officia quæ præstantur ipsi superiori exiguntur non ob bonum commune, sed ob aliam justam causam,

quia v. g. judicat aliquid esse expediens ipsi quem imperat, tunc obligatio non est justitiæ sed obedientiæ, et subditus mandatum non implens non est injustus sed inobediens. Debitum *veracitatis* non in justitia sed in honestate fundatur, scilicet ut homo alteri homini in societate humana tuto credere possit. Potest quidem homo per mendacia jura aliena violare, sed eum qui mentitur jocose aut officiose hoc ipso reum esse injustitiæ nemo dixerit. Evidens est quod debita gratitudinis, benevolentiæ, amicitiæ, et liberalitatis a justitia non oriuntur, ut etiam ipsa nomina clare ostendunt. *Misericordia* est virtus quæ nos ex compassione inclinat ad alienæ miseriæ subveniendum. Ejus præcipuum opus temporale est eleemosyna, quæ juxta S. Thom. (*a*), "Est opus quo datur aliquid indigenti propter Deum." Manifestum autem est debitum seu misericordiæ seu eleemosynæ non fundari in justitia; neque in eleemosyna datur æqualitas aliqua determinata; ejus enim quantitas proximi necessitatibus et nostris superfluis determinatur. Et quamvis numerari potest eleemosyna inter partes justitiæ potentiales in quantum erga proximum exercetur; attamen inter Christianos melius ad virtutem charitatis theologicam revocatur, quia proximo non subvenitur propter pure naturalem misericordiam, sed propter Dei dilectionem, juxta illud S. Johannis (*b*), "Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?"

35. In definitione jam exposita et in subsequentibus hujus tractatus disputationibus de virtute naturali justitiæ agimus. Si quis definitionem virtutis specialis supernaturalis justitiæ desiderat sic accipiat: Justitia supernaturalis est virtus moralis divinitus infusa inclinans voluntatem ad constanter et perpetuo reddendum unicuique jus suum ad æqualitatem ob motivum supernaturale seu fide cognitum. Ex supra dictis hæc definitio satis intelligitur.

(*a*) 2. 2. q. 32. (*b*) Ep. 1. cap. iii. 17.

DISPUTATIO TERTIA.

DE DIVISIONE JUSTITLÆ IN LEGALEM, DISTRIBUTIVAM, COMMUTATIVAM, ET VINDICATIVAM. JUSTITIA LEGALIS EXPONITUR.

36. Ex dictis constat quod ex vinculis quibus membra societatis in unum corpus, seu in unum rempublicam coadunantur varia exurgunt debita. Primo enim singula membra societatis ejus legibus obedire et ad onera communia necessaria contribuere tenentur, et justitia quæ habet hoc debitum pro objecto *legalis* seu *generalis* dicitur. Deinde qui communitati præsunt debitum incurrunt communia onera, et communia bona societatis juxta facultates et merita singulorum membrorum distribuendi, unde justitia quæ habet hoc debitum pro objecto *distributiva* nominatur. Tertio ex venditionibus, emptionibus, aliisque commutationibus bonorum, quæ inter ipsos cives obtinent debita oriuntur: et inde justitia quæ habet hoc debitum pro objecto *commutativa* nominatur. Denique communitas seu illi qui ei præsunt criminum contra bonum commune reos punire tenentur; si enim homicidis, furibus et latronibus impune grassari permitteretur societas stare non posset: justitia cujus objectum est debitum criminosos puniendi *vindicativa* appellatur. Itaque per justitiam legalem ordinantur partes ad totam societatem seu ad unum corpus morale, per distributivam ordinatur tota societas ad partes, per commutativam ordinantur partes inter se, et per vindicativam membra corrupta abscinduntur.

§ *Unica. De definitione et natura justitiæ legalis seu generalis.*

37. *Justitia legalis est virtus moralis constanter et perpetuo inclinans totam societatem ad actiones membrorum singulorum præsertim per leges justas in bonum commune ordinandas, et inclinans singula membra ad omnia ea quæ ob bonum commune requiruntur, toti reipublicæ collective sumptæ, in quantum possunt, reddenda.*

38. Itaque residet hæc virtus et in ipsa communitate, seu in ea vel in iis quibus potestas leges ferendi et executioni mandandi committitur, et in subditis singulatim sumptis, qui præ-

sertim per observationem legum et etiam per alios actus requisitos bonum publicum promovere tenentur. Potestas legislativa in omni republica est suprema; et quando a potestate leges exequendi disjungitur, is vel ii quibus executio legum committitur ei subjiciuntur. Potestas suprema et leges condendi et executioni mandandi alicui individuo committi potest, sed quando diversis, personis committitur, prout de facto in nostra constitutione obtinet, suprema potestas apud eos qui leges ferre possunt manet; et ille cui suprema legum administratio committitur, neque novas leges condere, neque jam latas aut abrogare aut mutare potest, ejusque potestas intra limites a legislativa potestate præscriptos omnino coarctatur. Is vero seu ii quibus potestas leges condendi et exequendi committitur quique unum caput morale efformant, bonum singulorum societatis membrorum præsertim leges justas condendo et executioni mandando promovere tenentur. Dixi præsertim leges, &c., quia in necessitate communi, v. g. incursione ab hostibus facta, per media extraordinaria pro salute reipublicæ providere tenentur. Justitia legalis in capite dicitur *imperans;* in membris autem quæ uti ex dictis patet vi hujus virtutis bonum commune præsertim per observationem legum promovere tenentur *exequens* appellatur. Quidquid autem est de principe cui tota reipublicæ potestas legislativa committitur, de qua quæstione consuli potest Suarez (*a*) manifestum est quod, non solum in regimine populari, sed et in monarchia limitata qualis est nostra, in iisdem personis justitia et imperans et exequens residet, nam illi ipsi a quibus leges feruntur illas, in debita materia, servari tenentur.

Dicitur hæc virtus justitia *legalis*, quia præsertim leges ferendo, exequendo, et observando, propter bonum commune, bonum reipublicæ promovetur. Etiam *generalis* appellatur, "in quantum scilicet ordinat actus aliarum virtutum ad suum finem, quod est movere per imperium omnes alias virtutes; sicut enim charitas potest dici virtus generalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum divinum, ita etiam justitia legalis, in quantum ordinat actus omnium virtutum ad bonum commune. Sicut ergo charitas, quæ respicit bonum divinum ut proprium objectum, est quædam specialis virtus secundum suam essentiam, ita etiam justitia legalis est quædam specialis virtus secundum suam essentiam, secundum quod respicit commune bonum ut proprium objectum. Et sic est in principe principaliter et quasi architectonice; in subditis autem secundario et quasi administrative . .

(*a*) De Legibus lib. 3. c. 33.

"Quælibet virtus secundum propriam rationem ordinat actum suum ad proprium finem illius virtutis; quod autem ordinetur ad ulteriorem finem sive semper sive aliquando, hoc non habet ex propria ratione; sed oportet esse aliam superiorem virtutem, a qua in illum finem ordinetur; et sic oportet esse unam virtutem superiorem, quæ ordinat omnes virtutes in bonum commune, quæ est justitia legalis, et est alia per essentiam ab omni virtute" (*a*). Sic quando respublica aliquos cives juste jubet contra hostes dimicare, qui aliàs hoc facere non tenentur, hoc facientes actum justitiæ legalis exercent, quia actus fortitudinis quem perficiunt vi mandati ob bonum commune ideoque ex justitia legali debetur. Si vero non solum ex justitia legali sed ex alia etiam virtute, puta ex justitia commutativa, quis eundem actum perficere teneatur, ut v. g. miles qui stipendium accipit ad suum munus rite obeundum, tunc tenetur mandata reipublicæ exequi non solum ex justitia legali, sed etiam ex commutativa propter contractum onerosum qui inter ipsum et rempublicam intercedit. Sic etiam quando respublica jubet aliquem damnum civi privato injuste illatum reparare, hoc facere tenetur ex justitia tam commutativa quam legali; ex priore uti patet, et ex posteriori quia bonum publicum omnino exigit ut damna etiam privatis injuste illata reparentur. Quando ergo leges vetant ne quis in persona aut in bonis injuste lædatur, hoc *primario* et *immediate* propter bonum commune ordinatur, sed secundario et mediante justitia commutativa etiam in commodum civium privatorum dirigitur. "Justitia legalis," ait S. Thom. (*b*), "sufficienter quidem ordinat hominem in his quæ sunt ad alterum; quantum ad commune quidem bonum, immediate; quantum autem ad bonum unius singularis personæ, mediate. Et ideo oportet esse aliquam particularem justitiam, quæ immediate ordinat hominem ad bonum alterius singularis personæ."

39. Justitiæ legalis imperantis objectum materiale ex iis omnibus rebus et officiis componitur quæ tota communitas ob bonum commune ab omnibus suis membris exigere debet. Leges et mandata quibus hujusmodi res et officia exiguntur objectum ejus proximum constituunt. Formale objectum est obligatio seu debitum quo tota societas actus membrorum singulatim sumptorum ad bonum totius ordinare tenetur. Materiale objectum remotum justitiæ legalis exequentis ex iis omnibus rebus et officiis conflatur quæ toti communitati ab omnibus ejus membris

(*a*) S. Thos. 2. 2. q. 58. a. 6. in corp. et ad 4.
(*b*) Loc. cit. a. 7. ad 1.

qua præcise ejus membra sunt debentur; proximum constat ex actibus quibus res et officia debita redduntur. Objectum formale est obligatio seu debitum quod singula membra communitatis contrahunt bonum commune totius communitatis cujus sunt membra promovendi; quod debitum in jure totius communitatis super singulas ejus partes fundatur. "Nam," ait Lugo (*a*), "sicut filius præstat erga patrem officia, quæ præstare potest erga alios, sed tamen ex affectu diverso, nempe propter peculiarem conjunctionem, quam habet cum patre, tanquam cum suo principio, ita potest præstare eadem officia erga rempublicam, vel communitatem cujus est pars, propter illam peculiarem conjunctionem, quam habet cum ipsa tanquam membrum cum corpore, et sicut delictum habet peculiarem circumstantiam ex eo quod fiat contra patrem; ita ex eo quod fiat contra propriam rempublicam, vel communitatem, quam peculiari titulo tenetur unusquisque defendere, et juvare. Hæc itaque virtus distinguitur ab aliis ex objecto: a pietate quidem, quia respicit bonum commune illius communitatis, cujus membrum, et pars est, qui operatur, quod non habet pietas. Item ab obedientia, quia hæc inclinat formaliter ad honestatem obediendi superioribus: illa autem virtus non attendit ad honestatem obediendi, sed ad procurandum bonum commune propriæ reipublicæ vel communitatis." Deinde quando superior imperat ex virtute obedientiæ, primario respicit bonum ipsius subditi: quando vero ex justitia legali, ad bonum commune totius societatis primario attendit.

40. Ex dictis patet quod justitia legalis est virtus specialis ab aliis etiam justitiæ formalis speciebus distincta, quia speciale habet objectum et materiale et formale; et insuper quod ad justitiam formalem pertinet, continet enim 1. verum debitum, 2. est ad alterum, et 3. quamdam servat æqualitatem. Est ad alterum si consideretur ut in tota republica existit, quia distinguitur tota respublica in qua justitia legalis imperans residet, a membris singulatim sumptis quorum actus in bonum commune dirigere tenetur. Ob similem rationem est ad alium si consideretur ex parte subditorum, quia illi a tota republica cui obedire tenentur, distinguuntur. 3. In hac virtute, uti ex dicendis statim patebit, æqualitas quædam servanda est.

41. Non tamen est virtus justitiæ rigorose dictæ, ex cujus violatione oritur obligatio restitutionis, quia primo non est perfecta

(*a*) De just. disp. 1. sect. 4. n. 64. Cf. etiam id. ibid. n. 62.; S. Thom. 2. 2. q. 58. a. 8.; Lessius de Just. lib. 2. c. 1. dub. 3. n. 11.; Salmant. de Just. cap. 1. punct. 3. n. 18.; Billuart de Just. dissert. 5. a. 2.; Carrier. de Just. cap. præv. n. 6.

alterietas, quoniam debitum et totius erga singula membra, et singulorum membrorum erga totam rempublicam in ipsis vinculis fundatur quibus omnia membra in unum corpus coadunantur. 2. Quamvis sit verum jus et debitum, tale non est quale ad justitiam strictam requiritur. Jus enim requisitum ad debitum justitiæ strictæ inducendum est jus dominii seu proprietatis ut infra dicetur. Sed jus quod exurgit inter totam societatem ejusque membra individua, non est jus proprietatis, neque cives legibus non obedientes ad restitutionem tenentur, uti omnes agnoscunt, et postea ubi de justitia stricta latius explicabitur; ideoque qui leges non adimplent, non injusti sed impii et rebelles dicuntur, et societas ab illis non restitutionem sed pœnam exigit.

42. Justitia legalis est virtus eadem specifica tam in capite quam in membris, quoniam habet idem objectum formale, quia et caput et membra, eo quod sunt partes ejusdem reipublicæ, ad bonum totius promovendum moveri debent (*a*).

43. Hic agimus de virtute *naturali* justitiæ legalis; et quando dicimus hanc virtutem in omnibus societatis membris residere, tantum de ejus subjecto proprio loquimur, quia et caput et membra non raro hac virtute destituuntur. Virtus hæc per actus repetitos acquiritur. Supernaturalis autem virtus justitiæ legalis simul cum gratia sanctificante infunditur. Ad actus supernaturales eliciendos, præter habitum supernaturalem, motivum supernaturale et auxilium gratiæ requiruntur.

44. Quamvis vero a ratione strictæ justitiæ, ex cujus violatione obligatio restitutionis oritur, justitia legalis deficit, est virtus perfectior quam justitia rigorosa, quia hæc immediate ad bonum privatorum ordinatur, dum justitia legalis bonum commune immediate respicit, quod omnino præstantius est, et cui bonum privatum cedere debet. Sicut, itaque, charitas, quamquam est virtus specialis, attamen generalis dici potest, quia actus aliarum virtutum, ex Dei amore imperare potest, et ita illos ad finem omnium optimum dirigere; sic etiam justitia legalis aliarum virtutum moralium actus ad finem superiorem boni communis ordinat. Et hinc dicit S. Thom.(*b*): "Si loquamur de justitia legali, manifestum est quod ipsa est præclarior inter omnes virtutes morales, in quantum bonum commune præeminet bono singulari unius personæ; et secundum hoc Philosophus, in 5 Ethic., cap. 1, ante fin., dicit quod *præclarissima virtutum videtur esse justitia, et neque est Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis.*"

45. Ex dictis, peccat contra justitiam legalem omnis civis qui

(*a*) Cf. Lugo loc. cit. n. 67. (*b*) 2. 2. q. 58 a. 12. in corp.

non reddit reipublicæ quicquid ei debet propter bonum commune totius communitatis, et hoc peccatum "legalis injustitia" vocatur. Sed hæc circumstantia *generalis* est, quæ in omni peccato quo bonum commune læditur, invenitur, et proinde hanc in confessione explicare necesse non est, quia declarato peccato furti, v. g. aut homicidii, oppositio quam habet contra bonum commune et proinde contra justitiam legalem statim intelligitur. Aliud vero esset si contra bonum commune expresse peccaretur, ut si quis arma furaretur aut excubitorem occideret, ea intentione ut propria sua patria ab hostibus vinceretur. Tunc enim non sufficeret se furti aut homicidii accusare, sed circumstantiæ specialis injustitiæ legalis mentionem facere debet. Idem dicendum est si injuste contra propriam patriam vel civitatem machinatus sit, quia tunc non solum injustæ machinationis, sed insuper circumstantiæ specialis quod machinatio contra propriam erat patriam se accusare tenetur.

46. Et idem dicendum est, si peccatum haberet specialem oppositionem contra bonum commune alicujus specialis communitatis cujus membrum est ipse peccator. Quamvis enim virtus quæ violatur in hoc casu, non solet justitia legalis appellari, quia hæc virtus ad bonum totius reipublicæ, vel partium in quantum sunt partes istius totius, non vero in bonum alicujus privatæ communitatis in se consideratæ, inclinat; attamen datur virtus specialis quæ inclinat membra etiam communitatis privatæ ad ejus bonum promovendum, quæ virtus ejusdem est rationis ac justitia legalis, et contra hanc virtutem sæpius occurrit specialis circumstantia in confessione exprimenda, quam in peccatis quibus ipsa justitia legalis violatur, quia facilius læditur graviter communitas minor iniqua actione subditi, quam respublica universalis. Sic dicere fures aut scortatores plures esse in republica bonum commune non læderet, quia hoc et verum et notum est; sed dicere tales esse in aliqua domo religiosa eam gravissime læderet, et si ipse injustus calumniator hujus domus esset membrum, utique hujus circumstantiæ se accusare debet (*a*).

47. Hic plures auctores de concurrentia justitiæ commutativæ cum legali agunt. Sed quoniam hæc materia disquisitionem de contractu implicito qui inter caput et membra societatis intercedit, involvit, de ea commodius disputare poterimus, postquam naturam ipsius justitiæ commutativæ investigaverimus.

(*a*) Cf. S. Thom. 2. 2. q. 59, a. 1. et q. 79. a. 2.; Lugo disp. 1. sect. 4. n. 66.; Salmant. loc. cit. punct. 5. n. 42.

DISPUTATIO QUARTA.

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA.

48. *Justitia distributiva est virtus moralis quæ inclinat totam rempublicam collective sumptam, aut eum, vel eos, quibus munus ejus vicem gerendi committitur, ad constanter et perpetuo communia bona, et onera, inter membra istius republicæ, juxta singulorum dotes, merita, et facultates distribuenda.*

Materia hujus virtutis sunt ipsa bona communia, et onera publica, ab ipsa communitate seu ab ejus administratore distribuenda inter ejus partes individuas, sive cives, attentis eorum meritis, dotibus, et facultatibus. Objectum ergo ejus materiale sunt bona communia, et onera publica communitatis; objectum formale est debitum quo tota communitas seu is qui ejus vicem gerit, tenetur hæc bona et onera juxta qualitates et facultates civium distribuere.

§ I. *In quo residere possit virtus justitiæ distributivæ, et an sit virtus specialis? Quando cum ea concurrat justitia commutativa? An Deus dici possit hanc virtutem habere?*

49. Hæc virtus non residet in membris individuatim sumptis sed tantum in toto corpore, seu in capite aut solo aut simul cum aliis qui vicem totius gerunt. Namque distribuere onera publica et bona communia inter membra societatis, est actus jurisdictionis et potestatis publicæ, sed actus hujusmodi a privatis civibus, nisi ab eo qui jurisdictionem habet deputentur, exerceri non possunt, sed solummodo a tota republica, vel ab iis qui potestatem eam regendi ejusque bona et onera distribuendi acceperunt. Equidem S. Thom. (*a*) admittit justitiam distributivam etiam in subditis residere posse, in quantum justæ distributioni seipsos submittunt. Attamen in hac submissione actus perfectus hujus virtutis non invenitur, sed complacentia in justa distributione, et approbatio ejus; sicut enim, ut rite argumentatur Lugo (*b*), reus patienter acceptans et approbans sententiam contra ipsum latam,

(*a*) 2. 2. q. 61 a. 1. ad 3. (*b*) Disp 1. sect. 3. n. 59.

non exercet actum proprium justitiæ vindicativæ, sed tantum justæ sententiæ se submittit, sic nec subditus distributionem justam approbans, actum formalem justitiæ distributivæ exercet.

50. Est virtus specialis, quoniam habet objectum proprium, et formale et materiale: sed nihilominus circa objecta valde diversa versatur. Nam in distributione bonorum communium et honorum, debitum existit ex parte ipsius reipublicæ simul sumptæ seu ejus capitis erga omnia membra individua; tenetur enim communitas bona publica et honores dignioribus dare, non propter bonum ipsorum digniorum, sed propter bonum commune omnium quod electione digniorum ad officia et dignitates promovetur; sed ipsi digniores non habent jus ob bonum privatum et proprium ad bona publica et honores publicos; et proinde nemo unquam putavit rempublicam aut principem teneri ad restitutionem erga aliquem, quantumvis digniorem, eo quod aliquod officium ei non contulerit Atque adeo verum est, quod, si prætermisso digniore, dignus electus sit, superior non solum non tenetur restitutionem facere digniori, officium a minus digno auferendo, ut ipsi conferatur, ut hoc facere non possit absque injustitia, quia dignus jam officium valide possidet et absque injustitia eo privari non potest. In hoc casu si distributio fieret ab ipsa tota communitate collective sumpta, jus existeret ex parte omnium membrorum individuatim sumptorum, et debitum ex parte communitatis quæ honores et officia publica juxta merita et ingenium civium distribuere tenetur. Tota communitas etiam violationis justitiæ commutativæ rea esse potest erga cives individuos officia *indignis* conferendo, quia communitas non habet dominium proprietatis in bonis quæ ad cives individuos pertinent, sed tantum potestatem justam proportionem ad communia onera sustentanda ab illis exigendi, et si indignos scienter ad officia constituendo cives eorum bonis injuste privari effecit, strictam justitiam violat et ad restitutionem tenetur. Quamvis enim inter totam communitatem et ejus membra non est perfecta alterietas, quoniam omnia membra unum corpus efficiunt, nihilominus perfecta est alterietas dominii et jurium, quæ omnino ad strictam justitiam sufficit. In hoc enim casu communitas et individuus respiciuntur ut alter et alter inter quos contractus onerosus ex justitia stricta obligans intercedit. Itaque civis privatus non potest bona communia absque injustitia surripere, neque communitas, sine causa, jus et dominium privatorum quoad eorum bona invadere, et si ita egerit ad restitutionem tenebitur (*a*). Eligendo itaque minus dignum

(*a*) Cf. Lugo. De Incarnat. Disp. 4. sect. 1. n. 2 et 3.

prætermissis dignioribus violatur justitia distributiva; quod a fortiori fit quando indigni eliguntur, et in hoc casu si cives injuste opprimentur, communitas in defectu ipsius injusti oppressoris, ad restitutionem tenebitur.

51. Si autem, ut in nostra regiminis civilis forma obtinet, communitas per se honores et officia non distribuit, sed hoc officium Principi committit qui illud per se aut per alios exercet, tunc jus est in tota republica, ob cujus bonum honores et officia publica dignioribus et aptioribus dari debent, et debitum ex parte principis et aliorum ab ipso constitutorum ad suam vicem in hoc munere gerendam, existit. Princeps itaque et alii justitiam distributivam ejus nomine exercentes, violant hanc virtutem, si prætermissis dignioribus notabiliter minus dignos seligant: indignos vero eligendo non raro rei erunt injustitiæ stricte dictæ erga ipsam rempublicam, cujus bona ab iniquis aut non capacibus dissipantur, unde ipsa maxime læditur. Qui scienter ad officia hos indignos eligant non solum illos ex officio ejicere tenentur, sed et ipsius republicæ damna reparare. Non nego quin etiam in hoc casu jura civium individuorum sæpe violentur, quatenus mala rerum publicarum administratio necessitatem nova onera in populum imponendi inducit; sed optimus modus damna singulorum reparandi erit, officia ab indignis auferre, bona injuste ex ipsa republica ablata ipsi reipublicæ restituere, et vectigalia, aliaque onera, intra justos limites reducere. Attamen si aliqui cives specialiter præ aliis gravati fuerint, sine dubio illis specialis reparatio debebitur.

52. In justitia distributiva qua onera necessaria ad rempublicam conservandam civibus imponuntur, debitum est ex parte communitatis, vel eorum qui ejus vices in hac re gerunt, onera ista juxta eorum facultates civibus imponendi, et jus est ex parte civium ut hæc juxta justam proportionem distribuantur. Sed advertendum est quod in hoc casu justitia legalis et distributiva semper concurrunt; ex parte enim communitatis existit jus necessaria onera imponendi, et ex parte civium debitum legibus quibus hæc onera imponuntur obediendi, et hæc est justitia legalis; vice versa, cives jus habent ut hæc onera juxta *justam proportionem* distribuantur, et debitum est ex parte communitatis hanc justam proportionem in distributione servandi, et hæc est justitia distributiva. Tertio denique concurrere potest justitia commutativa, si communitas non necessaria a civibus exigat, aut aliquos oneribus inæqualibus opprimat. In utroque enim casu, jus et dominium civium privatorum a republica, vel ab iis quibus administratio istarum rerum committitur, invaditur, et

hoc ex supra dictis, violationem justitiæ commutativæ constituit. Hoc modo ille qui administrationem bonorum reipublicæ habet, potest qua privatus, erga seipsum qua administratorem bonorum reipublicæ ad restitutionem teneri, quia convertendo bona publica in usus privatos, jus et dominium aliorum invadit.

53. Ex dictis patet, et quidem per se evidens est, magnum esse discrimen inter objecta justitiæ distributivæ, quatenus ad distributionem honorum et officiorum, et quatenus ad distributionem onerum hæc virtus ordinatur; quamvis unica sit virtus residens in superiore qui hæc omnia juxta justam proportionem distribuere tenetur. In nostra republica varia objecta justitiæ distributivæ ab eadem auctoritate non diriguntur. Princeps enim est fons omnium honorum, officiorum et privilegiorum a quo proinde omnes honores civiles originem ducunt; sed plures, iique maximi momenti, semel collati hæreditario jure ad posteros transmittuntur. Ad principem etiam solum pertinet officia publica et privilegia conferre. E contra nullum *jus* habet onera in cives imponendi, et proinde, nullum *debitum* hæc juxta justam proportionem distribuendi; nam *jus* et *potestas* omnia vectigalia cujusvis generis imponendi nunc ex usu penes est Inferiorem regni Senatum. Etenim quamquam hæc onera nisi per actum qui vocatur Parlamenti imponi non possunt, et Parlamentum ex utroque Senatu, et Superiore [*House of Lords*] et Inferiore [*House of Commons*] simul cum Principe constituitur, tamen necesse est ut omnis actus Parlamenti tributa imponens aut abrogans aut ullo modo moderans per rogationem [*a Bill*] in Senatu Inferiore factam introducatur. Etsi nulla rogatio vim legis habere potest donec acceperit consensum et alterius Senatus et Principis, neutri tamen vel minimam mutationem in iis quæ pecunias publicas respiciunt facere ex hodierno usu permittitur. Si enim hujusmodi rogatio a Senatu Superiore ullo modo mutaretur, eam ad Inferiorem ad consensum ejus obtinendum remitti necesse est, a quo statim rejicitur.

Itaque soli Senatui Inferiori hodie conceditur potestas ferendi rogationes quæ circa tributa aut pecunias ex civibus exigendas versantur. Neque potest alter Senatus quidquam aliud in his rebus facere quam simpliciter approbare aut rejicere (*a*). Principi vero non licet ullum actum Parlamenti mutare, sed nulla

(*a*) "The Commons will not permit the least alteration or amendment to be made by the Lords to the mode of taxing the people by a money bill; under which appellation are included all bills by which money is directed to be raised on the subject, for any purpose or in any shape whatever; either for the exigencies of government, and collected from the kingdom in general, or for private

rogatio, etsi ab utroque Senatu lata, vim legis habet donec ejus assensus accesserit. Secundum leges et formam Constitutionis habet Princeps facultatem rejiciendi rogationem ab utroque Senatu latam et approbatam; hoc vero jus nullus exercuit post annum 1707, quo Regina Anna rogationem legis de militia Scotiæ ab utroque Senatu comprobatam confirmare suo consensu recusavit. Iis præsertim rogationibus quibus pecuniæ ad varios usus publicos [*supply*] suppeditantur certum est nunquam futurum esse ut Principis assensus denegetur.

54. Quoniam Deus est superior omnium creaturarum, quibus bona sua largissima manu distribuit, dici potest aliquo sensu lato, Ipsum in hac distributione virtute justitiæ distributivæ dirigi, quatenus honestatem quæ in distributione juxta proportionem meritorum elucet, sæpe consulit (*a*). Sed tamen si stricte loquimur, in Deo hæc virtus existere nequit, quia in eo deficit ratio debiti quæ ad justitiam requiritur. Nam quamquam Deus ad æqualitatem proportionis in distributione bonorum suorum attendit, non tamen *ex debito*, quia ut supremus Dominus dona sua illis qui minus digni sunt dare potest, novissimis sicut primis, sine ulla injustitia aut vitio acceptionis personarum, quod, ut statim videbimus, est vitium justitiæ distributivæ specialiter oppositum, quia non est dispensator sed dominus qui de rebus suis ad libitum disponere potest; et quoniam nullum habet debitum bona sua inter creaturas juxta eorum merita distribuendi, sapientissima habere potest motiva hanc proportionem in largitione suorum bonorum non servandi. Hic loquimur de obligatione *justitiæ*, nam fidelis est Deus et proinde dona gratiæ et gloriæ, quæ iis qui digne operantur juxta meritorum proportionem promisit, juxta proportionem a se sponte promissam reddere, recusare non potest. Sed si per impossibile Deus supponatur proportionem a se promissam non servare, et majorem gloriam ei qui minus meruit dare, esset infidelis promissis sed non injustus, quia et ipsa creatura et omnia sua opera ad Deum uti supremum omnium dominum pertinent, et proinde nullius injuriæ erga ullam creaturam reus esse potest.

benefit, and collected in any particular district, as by turnpikes, parish rates, and the like. And the rule is even extended to all bills in which pecuniary penalties and fines are imposed for offences." Stephen, vol. ii. pp. 363-4.

(*a*) Cf. Lugo de Just. disp. 1. sect. 3. n. 61.

§ II. *An hæc virtus pertineat ad justitiam? Qualis æqualitas in ea inveniatur? Quandonam cum justitia distributiva concurrat contractus qui ex justitia commutativa obliget.*

55. Virtus vi cujus tota communitas officia, honores, et onera publica, inter singulos cives juxta eorum merita, capacitatem et facultates distribuere tenetur, ad *justitiam* pertinet. Etenim 1. Verum *debitum* existit ex parte communitatis, onera publica et bona communia juxta facultates, dotes, et merita singulorum civium distribuendi, uti ex dictis patet. 2. Est ad *alium*, quia tota communitas collective sumpta a singulis ejus membris distinguitur. 3. In distributione bonorum et onerum quædam *æqualitas* servanda est, non quidem rei ad rem sed proportionis ad proportionem. Namque hæc virtus inclinat communitatem ad bona et onera juxta eorum merita et facultates, inter ejus membra distribuenda. Itaque si Jacobus habeat merita ut duo, et Joannes ut quatuor, et duodecim sint inter eos distribuenda, non debent inter eos juxta æqualitatem arithmeticam, id est rei ad rem, sed juxta æqualitatem geometricam, id est proportionis ad proportionem dividi. In prædicto casu non debent dari sex Jacobo et sex Joanni, sic enim nulla ratio meritorum haberetur, sed quatuor Jacobo et octo Joanni tradenda sunt; ita enim proportio meritorum in distributione servatur, et ob hanc rationem hæc virtus justitia *distributiva* dicitur (*a*).

56. Eandem æqualitatem non rei ad rem sed proportionis ad proportionem, in distributione onerum communium inter cives individuos sequi tenetur communitas. Manifestum enim est quod iniquum esset eandem summam a paupere et a divite exigere. Præterea dives longe majus commodum, a communitate accipit quam pauper, et longe majores impensas incurrit communitas ejus personam et res protegendo. "Cantabit vacuus coram latrone viator." Qui itaque sentit commodum sentire debet et onus, et quoniam dives haud paulo plus a communitate accipit quam pauper, ita haud paulo plus ei reddere tenetur. Itaque æqualitas geometrica seu proportionis ita propria est justitiæ distributivæ ut hanc solam æqualitatem respiciat.

57. Hinc evidens est quod in justitia distributiva eadem stricta determinatio existere nequit quæ in justitia commutativa invenitur, et proinde jus communitatis in bonis publicis, honoribus et oneribus distribuendis intra nimis arctos limites coerceri non debet. Etenim quoniam honores et bona communia juxta dotes

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 61. a. 2. post Aristot. 5. Ethic. cap. 3; Lugo Disp. 1. sect. 3. n. 47; Salmant. de Just. distributiva, &c.

et merita singulorum distribui debent, et quoniam hæc merita æstimatione morali, de qua homines non raro inter se dissident, computantur, communitas justitiam distributivam non violabit modo eos qui certo et notabiliter sunt digniores non prætermittat. Si enim non exigat ab omnibus civibus quantitatem notabiliter necessaria majorem, et si in modo exigendi justam proportionem notabiliter non violet, communitas facit id omne quod ab ea rationabiliter potest sperari. Si vero qui administratione rerum in republica potiuntur, onera non necessaria civibus imponant, vel bona publica in usus privatos convertant, violant, ut videbimus, contractum implicitum qui inter ipsos et cives individuos intercedit, et quoniam hic contractus ex stricta justitia obligat, qui ipsum infringunt jura aliorum invadunt et ad restitutionem faciendam obligantur. *Distributionem* vero facere juxta facultates civium ad justitiam distributivam pertinet. Et quamvis hic non nimis coarctandi sunt limites administratorum reipublicæ, quatenus ad totam rempublicam seu ad eos quibus hoc munus deputatur pertinet, res ex quibus vectigalia exigi debent, et modum hujusmodi vectigalia exigendi determinare; attamen si aliquos inequaliter opprimant, et multo magis si bona privatorum injuste usurpent, violant contractum implicitum inter totam communitatem ejusque membra individua, vi cujus tota communitas singulorum vitam et proprietatem protegere tenetur, jura privatorum injuste invadunt, et ad restitutionem tenentur.

58. In distributione etiam bonorum communium, superior teneri potest non solum ex justitia distributiva sed etiam ex commutativa hæc dignioribus concedere. Hoc evenit quando seipsum ex justitia obligat hæc officia dignioribus dare. Generatim dicunt rem ita se habere quando concursum instituit, quia sic videtur contractum aut explicitum aut implicitum, ipsum inter et concurrentes inire, vi cujus ex justitia obligatur officium in victorem conferre. Et quidem hoc verum est si talis intercedat contractus sive explicitus sive implicitus; sed superior potest concursum instituere, quamvis se non obliget officium victori dare, quia rationabiliter velle potest aliarum etiam qualitatum in aliquo officio conferendo rationem habere. Sed ita dicendum est quando ipse superior jus absolutum habet officium conferendi; nam si concursus a superiori potestate institutus sit, ea lege ut victor jus ad officium acquirat, judices omnino tenentur suffragia digniori dare, secus erga ipsum injustitiæ rei erunt. In hoc casu judices officium in digniorem conferre, tum ex justitia distributiva, quatenus hoc munus iis a superiore communitatis committitur, tum etiam ex commutativa uti jam diximus, obligantur.

§ III. *Utrum justitia distributiva sit justitia stricte dicta ex cujus violatione obligatio restitutionis oriatur ? utrum semper exigat plures concurrentes quos inter se comparet ?*

59. Justitia distributiva non est justitia stricte dicta ita ut ex hujus virtutis solius violatione obligatio restitutionis oritur. Primo enim non est perfecte ad alium, quia bona communia a tota communitate inter ejus membra individua distribui debent, non considerata quà distincta a tota, sed præcise quà sunt partes et membra istius communitatis. Secundo non reddit unicuique quod *suum* est, sed de bonis communibus quantum ejus dotibus et meritis, et ob bonum non privatum sed commune, æquivalet. Tertio in ea stricta æqualitas non invenitur; quia in reddendo alteri quod *suum* est, nulla ratio meritorum haberi debet, sed æqualitas rei ad rem omnino servari; ut si centum debeas centum reddere tenearis, sive creditor sit dives sive pauper, sive bonus sive malus. Unde obligatio restitutionis ex violatione justitiæ distributivæ non contrahitur, quia quamvis superior qui scienter digniorem prætermittit, non facit quod facere debebat; et si indignum scienter eligat, unde damna oriuntur, hæc damna resarcire tenebitur, attamen hæc obligatio non oritur ex violatione justitiæ distributivæ sed ex violatione contractus qui inter ipsam communitatem ejusque membra individua existit. Sed erga ipsum dignum aut digniorem ad nihil tenetur, quia eum non eligendo neque rem ejus habet, neque eum a re sua injuste exclusit, neque a consecutione alicujus boni vi vel dolo prohibuit; et proinde, ut infra latius dicetur, nullius injuriæ stricte dictæ erga eum reus est, neque ulla ex parte erga eum ad restitutionem tenetur. Neque etiam erga communitatem, quoniam enim dignus eligitur nullum damnum patitur uti infra exponetur.

60. Distributiva justitia semper exigit plures quos inter se comparat, prout ipsum ejus nomen indicat, et sic ejus officium est servare proportionem meriti ad præmium in bonis communibus, honoribus, beneficiis, et officiis, et onerum ad facultates in iis quæ ob bonum commune ex civibus exiguntur; si aliquando vero non datur inter plures distributio, quia v. g. plures non conveniunt, vel quia, quamvis a pluribus expetitur, res ipsa est indivisibilis uti unum beneficium attamen hoc per accidens evenit, et in utroque casu distributio fit, facta comparatione aut expressa aut virtuali meritorum plurium personarum. In secundo enim casu plures inter se de facto comparantur, et in primo plures convenire possunt, et si unus tantum se offert rite

infertur ipsum aliis esse præstantiorem et ita ipsum inter et alios comparatio saltem implicite instituitur.

§ IV. *An æqualitas geometrica sit ita propria justitiæ distributivæ ut in alia specie invenire nequeat? Quomodo ab aliis justitiæ speciebus distinguatur? Et quodnam vitium ei specialiter opponatur?*

61. Quamquam æqualitas geometrica exclusive ad justitiam distributivam pertinet, attamen aliquando per accidens in justitia commutativa invenitur. Sic quando quis debitis erga multos gravatur, quibus omnibus integre satisfacere non potest, singulis juxta proportionem debitorum solvere tenetur. Sed hoc omnino per accidens est, et ex impotentia debitoris oritur, nullatenus vero ex natura justitiæ strictæ, quæ suum cuique juxta æqualitatem arithmeticam seu rei ad rem reddi jubet. Sic quoque in contractibus societatis [*partnerships*] singulis sociis non redditur pars æqualis, sed juxta proportionem pecuniæ et laboris quam ad communem negotiationem contulerunt, sed hoc oritur ex contractu oneroso, et in tali contractu, contrahentes, (ut postea ostendemus) ad contractus conditiones servandas ex stricta justitia obligantur. Ita etiam si vi testamenti inter canonicos alicujus ecclesiæ distribui debent mille aurei, pro cujusque dignitate, vel inter pauperes alicujus parœciæ juxta cujusque pauperis necessitatem, distributor debitam proportionem, ex stricta justitia servare tenetur, quia canonici et pauperes singuli, ad proportionem suæ dignitati vel conditioni convenientem, ex voluntate testatoris ita disponentis, jus strictum habent.

62. Aliqui dicunt justitiam distributivam in his casibus simul cum stricta justitia concurrere, quia in illis proportio et geometrica et arithmetica invenitur: geometrica in quantum comparatio fit inter plures, et distributio juxta eorum qualitates, videlicet dignitatem aut paupertatem fieri debet: arithmetica in quantum proportione determinata, unusquisque jus strictum habet ad hanc ipsam summam ita determinatam. Sic si mille aurei sint inter plures juxta eorum dignitatem aut paupertatem dividendi, unusquisque jus habet ad proportionem suæ dignitati aut paupertati convenientem. Sed proportione determinata si centum Petro juxta hanc proportionem deberi inveniatur, jam Petrus ad centum, neque plus neque minus, jus strictum habet. Et hæc proportio nunc fit arithmetica, quia centum debentur et

centum reddi debent (*a*). Attamen, quamvis verum est, quod in his casibus distributio juxta proportionem geometricam fieri debet, justitia distributiva hic non invenitur; quia, ut supra vidimus, justitia distributiva non existit nisi in ipsa societate vel in alio ab ea deputato, ad bona communia societatis inter ejus membra distribuenda. Jamvero in casibus prædictis distributio vel non fit ab ipsa societate, aut ab alio ab ipsa deputato, vel si a superiore, non tamen agit quia societatem representat, sed quia ad hoc munus ab aliquo privato deputatus est. Deinde bona, quamvis aliquo modo communia dici possunt, quatenus inter plures dividi debent, attamen non sunt bona communia societatis quorum administratio ad ipsam societatem pertinet. Itaque hic invenitur sola justitia stricta, quæ in voluntate testatoris de propriis bonis disponentis fundatur: et sic de aliis casibus supra relatis dicendum est (*b*).

63. Quomodo justitia distributiva a justitia commutativa seu stricta discrepet jam satis diximus. Quomodo a justitia vindicativa secernatur commodius infra dicetur. A justitia legali distinguitur, quia distributiva in sola communitate vel in eo qui potestate ipsam administrandi gaudet, invenitur, legalis vero etiam in subditis residet; prior totum ad singulas partes, posterior tam imperans quam exequens singulas partes ad totum ordinat. Deinde in justitia legali imperanti jus existit ex parte ipsius communitatis necessaria ad bonum commune a singulis membris exigendi; et debitum est ex parte singulorum membrorum hæc necessaria contribuendi; dum in distributiva jus est ex parte membrorum singulorum, et debitum ex parte totius communitatis bona et onera juxta justam proportionem distribuendi.

64. Vitium huic virtuti oppositum est acceptio personarum; qui enim minus dignis bona communia et honores dat prætermissis dignioribus, non rectum et justum, sed affectionem ad ipsas personas pro mensura actionum suarum accipit. In hoc enim casu, communitas, seu is cui distributio bonorum communium committitur, proportionem bona juxta merita conferendi non servat, sed affectu humano iniquo dirigitur. Idem cum proportione de distributione onerum dicendum est, quamvis in hac materia difficilius est justitiam distributivam violare absque justitiæ commutativæ violatione. Attamen theologi communiter docent aut supponunt in distributione onerum, solius justitiæ distribu-

(*a*) Salmanticenses de just. cap. 1. n. 31.
(*b*) Lugo de just. disp. 1. sect. 3. n. 48. et 49.

tivæ dari posse violationem, per quam proinde nulla restitu ionis obligatio incurritur. Hoc autem inde oritur quod proportio, juxta quam onera in varia bonorum genera, v. g. in bona immobilia et mobilia [*upon real and personal property*], item in emolumenta ex variis artibus et professionibus provenientia imponi debent, neque lege naturali neque divina determinatur. Determinatio specifica communitati, intra tamen limites recti et justi relinquitur. In his onerum distributionibus, itaque, quidam dantur limites intra quos violari potest justitia distributiva, illæsa justitia commutativa. Sic v. g. usque ad tempora recentiora magnum vectigal impositum fuit frumento ex alienis regionibus importato, quod quidem fiebat non tam propter ipsos reditus, quam ad pretium frumenti in his ipsis regionibus producti, augendum; unde hujusmodi vectigalia *protectiva* nominantur. Propter hoc vectigal omnis civis pretium panis sui quotidiani augere coactus erat. Sine dubio plures ex agrorum dominis, in imponendo hoc onus, non bonum, quod ex justa distributione onerum communium oritur, sed proprium et privatum suum commodum intendebant; ideoque affective saltem ad violationem justitiæ distributivæ cooperati sunt. Si autem hoc vectigali dominis agrorum indebite indulgebatur, tunc omnes hoc scientes qui ad ejus impositionem seu continuationem cooperati sunt, justitiam distributivam etiam effective violabant. Et tamen nemo eos qui ad hujusmodi vectigalis impositionem, aut continuationem cooperati sunt, ad restitutionem obligaret.

65. Aliud exemplum accipe; vectigal quod ad sexagies centena millia librarum hodie quotannis pertingit nunc ex opificio hordei tosti [*the malt tax*] exigitur. Contendunt multi agrorum domini et agricolæ quod per hoc vectigal onera inæqualia et injusta in agros imponuntur. Alii autem, qui, ut plurimum, agros non possident, hoc vectigal esse æquissimum contendunt. Ex utraque parte non desunt qui non æqualem distributionem onerum publicorum, sed quod sua maxime interest respiciunt, et tamen sive hoc vectigal perpetuetur sive abrogetur nemo auctores aut perpetuationis aut abrogationis ad restitutionem obligaret: ex quo patet quod hujusmodi disceptationes justitiam non commutativam sed distributivam respiciunt. Iterum hi omnes quorum reditus annui ad certam summam pertingunt, sive ex agris qui hereditate ad posteros veniunt, sive ex fructibus propriæ eorum artis aut laboris percipiuntur, eodem modo censentur, atque ipsum idem tributum ex his reditibus [quod Anglice *Income tax* vocatur] pro ratâ conferre tenentur. Contendunt non immerito nulti senatores injustum esse exigere idem tributum ex iis quo-

rum lucra vel morte vel senio vel valetudine infirma desinunt, atque ex iis quorum bona ad posteros integra perveniunt. Attamen magna pars Senatorum legem quæ nunc existit tuentur. Nobis quidem videtur legem hodiernam haud dubie justitiam distributivam violare, sed nemo ejus auctores ad restitutionem faciendam adigeret; quia justitia commutativa per inæqualitatem hujus legis aut nullatenus aut non certo violatur, et si auctores hujusmodi legum ad restitutionem cogerentur, tota respublica perturbaretur. Attamen in oneribus imponendis generatim concurrunt justitia distributiva et commutativa; distributiva in quantum æqualitas non est arithmetica sed geometrica; commutativa in quantum civis jus strictum habet, ut onus justo majus in ipsum non imponatur (*a*).

66. In his, et in innumeris aliis casibus, ii qui bona fide agunt nullius peccati rei sunt, quia homines facile sibimetipsis persuadent illa vectigalia minus esse æquitati consona quæ ab ipsis solvi debent. Qui mala fide agunt justitiam distributivam violant, sed quamdiu vectigal a legitima auctoritate imponitur, et limites qui in hujusmodi oneribus imponendis necessario conceduntur, non excedunt, justitia stricta non violatur. Neque enim in ordine ad restitutionem considerandum est quo motivo inducti legum latores hæc onera imposuerint, sed utrum dispositio facta, habita ratione variarum opiniorum hominum, intra limites justæ et rectæ distributionis coarctetur. Si enim aut aliquis individuus prout Catholicis in his regionibus accidit, qui rebus suis propter fidei professionem privati erant, aut societates prout factum est Ecclesiæ Catholicæ in his aliisque regionibus rebus suis spoliantur, ad ærarium publicum supplendum, aut ad privatos injuste ditandos, ipse finis societatis civilis, quæ ad bona sua cuique civi et societati protegenda instituta est, evertitur, justitia stricta manifesto et gravissime violatur, et omnes ad hanc injustitiam cooperantes ad restitutionem faciendam coram Deo obligantur.

67. Evidens est ex dictis quod omnes quibus committitur distributio onerum et bonorum societatis virtutem justitiæ distributivæ non possident. Sicut aliæ virtutes naturales ea repetitis actibus acquiritur. Virtus supernaturalis justitiæ distributivæ in animam justi cum gratia sanctificante infunditur, et ad ejus actus præter habitum, motivum et auxilium supernaturale requiruntur.

(*a*) Lugo Disp. 1. sect. 3. n. 56. 57.

DISPUTATIO QUINTA.

DE JUSTITIA VINDICATIVA. QUID SIT? UTRUM SIT SPECIES DISTINCTA JUSTITIÆ, ET QUOMODO A CETERIS DISCREPET? AN IN DEO EXISTAT JUSTITIA VINDICATIVA?

68. *Justitia vindicativa est virtus moralis constanter et perpetuo inclinans communitatem, seu eum qui in hac materia ejus vices gerit, ad debitam et condignam pœnam in reum subditum inferendam.* Ex dictis facile intelligi potest hæc definitio. Sicut justitia legalis et distributiva, hæc species quoque fundatur in vinculis quibus omnes reipublicæ cives in unum corpus coadunantur. Non enim potest aliqua respublica quoslibet delinquentes punire, sed solummodo eos qui ejus sunt subditi sive origine sive ratione delicti. Unaquæque enim respublica sine dubio jus habet peregrinos in ea ad quantumvis breve tempus degentes, ejusque leges violantes, puniendi; aliter enim seipsam conservare non posset. Hoc principio quicumque in nostris navibus delinquit in nostro solo delinquere censetur, et ideo sive sit subditus sive alienus, nostræ jurisdictioni subjicitur, et a nostris tribunalibus puniri potest. Et hoc principium apud gentes maritimas nunc ubique prævalet. Piratæ ut hostes communes omnium gentium, jure omnium gentium, a tribunalibus cujuscumque regionis in qua inveniuntur, judicari et condemnari possunt.

69. Materia hujus virtutis remota sunt crimina punienda, proxima autem, actus quibus auctoritate reipublicæ pœna debita infligitur, motivum est conservatio pacis reipublicæ per punitionem reorum. Unde videri potest quod justitia vindicativa sit virtus specialis, quoniam specialem habet materiam et motivum, nempe bonum commune per punitionem reorum conservandum. Et hæc sententia stabilitur hanc virtutem ab aliis tribus justitiæ formalis speciebus secernendo. Ex iis enim qui hanc esse speciem justitiæ distinctam negaverunt alii eam ad distributivam, alii ad commutativam, alii ad legalem (*a*) revocarunt. Sed imprimis ad distributivam revocari non potest, quia ut supra vidimus hæc

(*a*) Cf. Lugo disp. 1. sect. iv. n. 69.; Dicastillo ib. 2. tract. 1. disp. 2. n. 103; Salmant. cap. 1. punct. 4. n. 25. seq.

species æqualitatem geometricam semper observat, dum in justitia vindicativa æqualitas arithmetica servari debet. Qui enim delinquit ut duo, duo nec plus nec minus debet, et qui delinquit ut quatuor, quatuor nec plus nec minus debet, et proinde prior pœnam ad duo æqualem et posterior ad quatuor æqualem, nec plus nec minus subire debet. Præterea argumentum in contrarium adductum non concludit. Ad illam enim, inquiunt, virtutem pertinebit pœnas condignas pro delictis infligere, ad quam pertinet præmia pro meritis condigna rependere, atqui ad justitiam distributivam hoc secundum spectat: ergo et primum. Sed omnino falsum est quod in hoc argumento assumitur, nempe debitum existere ex parte reipublicæ præmia dandi omnibus qui de ipsa bene meriti sunt. Hoc enim impossibile sæpe esset. Præterea ut jam antea vidimus, jus non est ex parte ipsorum digniorum vi cujus debitum exurgit ex parte totius reipublicæ, ipsis vel si plures sint æquales, et bona communia ad omnes remunerandos non sufficiunt, aliquibus ex illis, honores et officia dandi, sed hoc jus existit ex parte omnium omnino membrorum quorum ob commodum non vero propter bonum suscipientium debent primario conferri. Et proinde justitia distributiva non respicit primario in officiis conferendis quid boni aliquis in rempublicam fecerit, sed quasnam virtutes publicas possideat, nimirum quantam integritatem, sapientiam, doctrinam, fortitudinem, peritiam rerum habeat. Fieri enim potest ut quamvis vir fortissime se in bello gerat, ad officium judicis quod nunc vacat obeundum omnino ineptus sit. Quando vero honores iis qui de republica bene sunt meriti dantur, hoc, in quantum ad justitiam distributivam pertinet, non fit saltem primario ob bonum suscipientium sed ob bonum reipublicæ, ut alii ad eorum exemplum imitandum excitentur; in quantum autem dantur ut præmia iis qui de republica bene meriti sunt, hujusmodi largitiones ad aliam virtutem adscribendæ sunt; ad justitiam nempe commutativam si ob aliquod pactum implicitum cum republica concedantur; vel si nullum sit pactum, tunc ad gratitudinem vel aliam virtutem a justitia distinctam. At justitia vindicativa semper et exclusive crimen ab ipso delinquente patratum respicit, ut pœnam debitam in ipsum infligat. Deinde omnes delinquentes puniri debent, sed justitia distributiva non jubet omnes bene meritos honorari, neque etiam per se loquendo aliquem qui bene de republica meritus est, hoc enim ad aliam pertinet virtutem, sed quando distributio honorum facienda sit, illis potiusquam aliis conferendos esse, modo tamen apti sint ad munia si quæ sint, quæ illis

honoribus annectuntur, obeunda. Denique ut civis officium publicum accipiat, sufficit ut ipse sit dignus et probus; ut autem puniatur requiritur ut sit in alios improbus.

70. De revocatione justitiæ vindicativæ ad commutativam quæstio videtur esse magna ex parte de nomine; quia ii qui eam ad justitiam commutativam revocant hanc virtutem in eo cui potestas leges exequendi committitur, considerant, et ejus obligationem reos ex virtute strictæ justitiæ puniendi, ex contractu qui ipsum inter et societatem intercedit, deducunt. Tunc enim ille et societas ut alius et alius inter quos stricta justitia intercedere potest, considerantur. Itaque dicunt duos esse actus præcipuos justitiæ vindicativæ, qui utique ex habitu hujus virtutis derivari debent. Illi actus sunt; 1. Punire reos; et 2. Non punire ultra debitum. Jamvero illi actus ad justitiam commutativam pertinent. Ad primum enim tenetur ille cui potestas leges exequendi committitur vi contractus impliciti ipsum inter et societatem initi; ad secundum, quia unusquisque jus habet ex ipso jure naturali ut ultra debitum non puniatur.

71. Quatenus teneatur ille cui administratio reipublicæ demandatur delinquentes, vi contractus impliciti, et proinde ex stricta justitia, condigne punire, postea dicemus, sed discussio istius quæstionis ad præsentem materiam non pertinet. Si enim consideretur contractus implicitus inter principem et rempublicam, non solum justitia vindicativa sed et legalis et distributiva, saltem magna ex parte, ad commutativam revocari possunt; namque vi contractus impliciti et proinde ex stricta justitia ad fidelitatem erga principem, et ad alia officia quæ ab iis ex justitia ob bonum publicum exiguntur præstanda, subditi obligantur; dum princeps ex altera parte subditos suos eorumque fortunas protegere et officia publica indignis non dare, ex eadem stricta justitia tenetur. Attamen neque justitia legalis neque distributiva ex stricta justitia obligat, quamvis in distributione onerum stricta justitia cum distributiva fere semper concurrit. "Namque," ut bene argumentatur Lugo(*a*), "sicut in distributione bonorum communium intenditur formaliter, bonum illud, quod resultat, ex æqualitate proportionis inter subditos, quando singuli participant de bonis communibus juxta proportionem, et excessum meritorum quo in ordine ad alia communitatis membra comparantur; sic in distribuendis oneribus intenditur bonum æqualitatis proportionum, quod apparet, quando singula communitatis membra participant de gravamine et onere communi juxta suas vires, et

(*a*) Disp. 1. sect. 3. n. 57.

juxta excessum quo in ordine ad alia membra comparantur. Ergo virtus quæ formaliter intendit hoc bonum, prout tale est, non est justitia commutativa sed distributiva: postea vero resultat obligatio justitiæ commutativæ, quæ non intendit, sed supponit illas proportiones, ex quibus consequitur, quod hic civis non debeat gravari ut octo sed ut quatuor, et tunc formaliter obligat ad non exigenda octo, ne accipiatur ab eo, quod suum est, absque justo titulo exigendi. Vides, in eo casu utramque justitiam formaliter et proprie intervenire, quia utriusque objectum et motivum formale proprie reperitur."

Ratio a priori est quod eadem res potest deberi multiplici titulo, v. g. gratitudinis, religionis, fidelitatis, justitiæ, &c.; sic idem ipsum officium quod debitum est titulo justitiæ distributivæ, titulo etiam justitiæ commutativæ deberi potest, quando v. g. eadem officia vi justæ distributionis et contractus impliciti debentur. Et hoc est quod intelligunt auctores per *concurrentiam* justitiæ commutativæ cum alia ejusdem virtutis specie. Sed minime inde sequitur ipsam justitiam distributivam ad justitiam commutativam esse revocandam.

72. Idem omnino dicendum est de justitia vindicativa. Hæc enim species sicut aliæ jam dictæ prorsus distincta est a pacto implicito aut explicito inito inter principem et rempublicam, vi cujus justitia commutativa inter illos oritur. Hæc enim justitia quæ in contractu fundatur inter principem et rempublicam non inde oritur quia sunt ejusdem corporis membra, sed omnino e contrario quia respiciuntur ut alius et alius qui inter se pactum ex stricta justitia obligans inierunt, quatenus una pars se ad fidelitatem et ad onera subeunda adstringit, ea lege ut altera ejus vitam et proprietatem protegat atque defendat. Hic contractus utique, modo postea explicando, principem malefactores punire obligat. Sed jus et debitum justitiæ vindicativæ, sicut et legalis et distributivæ, præcise fundantur in vinculis quibus omnia membra reipublicæ in unum corpus coalescunt; subditi enim ex justitia legali leges observare tenentur, et si eas transgrediuntur, tota communitas jus acquirit transgressores puniendi. Debitum est ex parte delinquentis, jus ex parte communitatis; si enim communitas transgressorem condigne et ob bonum commune puniat actum justitiæ vindicativæ exercet, si ipsum non puniat, violationis justitiæ vindicativæ, non commutativæ reus est. At vero si hæc potestas delinquentes puniendi ab ipsa communitate immediate non exerceatur, sed alicui aut aliquibus concedatur, et propter ejus aut eorum negligentiam in criminibus puniendis, respublica aut cives privati damna patiantur, tunc ipse vel ipsi

restituere tenentur, non propter violationem justitiæ vindicativæ, sed propter violationem contractus vi cujus damna tam ipsius reipublicæ quam civium per debitam reorum punitionem præcavere adstringuntur.

73. Aliunde evidens est quod secluso contractu, superior in hoc casu non tenetur ex justitia commutativa reum punire, quia jus quod habet aut superior aut communitas, est jus jurisdictionis, non proprietatis, et proinde quando reum non puniunt, aut duos æque sontes inequalibus pœnis afficiunt, modo tamen neuter ultra quod justum est puniatur, nihil habent quod ad alterum aut pertinet aut pertinere debet, tanquam ejus proprietas, neque per hanc omissionem in se sumptam aliquis injuria afficitur, et ideo justitiam strictam non violant. Et hoc agnoscunt clarissimi in hac materia scriptores. Duos tantum, theologum unum, canonistam alterum, quorum scripta ipsis maximum nomen comparaverunt, adducemus. "Justitia punitiva in superiore quatenus præcise superior est," ait Lugo (*a*); "et *præscindendo a contracta inito cum republica,* non est justitia stricte sumpta sed minus proprie; nam licet intendat æqualitatem pœnæ cum debito; non tamen habet pro objecto *debitum* fundatum in *aliquo jure* alterius; ille enim qui delinquit nullum habet jus ad pœnam infligendam. Dicitur tamen communiter justitia, et ab ipsa denominatur potissimum Deus justus, quatenus per justitiam vindicativam punit peccatum." Eodem in sensu scribit Schmalzgrueber (*b*): "Neque ipsa [justitia vindicativa] respicit jus stricte dictum ordinatum ad bonum particulare, at ad utilitatem habentis illud; nam neque malefactor per delictum suum dicitur acquirere jus ad pœnam, sed potius contrahere debitum pœnæ; neque superior habet jus puniendi in bonum proprium, sed in bonum communitatis; atque adeo habet jus puniendi ex jure jurisdictionis, non vero proprietatis." Distinguitur a commutativa, quia quamvis in pœnis infligendis "attendat quantitatem arithmeticam; quæ causa fuit, quod multi eam ad justitiam commutativam reduxerint; nam præterquam, quod sicut dictum est, non respiciat jus stricte dictum, etiam non facit omnimodam compensationem reipublicæ per delictum læsæ, prout just. commutat. ex officio facit: neque enim per pœnam quæ delicto imponitur, proprie compensatur aut tollitur delictum, vel damnum per illud illatum reparatur." Proinde jus justitiæ vindicativæ non est jus stricte dictum sed solummodo jus jurisdictionis; neque etiam per punitionem rei compensatur respublica pro

(*a*) Disp. 1. sect. 4. n. 69. (*b*) Dissertat. Prœm. § 1. n. 15.

damno per ejus crimen allato; quia mors injusti occisoris, pro morte optimi civis aut excellentissimi principis nullatenus rempublicam compensare potest. Neque etiam intendit justitia vindicativa, mortem in iniquum occisorem inferendo rempublicam indemnem reddere, sed tranquillitatem publicam et vitæ protectionem procurare, in quantum hæc punitio alios iniquos homines a similibus facinoribus deterrebit (*a*).

74. Quoad secundum vero actum justitiæ vindicativæ supra memoratum nulla est difficultas. Illi enim soli debitores sunt justitiæ vindicativæ humanæ qui criminum rei sunt; si ergo communitas aut innocentes puniat, aut nocentes ultra debitum, eorum strictum jus violat et ad restitutionem tenetur.

75. Ex dictis liquet justitiam vindicativam esse virtutem quæ ad justitiam formalem pertinet, etenim 1. est in ea *alterietas* nempe totius ad partem, 2. *debitum* ex parte rei et jus ex parte totius eum propter bonum commune puniendi, et 3. *æqualitas* arithmetica; pœna enim æquiparari debet culpæ, ita ut qui ut duo deliquit ut duo, qui vero ut quatuor, ut quatuor pœnam accipiat. Non tamen est justitia perfecta seu commutativa, quia 1. non est in ea perfecta alterietas, quia jus et debitum justitiæ vindicativæ omnino fundantur in nexu qui inter totam communitatem ejusque membra individua existit; ita ut communitas nullo jure eum, qui neque origine neque ratione delicti subditus est, puniendi potiatur. Deinde debitum, uti supra ostendimus, tale non est quale in justitia commutativa existere debet. Tertio tandem quamvis æqualitas non est geometrica, et proinde potius arithmetica dicenda est, quia non est proportionis ad proportionem sed rei ad rem, pœnæ ad delictum; attamen hæc æqualitas non est ita ex natura sua determinata, ut in justitia commutativa, sed intra certos limites determinationi legum civilium variarum gentium relinquitur.

76. Virtus justitiæ commutativæ solummodo in tota communitate sive in iis qui ejus vices gerunt, existit. Equidem qui injuriam suffert, potest reparationem a damnificatore exigere, non autem punitionem malefactoris ex vindicta privata, quia ita agere non esset virtus sed vitium. Potest autem, et aliquando tenetur privatus malefactorem superiori denuntiare, ut ab ipso propter bonum commune puniatur, et tunc actum justitiæ legalis facit, dum superior pœnam inferendo justitiam vindicativam exercet.

(*a*) Cf. Viva cursus Theologicus, p. 5. D. 3. q. 1. a. 2.; Esparza de virtute just. q. 22.; Molina tract. 1. de Just. D. 12. n. ult.; Layman, lib. 3. tr. 1. c. 4. n. 2.; Pirhing Procem. n. 5.

Si autem privatus accusat et superior punit debito modo sed ex vindicta privata, actus objective sumpti sunt actus virtutum justitiæ legalis et vindicativæ, sed ex parte agentium sunt actus vitiosi et contra dilectionem proximi; cui tamen nulla debetur restitutio quia nulla injuria afficitur. Quod autem actus privati qui etiam ob bonum publicum delinquentis pœnam deposcit, non est actus justitiæ vindicativæ, inde patet, quod quando quis suam pecuniam a debitore poscit, non exercet actum justitiæ commutativæ, aliter injustus esset si hanc pecuniam non exigeret; sed tantum vult debitorem justum esse erga ipsum. Nemo enim dixerit aliquem esse virum justum, quia quæ ipsi debentur rigorose exigit, sed quia quæ ipse aliis debet solvit. Aliud enim est aliquas virtutes ab aliis requirere, aliud has exercere; aliter qui exigeret ab aliis castitatem et justitiam ipse castus et justus esset. Sic etiam quando subditus movet superiorem ad reum puniendum ob bonum commune, actum quidem justitiæ legalis exercet, quia facit id quod debet ob bonum commune totius reipublicæ, non autem justitiæ vindicativæ, quia hæc virtus in eo solo qui jurisdictione ad crimina punienda potitur, residet.

77. Non omnes qui jurisdictione ad crimina punienda potiuntur hanc virtutem possident. Virtus naturalis justitiæ vindicativæ per repetitos actus acquiritur, virtus supernaturalis in mentes principum et magistratuum, cum gratia sanctificante a Deo infunditur. Actus supernaturales præter habitum, motivum et auxilium supernaturale exigunt. Quamvis autem hac omnia a viro theologo intelligi debent, præsens nostra tractatio virtutem justitiæ naturalem ejusque varias species solummodo respicit.

78. Quomodo justitia vindicativa a distributiva et commutativa discrepet, ex jam dictis patet. A legali vero saltem ex parte subditorum, distinguitur, quia vindicativa in sola communitate, aut in iis quibus ea officium reos puniendi commisit, residet, legalis vero præcipue ad membra individua pertinet. Utrum sit eadem virtus ac justitia legalis imperans non est quæstio practica, sed inclinamus in sententiam quæ docet hanc etiam ab ea diversam esse, quia justitia legalis imperans *omnes* respicit *subditos* præcise *qua tales* et eorum actus ad bonum commune ordinat. Vindicativa vero *solos* respicit *delinquentes*, et proinde eos non respicit simpliciter *qua subditos* sed qua subditos *delinquentes* (*a*).

79. Deus justitiam possidet vindicativam et ab ea præcipue *justus* appellatur: "Quoniam et Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddit vindictam" (*b*); et Dominus declarat "Mihi vin-

(*a*) Salmant. cap. 1. punct. 4. n. 26. (*b*) Ecclesiasticus xii. 7.

dicta; ego retribuam" (*a*). Sed si hæc justitia esset commutativa, in Deo non existeret, quia ut statim videbimus objectum formale justitiæ commutativæ, est jus proprium alterius illæsum servandum, vel læsum reparandum. Sed Deus qui est supremus Dominus vitæ et necis, omnium creaturarum, et omnium quæ ad eas pertinent et quibus ex sola Dei largitate potiuntur, earum jura violare nequit, quia nullum jus contra Deum habere possunt. Attamen Deus non potest per modum *pœnæ debitæ, ex justitia vindicativa*, creaturam ultra debiti gravitatem punire; quia vera et justa sunt judicia Dei omnipotentis (*b*), qui reddet unicuique secundum opera sua (*c*). Superior vero humanus qui ultra debitum punit veræ injuriæ reus est, quia ille nullum titulum puniendi nisi debitum propter delictum habet. Affligit quidem sanctos in hac vita ad eos sanctiores reddendos misericors Deus, non autem punit in altera vita nisi propter magnitudinem peccatorum, et eorum gravitatis ratione habita, sed si aliter ageret nullius injustitiæ contra nos reus esset, quoniam in manu Dei sicut lutum in manu figuli sumus (*d*).

(*a*) Rom. xii. 19. (*b*) Apoc. xvi. 7.
(*c*) Apoc. xxii. 12. (*d*) Jeremias xviii. 6.

DISPUTATIO SEXTA.

DE JUSTITIA COMMUTATIVA.

§ 1. *Quomodo definiatur justitia commutativa? Quomodo discrepet debitum ejus a debitis aliarum specierum justitiæ formalis?*

80. *Justitia commutativa est virtus moralis inclinans voluntatem constanter et perpetuo ad reddendum unicuique jus suum strictum, seu quod suum est eo quod cum ipso aut actu connectitur, aut connecti debet in proprium suum commodum, ad æqualitatem arithmeticam.*

Ex jam dictis magna pars hujus definitionis satis intelligi potest. Cætera hic exponentur. Dicitur commutativa, quia in variis contractibus, et in innumeris conventionibus quæ inter homines locum obtinent præcipue fundatur.

81. Sed ut tota hæc maximi momenti materia clare intelligatur, in memoriam revocandum est quod debita justitiæ tam legalis quam distributivæ et vindicativæ in relationibus societatis omnino fundantur; ita ut nemo hæc debita, nisi erga eam societatem cujus est membrum, contrahat. Equidem justitia vindicativa exerceri potest in extraneum in aliena republica delinquentem, quia tunc subditus fit ratione delicti; et manifestum est nullam societatem suum finem attingere posse, neque vitam et proprietatem subditorum conservare, si exteris in ea degentibus, contra ejus pacem impune moliri permitteretur. Vi legum municipalium in nostra republica, vinculum fidelitatis rumpi non potest, ita ut qui nascitur subditus, quamvis ad aliam regionem animo nunquam revertendi transeat, ibique domicilium permanens collocet, istiusque regionis civis adscribatur, attamen nostræ reipublicæ adhuc subditus censetur: et si inter eam et rempublicam cujus nunc subditus est bellum oriretur, et arma contra nostram rempublicam etiam extra nostrum territorium gereret; propter hoc in nostra perduellionis reus haberetur et ad mortis pœnam subeundam damnari posset. Sed hoc constitutum in quibuscumque viget ditionibus ex solis legibus municipalibus derivatur, neque quisquam illud in conscientia servare tene-

tur. Potest enim quilibet se suaque bona mobilia ad aliam ditionem transferre, et in hujus ditionis copiis militare, et in justo bello etiam contra rempublicam in qua natus erat absque ullo peccato pugnare (*a*).

82. Potest insuper quis indirecte legibus alienæ reipublicæ ligari quoad contractus ibi initos, quia locus regit contractum, in quo casu, cum justitia legali, et distributiva (quando intervenit) concurrit commutativa; et etiam ratione proprietatis in aliena republica possessæ, propter cujus conservationem et protectionem ad onera publica istius reipublicæ in qua sita est contribuere tenetur; et denique ratione importationis seu exportationis mercium. Sed in his omnibus casibus ejus obligationes et debita in certis vinculis quibus cum aliena republica connectitur, omnino fundantur. Ruptis itaque vinculis quibus aliquis cum aliqua societate civili, aut tanquam membrum aut aliquo alio ex modis expositis connectitur, nihil huic societate ratione justitiæ, aut legalis aut distributivæ aut vindicativæ debet.

83. Non autem liberatur a debito justitiæ commutativæ eo quod desinit esse membrum societatis in qua contractum erat, quia nullatenus in ipsius societatis relationibus fundatur. Si enim homo extra omnem societatem civilem constitutus in loco deserto ad nullam rempublicam pertinens, domum ædificaret, terram coleret, aurum gemmasque coacervaret, hæc omnia *sua* essent, neque quisquam sine *stricti* juris hujus hominis violatione posset eum his privare; etsi privaret, ex stricta justitia ad restitutionem teneretur. Deinde si ille homo societatem civilem ingrederetur, hæc bona non desinerent esse sua. Equidem societatem ingrediendo debitum justitiæ legalis distributivæ et vindicativæ contraheret, teneretur enim ejus legibus obedire et juxta suas facultates communibus oneribus contribuere. Sed adhuc suorum bonorum dominium retineret, et respublica si ea usurparet, ipsum finem primarium suæ institutionis subverteret, quia ideo instituta est societas civilis ut *bona sua* singulis civibus servarentur, ita ut unusquisque suis bonis secure et tuto frui posset. Potest autem non solum suis bonis externis, sed etiam vita per societatem privari, propter crimina atrociora, contra ejus bonum et leges admissa.

84. Jus quod alicui competit præcise qua membrum societatis est ipsi in *proprium suum commodum* non conceditur, sed propter bonum publicum totius societatis, et propter bonum publicum ab ipso exerceri debet, ut ex jam dictis manifestum est. Jus vero quod quis habet quoad ea bona quæ stricte et rigorose *sua* dicun-

(*a*) De hoc constituto moderando aut abrogando nunc agitur.

tur, est jus eis in *proprium suum* commodum utendi. Sic jus quodquis habet ad aurum suum, equum suum, vaccam suam, ordinarie loquendo non est jus his utendi in commodum communitatis aut alicujus alterius, sed in commodum suum proprium. Dixi ordinarie loquendo, quia in necessitate publica potest respublica bonis privatorum uti in quantum hoc necessarium est ad bonum totius communitatis conservandum. Sed ut jam diximus, et ut infra amplius declarabitur, respublica non habet dominium bonorum suorum civium, sed ipsi cives dominium, et in proprium suum commodum retinent, et ideo bona nostra a bonis alienis per verba *meum* et *tuum* rite distinguuntur.

85. Ex his facile explicari potest definitio supra posita. Jam vidimus ad virtutem justitiæ formalis constituendam tres requiri conditiones (*a*) nempe, 1, alterietas, 2, debitum saltem negativum in jure alterius fundatum, 3, æqualitas. De his proprietatibus in quantum in justitia commutativa inveniri debent hic agendum est.

§ 2. *De alterietate, debito, et æqualitate, quæ inveniri debent in justitia commutativa.*

86. Jam vidimus perfectam alterietatem in aliis justitiæ formalis speciebus non inveniri. Ratio autem est quod, quamvis personæ ipsæ quæ aliquam efformant rempublicam sint prorsus diversæ et distinctæ, attamen debita istarum justitiæ specierum inter illas non existunt, nisi præcise in quantum sunt membra ejusdem unius corporis politici; et hinc hæc debita non ad omnes homines pertinent, sed ad ejusdem reipublicæ membra coarctantur. Jamvero ut supra ostendimus, debitum justitiæ commutativæ nullatenus in vinculis societatis fundatur, sed in titulo quem unusquisque habet ad bona sua propria. Ideo enim Petrus non potest auferre equum aut pecuniam Pauli, ipso invito, quia hæc cum Paulo in suum proprium commodum connectuntur, minime vero quia est ejusdem reipublicæ civis cujus Petrus quoque est membrum. Habet Paulus jus absolutum ne quis ipso invito res ejus auferat, et jus conditionatum ut si ita auferantur iterum ipsi reddantur. Ex jure absoluto Pauli oritur obligatio seu debitum negativum ex parte omnium aliorum, res Pauli ipso invito non auferendi; ex jure vero ejus conditionato, posita conditione, oritur debitum positivum vi cujus, qui res Pauli, ipso invito abstulerit, eas ipsi restituere tenebitur. Quoniam itaque

a) Cf. Schmalzgrueber Introductio ad Jus Canon. Dissert. Procem. § 1. n, 18. et 19.

debitum justitiæ commutativæ in vinculis societatis non fundatur, sed in jure quod unusquisque habet ad res suas, ii inter quos hæc virtus intercedit quamvis sint membra ejusdem societatis, attamen hoc sub respectu non respiciuntur, sed simpliciter ut homines quorum unusquisque bona habet propria, quibus ipse nolens absque injuria privari nequit. Hinc si centum a Paulo abstulisti, totidem ei restituere teneris, sive sit membrum tuæ, sive omnino diversæ reipublicæ. Itaque verbum *unicuique* in definitione omnes homines sine ulla exceptione includit, quia a nemine res *suas* ipso nolente auferre licet, et si eas abstulerimus sine dubio restituere tenemur. Non tamen necessaria est alterietas personæ naturalis, sufficit virtualis, modo tamen sit perfecta alterietas bonorum ut exemplo administratoris bonorum aliorum patet, quia ipse qua dominus privatus, sibi ipsi qua administratori injuriosus esse potest. Ita Dominus Noster ut homo sibi ut Deo satisfecit.

87. Virtus autem justitiæ commutativæ non solum homines privatos sed et ipsas nationes, ad res alienas illibatas servandas obligat. Potest enim una respublica injuriose agere erga aliam, territorium ejus injuste invadendo, thesauros publicos injuste auferendo, &c.; et maximæ injuriæ rea esse potest erga cives alterius injuste eorum proprietatem deprædando, aut ipsos inique trucidando. Sicut autem membra privata reipublicæ considerari possunt non sub hoc respectu, sed quà homines quorum unusquisque bona habet propria, ita et tota societas comparari potest cum aliquo membro, non quà est membrum istius totius, sed sine respectu ad hanc relationem, et hoc sub respectu cum eo contrahere potest tota societas, eodem modo ac si non esset membrum istius reipublicæ. Sic etiam princeps seu rectores societatis considerari possunt quà sunt membra præcipua istius societatis, vel ut persona seu personæ, quibus suppeditantur pecunia, arma, naves, aliaque media hanc societatem defendendi, et hoc sub respectu contractus ex justitia obligatorius iniri potest illos inter et ipsam societatem, ut infra amplius declarabitur. Itaque ut recte docet de Lugo (*a*), vera diversitas personæ naturalis in justitia commutativa essentialiter non requiritur, sed sufficit distinctio bonorum et dominii cum virtuali distinctione personarum. Sic princeps cui committitur administratio bonorum reipublicæ, si hæc surripiat et inter bona sua privata recenseat, injustitiam erga seipsum quà administrator est bonorum reipublicæ committit, quia dominio suo privato ea bona vindicat quæ ad ipsum eatenus tantum pertinent

(*a*) De Incarnatione Disp. iv. sect. 1. n. 2. et 3.

quatenus bonorum quæ sub dominio sunt reipublicæ administratione potitur. Etenim si alius hæc bona furaretur erga eum injustitiæ reus esset, ipsique restitutionem facere teneretur; non tamen reus esset injustitiæ erga eum qua habet bona privata, neque restitutio valeret, si res ablata inter ejus bona privata poneretur. Eodem modo sibi ipsi tanquam administratori restituere debet, si bona communitatis in usus suos privatos converterit. Equidem in utroque casu injuria fit ipsi reipublicæ quæ verum istorum bonorum dominium habet, et quæ proinde per actus prædictos sive ipsius administratoris sive alterius personæ bonis *suis* injuste privatur. Attamen quoniam respublica per se hæc bona non administrat sed eorum administrationem alteri committit, qui proinde in hoc negotio locum tenet communitatis ipsamque representat, ideo injuria ipsi quà communitatem representat fit, et ipsi quà tali restitutio debetur.

88. Ex dictis sensus verborum definitionis facile intelligitur. Per vocem enim *unicuique* intelliguntur non solum homines, sed et communitates, quæ corpora sunt moralia, non physica, quia nexibus moralibus in unum coalescunt, et quamvis hujusmodi corpora non veræ personæ sunt sed fictæ, attamen dominii sunt capacia ut suo loco demonstrabimus. Deinde per *debitum* intelligi debet id quod unicuique adnectitur aut adnecti debet, absolute et omnino independenter a vinculis societatis in proprium suum commodum, ut infra explicabimus. *Æqualitas* vero est arithmetica, seu rei ad rem ut ex supra dictis, et ex ipsa materia constat; quia qui centum debet todidem restituere tenetur.

Quoniam nemo sibi ipsi potest esse injustus, sequitur Petrum si a Paulo rogetur ut ipsum occidat, hoc facientem reum non esse injustitiæ *erga Paulum*, sed homicidii et affective injustitiæ erga Deum. Idem dicendum videtur de adulterio cum fœmina consentiente marito. Habet quidem malitiam adulterii hoc crimen quatenus matrimonio ut a Deo instituto opponitur, nulla vero injuria fit marito, quia jure suo cessit; sicut qui fidei commissum a se surripi sponte permittit, nullam patitur injuriam, sed alius in cujus gratiam fidei commissum constitutum erat injuriam patitur. Nec est actus justitiæ rogare debitum nostrum ab alio, sicut non est actus castitatis, quando maritus adulterio addictus vult suam uxorem castam ducere vitam; neque est actus temperantiæ aut liberalitatis velle alios temperantiam et liberalitatem colere. Sic ille justus est qui vult jus alienum non violare, non ille qui desiderat alios esse justos.

§ III. *Utrum justitia commutativa sit identica cum justitia stricta ex cujus violatione oritur obligatio restitutionis? Inter quas personas intercedere possit hæc virtus?*

89. Monet Carriere (*a*) justitiam commutativam duplici sensu valde diverso apud auctores sumi: "Aliquando idem sonat ac justitia stricta: aliquando significat eam quæ exercetur a privato erga privatum. Hæ duæ notiones si non attendantur magna erit confusio: saepe enim dicitur v. g. violationem solius justitiæ commutativæ inducere obligationem restituendi: porro illud verum erit, si sumatur in priori sensu: secus si in posteriori; nam aliæ species aliquando habent pro objecto jus strictum, ut alio loco magis evolvetur." Et iterum (*b*): "Justitia commutativa ea est quæ inclinat *privatum* ad reddendum alteri *privato*, quod ipsi jure debetur." Equidem verbum *privatum* stricte intellectum, prout loco citato id intelligit ipse Carriere, non includit omnem justitiam strictam, quæ ut ex dictis constat, non solum inter privatos, sed et inter privatum et communitatem, et inter ipsas communitates intercedere potest. Et tamen nullam aliam definitionem justitiæ strictæ tradit ipse Carriere. Deinde nisi verbum *jus* sumatur pro jure stricto, ut supra exposuimus, hæc definitio non ad solam justitiam restringitur; multa enim a privato ad privatum ut v. g. obedientia a filio ad patrem, jure debentur, quæ tamen nonnisi potentialiter ad justitiam pertinent.

90. Quæstio non est utrum justitia commutativa sub se plures species inferiores contineat, quia hoc verum est, quamvis ad solas privatas restringatur; etenim crimen occidendi privatum a crimine ejus bona furandi specie prorsus discrepat, quamvis in hoc conveniunt quod utrumque est violatio justitiæ commutativæ. Deinde quæstio esset magna ex parte de nomine si justitia formalis in justitiam legalem, distributivam, vindicativam et *strictam*, seu *rigorosam* divideretur, quia tunc agnosceretur tres priores species in se sumptas justitiam rigorosam ex cujus solius violatione restitutionis obligatio oritur, non constituere. Hæc enim distinctio maximi est momenti, et ad hanc accurate determinandam fere tota tractatio de Justitia ordinatur. Dico quæstionem fore magna ex parte de nomine, quia tunc agnosceretur justitiam strictam speciem a cæteris tribus prorsus distinctam constituere, et justitiam commutativam esse speciem inferiorem justitiæ

(*a*) De Justitia, n. 7. 2°. (*b*) Ibid. n. 6. 2°.

strictæ, ut homicidium, furtum, rapina et sacrilegium ; quia quamvis hæc omnia in hoc conveniunt quod sunt violationes justitiæ strictæ, attamen specie infima discrepant, et quoniam necessarium est species etiam infimas, modo sint vere diversæ, in confessione aperire, ideo non sufficeret in confessione ut aliquis se injustitiæ accusaret, sed debet se homicidii, aut furti, aut rapinæ, aut sacrilegii, reum declarare. Sed falsum est hanc circumstantiam, scilicet, quod injustitia commissa erat contra rempublicam et non contra privatum mutare speciem. Ita docent theologi (*a*), ex quibus in re tam manifesta referre sufficit verba Lugonis, qui dicit (*b*) : " Ex dictis infertur, multo minus esse species furti diversas in specie aliqua morali aliquas, quæ a jurisperitis diversis nominibus numerantur, v. g. peculatus, qui versatur circa res, vel bona publica, aut fiscum et principem spectantia. Hæc tamen omnia, licet juridice diversa sint, propter diversas pœnas illis statutas ; theologice tamen omnia sunt ejusdem speciei infimæ." Itaque quoniam justitia stricta quæ inter privatos intercedit a justitia stricta quæ inter diversas respublicas, seu inter privatum et rempublicam existit, ne specie infima quidem discrepat, et quoniam ipsum verbum commutativum æque aptum est ad utramque exprimendam, et quoniam usus fere unanimus theologorum maximi nominis justitiam omnem strictam commutativam appellat, nobis omnino videtur ab usu communi vocis non esse recedendum.

91. Deinde quod ibidem addit Carriere quod aliæ species habent aliquando pro objecto jus strictum, verum est si quæstio sit de objecto materiali, sed hoc non est peculiare speciebus justitiæ a commutativa diversis, sed in omnibus virtutibus ad alium evenire potest. Sic qui vovit proximo centum nummos ex justitia ipsi debitos solvere, idem objectum habet materiale et voti et justitiæ ; quæ pecunia si dominus ejus propterea quod non solvitur in gravi necessitate constituatur erit etiam objectum materiale caritatis, ex qua etiam virtute debitum solvere tenebitur. Si vero quæstio sit de objecto formali, ita ut quis vi aliarum justitiæ specierum præter commutativam ad restitutionem aliquando obligetur, hoc prorsus falsum est ut jam ostendimus, et sic expresse docet S. Thom. (*c*) : " Deinde considerandum est de partibus justitiæ, et primo de partibus subjectivis, quæ sunt species justitiæ, scilicet distributiva et commutativa. . . . . Et

(*a*) Salmanticenses Tract. xii. de Restitutione cap. v. punct. 1. n. 4. ; Lugo Disp. xvi. sect. 1. n. 18., et alii innumeri quos inutile esset adducere, quoniam ipse Carrier loc. cit. n. 984. hanc esse communem theologorum opinionem agnoscit.

(*b*) Loc. cit. (*c*) 2. 2. q. 61. in procem. et a. 1. ad 5.

quia *restitutio videtur esse actus* commutativæ justitiæ, primo considerandum est de distinctione justitiæ commutativæ et distributivæ; secundo de restitutione. . . . Ad quintum dicendum, quod justitia distributiva et commutativa non solum distinguuntur secundum *unum* et *multa*, sed secundum *diversam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id quod est commune, et alio modo id quod est proprium.*"

Inter quas personas intercedere possit justitia conmutativa?

92. Dubitatur 1. An hæc virtus intercedere possit inter Deum et hominem? De qua quæstione satis supra diximus. Deus enim nullo modo injustus esse potest erga creaturas, etiamsi gloriam aliaque dona iis sponte promissa denegaret, quia et ipsæ creaturæ et omnia quæ possidere possunt omnino et absolute sub Dei dominio constituuntur, et proinde Supremus omnium Dominus erga illas ex justitia nullatenus obligari potest. Neque etiam creaturæ sua debita erga Deum ex justitia stricta solvere tenentur, quia hæc ad æqualitatem nunquam reddere possunt, quoniam Deus debet modo infinito honorari, amari, &c.

93. Dubitatur 2. Utrum justitia commutativa intercedere possit inter patrem et filium, servum et dominum, uxorem et maritum.

Et 1. quod attinet ad patrem et filium: vel quæstio est de iis officiis quæ sibi invicem debent præcise propter hanc connexionem, vel non. In primo casu debitum non est justitiæ sed pietatis; "Nam pater ut pater debet filium alere, gubernare, educare, &c.; filius ut filius debet patri amorem, reverentiam, obedientiam, subventionem etiam, quando pater indiget. Hæc autem neuter debet ex justitia quatenus tales sunt. . . . . Hinc fit, patrem qui non aluerit filium, prout tenebatur, non debere restituere alimenta illa, sed satis erit alere in posterum. Filius item, qui non obedivit patri, vel non succurrit ei in gravi necessitate, non tenetur aliquid ei restituere, licet peccaverit contra quartum præceptum" (*a*). Hic loquimur solummodo de obligatione naturali; potest enim lex civilis imponere obligationem justitiæ vi cujus pater tenetur suam familiam alere, et forsan paterfamilias etiam naturaliter obligatur onus suam familiam sustentandi in communitatem non projicere. De his in suis locis agemus. Hic quæstio est solummodo de patre et filio, et de mutuis officiis quæ inter illos propter hanc relationem naturaliter oriuntur.

(*a*) Lugo de Just. Disp. 1. sect. 1. nn. 1. 31. 32.

94. Si autem quæstio non sit de relationibus quæ inter patrem et filium qua tales præcise consideratos existunt, potest inter eos intervenire justitia commutativa quia sunt diversæ personæ, et habent diversa bona, jura, et dominia. Pater enim non est dominus vitæ aut membrorum aut famæ filii, neque filius est dominus eorundum bonorum patris. Itaque si alter alterum occidit, si lædit injuste aut detrahit, justitiam commutativam violat. In his casibus pater et filius ut duo homines prorsus distincti respiciuntur, in quantum justitia commutativa consideratur, quæ virtus violatur quando alter alterum lædit in bonis suis, et injuriam inferens ad restitutionem tenetur. Sed quando hujusmodi injuriæ inter patrem et filium obveniunt, non solum justitia sed et alia virtus violatur. Pater enim non qua pater sed qua homo consideratus jus habet *contra omnes alios homines* ne injuste detrahatur; quà pater vero habet peculiare jus pietatis adversus filium quod læditur per detractionem. Filius tenetur ex justitia commutativa famam injuste ablatam restituere, sed in confessione non sufficeret se peccati detractionis accusare, sed insuper confiteri debet se hac detractione pietatem patri debitam violasse. Similiter et justitia et pietas per parricidium, aut patris vulnerationem violantur.

95. Quoad bona etiam fortunæ potest esse stricta justitia inter patrem et filium. Filius enim non est dominus bonorum paternorum et proinde ea auferendo, patre invito, justitiam commutativam violat. Hinc si filius habeat bona propria et pater ea ipso invito auferat, injustitiæ reus est et ad restitutionem tenetur. Per furtum vero filius ordinarie solam justitiam commutativam, non vero pietatem violat, nisi tantam paternorum bonorum quantitatem auferat, ut pater ad egestatem reducatur aut e statu seu conditione excidat, aut etiam magnum mærorem hac de causa patiatur, aut graviter commoveatur.

96. Inter dominum et servum stricte dictum qui se, v. g. absolute et in perpetuum domino vendidit, justitia stricta intercedere potest. "Nam sicut famuli, qui ex contractu se obligant ad serviendum per mensem, peccant contra justitiam si non serviant: ita servus, qui se per totam vitam vendidit, accepto pretio, tenetur ex justitia implere contractum; non enim differt ab illo, nisi quod sit famulus perpetuò obligatus" (*a*). Si vero quæstio sit de domino, tunc vel considerantur libertas et opera servi ad quæ dominus jus strictum acquisivit, vel ejus vita, membra, fama, vel etiam bona fortunæ si quæ pro-

(*a*) Lugo loc. cit. n. 35.

pria habeat, aut ex pacto cum domino acquirere possit. Quoad priora dominus reus esse nequit injuriæ erga servum, quia hæc sunt ipsius domini bona, et quæcumque acquirit servus domino acquirit: si posterioris generis bona considerantur, utique dominus ex justitia erga servum tenetur; nullum enim jus habet ad vitam vel membra servi auferenda, neque sine injustitia ipsum infamare aut falsi criminis accusare potest, et si alterutrum fecerit ad restitutionem tenebitur. Et idem dicendum si bona propria ipsius servi, ipso nolente, auferat.

97. Quoad maritum et uxorem, non dubium est quin in aliis bonis præter bona fortunæ inter eos intervenire possit justitia commutativa; nam quamvis vir acquirit jus ad usum corporis uxoris in ordine ad actus maritales, et uxor similiter ad usum corporis viri ita ut fiant una caro, attamen neuter jus acquirit ad alium occidendum, mutilandum, aut infamandum. Quæstio solummodo bona fortunæ respicit. Vel ergo uxor nulla possidebat bona propria, vel si possidebat, per matrimonium ad dominium mariti translata erant; vel ipsa post matrimonium quorundam bonorum dominium et proprietatem retinuit. Si prius, maritus nullius injustitiæ erga uxorem reus esse potest, quia ipsa nulla bona propria possidet; uxor vero rea esse potest erga maritum, ejus bona, ipso rationabiliter nolente, auferendo. In secundo casu, utraque pars rea esse potest injustitiæ erga alteram, quia personæ sunt vere diversæ et utraque habet bona propria et dominium ab altera distinctum, et proinde si alterutra pars bona alterius ipsa nolente auferat justitiam commutativam violat et ad restitutionem tenetur. De dispositionibus legis *municipalis* quoad bona mariti et uxoris et filiorumfamilias postea agemus.

§ IV. *Utrum, seclusa lege seu pacto, debitum justitiæ commutativæ positivum sine actu positivo incurri possit? Ex solutione istius quæstionis infertur an habens superflua violet justitiam, pauperi in necessitate non subveniendo.*

98. Hæc questio magnopere conducit ad hanc materiam patefaciendam. Ut patet, non agitur de debito negativo justitiæ commutativæ, unusquisque enim ex stricta justitia a violatione juris alieni abstinere tenetur. Neque enim dubium est quin lex municipalis posset, absque eorum actu, a subditis ex stricta justitia exigere, si ita agere velit, ea quæ ob bonum publicum vel etiam ad eorum familiam sustentandam, requirantur. Hinc potest dominus proprietatem, quam alicui aut dat durante vita, aut per testamentum relinquit justitiæ obligatione onerare.

Equidem potest ille cui proprietas legatur ipsam renuntiare: acceptare vero eam nequit absque onere ex justitia imposito. Deinde aliquando fieri potest ut quis absque actu proprio res alienas in sua possessione inveniat; et si hoc ignorat earum dominus, tenetur possessor ipsum monere, ut res suas auferat. Sic si quis in aliquo casu accipiat pecuniam alteri destinatam, non potest sine injustitia hanc pecuniam retinere, neque in viam projicere, sed tenetur aut eum qui misit, aut eum cui destinata erat pecunia, monere. Ratio est, quia accepta hac pecunia etiam præter intentionem, inæqualitas ponitur, quam ipse non tamen propriis impensis, sed impensis domini, auferre tenetur. Aliter tamen dicendum esset, si pecunia non in suam possessionem venisset. Sic si Jacobus videret crumenam Joannis in via publica expositam, et ibi eam relinqueret sciens et volens ut surriperetur, quamvis caritatem violaret, attamen nullius injustitiæ reus esset, quia neque habet rem alienam, neque tenetur ex justitia res alienas curare, quia jus strictum ad actus Jacobi non habet Joannes. Itaque nulla est inæqualitas inter Jacobum et Joannem, et proinde Jacobus nullatenus ad restitutionem tenetur. Si vero Jacobus crumenam domum secum fert, obligationem ipsam Joanni restituendi incurrit; et in hoc casu si dominum crumenæ ignoret, eum non suis quidem impensis quærere tenetur. In ultimo vero casu, debitum restituendi in actu positivo Jacobi fundatur. Insuper potest quis obligari per contractum explicitum aut implicitum res alienas curare; et in hoc casu ex sola omissione debitæ diligentiæ ad restitutionem tenebitur; sed iterum hæc obligatio in actu positivo fundatur, utpote ex contractu saltem implicito proveniens.

99. Extra hos casus nemo, *absque actu suo positivo et in materia ad justitiam pertinente*, aut sine *actione saltem materialiter juri alieno nociva, debitum positivum* justitiæ commutativæ contrahit. Aliis verbis nemo tenetur ex justitia ad aliquid alteri dandum, aut in ejus commodum faciendum, nisi aliqua commutatio aut actualis aut virtualis inter eos in materia justitiæ intercesserit. Per commutationem intelligitur aut actio mutua in materia justitiæ ex parte utriusque personæ ut in contractibus, et quasi contractibus, in quibus quis, propter pretium, aliena negotia transigere suscipit, aut actio ex parte unius et damnum ex parte alterius, ut quando aliquis res alienas surripit aut alium ad surripiendum inducit, vel aliud damnum injuste infert. Diximus 1. commutationem esse debere in materia justitiæ, quia commutationes etiam fiunt inter homines in materiis aliarum virtutum, ut caritatis, amicitiæ, &c., et potest quis ex his virtutibus alteri promittere auxilium, pecu-

niam, &c., et tunc promissum suum ex fidelitate, aut ex alia virtute, non vero ex justitia, nisi ipse hoc expresse voluerit, implere tenebitur. In contractibus vero onerosis, id est, in quibus aliquid ex utraque parte datur et accipitur, obligatio justitiæ per se exurgit. Diximus 2. quando debitum positivum justitiæ non oritur ex pacto explicito aut implicito, sed ex actione injusta unius partis et damna sive in persona sive in rebus suis ex alterâ, actionem debere esse saltem materialiter læsivam juris alieni ; si enim actio nullo modo lædit jus alterius, inde nulla oriri potest inæqualitas nullaque justitiæ obligatio positiva. Quamvis autem, ut postea videbimus, generatim loquendo requiritur formalis violatio juris alieni, id est, actio quam quis dum eam facint scit, aut saltem scire debet, esse juri alieno nocivam, attamen aliquando sufficit actio materialiter nociva, ut si quis casu et inculpabiliter incenderit domum alienam, sine dubio quando ad hoc advertit tenetur ignem extinguere, et similiter si aliquem inculpabiliter calumniaverit, cognita calumnia eam retractare tenetur

100. Ratio autem quare obligatio seu debitum positivum justitiæ strictæ non incurratur nisi per actionem seu commutationem in materia justitiæ obligantem est, quia ut jam probavimus, justitia stricta inclinat voluntatem ad reddendum alteri quod *suum* est ratione dominii aut juris æquivalentis, et ideo obligationem et debitum strictum erga alium exigit. Sed ex probatis n. 83 debitum justitiæ commutativæ in relationibus quæ existunt inter quasdam personas aut in ipsis societatis vinculis minime fundatur, sed in jure quod quisque habet ad bona *sua* utenda et fruenda, et ad actiones *suas* independenter ab aliis exercendas, quamdiu neque publica neque privata jura aliorum invadit. Quamdiu ita agit bona sua aut actiones suas in utilitatem aliorum ordinare non tenetur, nisi ratione alicujus commutationis quæ ipsum inter et alios intercedit. Debitum ergo positivum justitiæ strictæ inter duos homines existere nequit, nisi intercesserit aliquis contractus vel quasi contractus, aut aliqua actio qua jus strictum alterutrius saltem materialiter violatur ; quia aliter inter eos nulla intervenire potest inæqualitas, et ubi nulla est inæqualitas nullum potest esse debitum solvendum (*a*).

101. Hinc si aliquis hominem projecisset in mare sine culpa gravi, eum eripere teneretur si hoc fieri posset absque propriæ suæ vitæ periculo ; sed si actio ejus qui alium in mare projecit, graviter erat culpabilis, cum etiam cum periculo propriæ vitæ

(*a*) Cf. Suarez. de Justitia Dei sect. 2. n. 19. ; Lugo de Justit. disp. 1. sect. 1. n. 27.

eripere teneretur; sed si ille homo casu incidisset in mare, alius qui illum facillime eripere posset, ad hoc ex justitia non tenetur, sed ei non subveniendo gravissime caritatem violaret. Iterum qui videt hominem a latronibus invasum, quem facillime ex eorum manibus eripere potest, et non solum eum non eripit, sed de ejus spoliatione gaudet, contra caritatem peccat, non vero contra justitiam, quia ille homo jus strictum ad ejus auxilium non habet, et proinde auxilium non præstando alter jus strictum non violat, nec ullam inæqualitatem ponit, nec proinde debitum restitutionis incurrit. Sed si ille qui videt hunc hominem in manibus latronum, ad eum protegendum ex contractu teneretur, ut si ad hoc conductus fuisset, sine dubio in prædictis circumstantiis jus strictum istius hominis violaret, et ad reparandum damnum ipsi illatum teneretur. Hic enim occurrit contractus onerosus, in quo ex stricta justitia dominus tenetur dare famulo mercedem promissam, et famulus opera seu protectionem hac mercede emptam. Et quamvis promissio gratuita per se loquendo non obligat ex justitia sed tantum ex fidelitate, attamen potest rei alicujus dominus se obligare ex justitia erga alium, ad rem illam ipsi gratuito tradendam, et etiamsi promissione non impleta, is cui facta fuerit nullum damnum in rebus suis patitur, attamen per promissionem jus strictum acquisivit ut res illa ipsi tempore debito tradatur, et promittens rem et non tradens habet aliquid in bonis suis quod juste habere non debet, quod proinde ex stricta justitia promissario tradere tenetur. Idem dicendum est de contractibus implicitis qui obligant ex stricta justitia, ut in proxima disputatione, agentes de contractu societatis dicemus: et de quasi contractibus qui intercedunt inter eos qui conducunt alios ad negotia sua peragenda, et eos qui, uti advocati, medici, artifices ad negotia aliorum peragenda conducuntur. De his suis locis agetur, sed interim evidens est eos qui accipiunt pretium ad aliquod officium exercendum, eo ipso seipsos obligare ad ordinariam peritiam et diligentiam, et qui eos advocant seipsos obligare ad salarium consuetum solvendum, quamvis ex neutra parte expressa hujusmodi conventio facta fuerit.

102. Ex dictis facile inferri potest solutio quæstionis, de qua in Hibernia non multis abhinc annis magno æstu disceptatum est. Quæstio est utrum qui habet superflua et non adjuvat pauperes in eorum necessitate violet eorum jus strictum et ad restitutionem teneatur? Sed evidens est quod jus in hoc casu quod habet pauper ad subventionem, cujuscumque sit generis, in jure dominii pauperis non fundatur, quia necessitas pauperis in eum non transfert dominium seu proprietatem bonorum divitis, et pro-

inde dives ei non subveniens, reus est inhumanitatis, et caritatem non justitiam violat, quia bona propria pauperis nullo modo invadit. Quamdiu quidem existit necessitas, dives pauperi subvenire tenetur, sed necessitate cessante per subventionem aliorum aut aliquo alio modo, dives ad nihil amplius erga illum tenetur ; non ratione necessitatis quæ amplius non existit, neque ratione damnorum quæ forsan propter hanc necessitatem passus est pauper. quia ille jus strictum in jure dominii fundatum non habuit aut ad proprietatem aut ad actiones istius divitis (*a*). Et sane ex justitia dives non magis tenetur bona sua pauperibus in quacumque necessitate constitutis largiri, quam quis ex eadem virtute tenetur servare hominem in mari immersum et in extrema vitæ necessitate positum, quem eripere potest funem ipsi projiciendo : et tamen, ut post theologos fere omnes supra docuimus, hic homo quamvis funem projicere recusat, non justitiam sed caritatem violat. Non hic loquimur de eo qui pauperem a rebus *suis* ad vitam pauperis in extrema necessitate constituti necessariis arcet ; tum enim non pure negative se habet dives, sed intervenit *actio positiva*, per quam jus strictum pauperis violari potest, ut postea de extrema necessitate agentes dicemus. Hoc magis evidens est quando aliquis vi vel fraude obstat ne quis pauperi subveniat ; talis enim actio positiva violat jus et ipsius qui vult pauperi subvenire et ipsius pauperis, et si quæ inde eveniunt damna, qui violenter vel dolose horum causa fuerit ea reparare tenetur.

§ V. *Quænam materiam et formam justitiæ commutativæ constituant ? Quænam vitia ipsi opponantur ? Quare ex solius justitiæ commutativæ violatione oriatur restitutionis obligatio ?*

103. Materia remota justitiæ commutativæ constituitur 1. ex iis omnibus rebus quæ sunt in commercio et possunt esse objectum commutationis inter homines, vel per contractus ut in venditionibus, emptionibus, &c. ; et 2. ex vita, fama aliisque bonis infra numeratis in quibus unus homo ab alio lædi possit : quia in hujusmodi rebus justitiæ munus est jus alterius illæsum servare, et si læsum fuerit, ad æqualitatem perfectam in quantum possibile est, reparare. Bona de quibus homines contractus inire possunt, seu in quibus unus ab alio lædi potest, quadruplicis sunt generis ; 1° bona animi, sive naturalia, ut memoria, usus rationis, scientia, ars ; sive supernaturalia, ut fides, gratia divina, &c. ; 2° bona corporis, vita, membra, sanitas, libertas ; 3° bona

* Cf. Lugo de Just. disp. 1. sect. 3. n. 52.

famæ et honoris ; 4° bona fortunæ ut prædia, pecunia et omnes res externæ quæ possunt esse objectum dominii humani. Materia proxima justitiæ commutativæ constituitur ex actionibus exterioribus, quibus homines inter se contractus et commutationes ineunt, vel quibus damna illata reparant, unicuique quod suum est tribuendo. Hinc ejus præcipuus actus est restitutio, quia per hunc actum quod suum est cuique tribuitur (*a*).

104. Omnia illa vitia quibus læditur homo in bonis supra relatis specialiter huic virtuti opponuntur. Si quis veneno vel quovis alio modo aliquem privet memoria, usu rationis, aut alterius facultatis, aut vi vel fraude ab acquirenda aliqua arte prohibeat, eum in bonis animi naturalibus lædit ; si vero metu eum ad peccandum cogeret, seu de doctrina fidei aut morum deciperet, ei in bonis supernaturalibus injuriam inferret. Gravissima est injuria, in bonis corporis, aliquem injuste occidere ; in fama et honore eum calumniis denigrare ; in bonis fortunæ ejus pecuniam, aut pecora, ipso invito, auferre. De his omnibus postea suis locis agemus. Jam (n. 90) observavimus omnia illa vitia, quanquam in hoc conveniant, quod jura aliena subvertant, attamen in eadem specie infima non convenire. Etenim objectum formale seu motivum justitiæ commutativæ est jus proprium alterius vel illæsum servandum, vel læsum reparandum. Non differunt specie actus quo aufertur pecunia et is quo aufertur equus alienus, hæc enim objecta ratione juris quod eorum domino competit sunt tantum materialiter diversa. Sed jus quod habet homo ad vitam, diversum est specie, a jure quod habet ad famam aut ad pecuniam ; et ubi jura quæ violantur specie discrepant, utique specie discrepant actus, quibus hac jura violantur (*b*).

105. Quamvis de *restitutione* suo loco ex professo agemus, pauca tamen de hac materia hic necessaria dicenda sunt ut discrimen inter justitiam commutativam et alias justitiæ formalis species clare intelligatur. Itaque dicimus ex violatione justitiæ commutativæ, non autem ex violatione aliarum justitiæ formalis specierum, obligationem restitutionis contrahi. Etenim ideo præcise ad restitutionem aliquis obligatur, quia vel habet *rem alienam*, vel alium in bonis *suis* injuste damnificavit, vel eum a *consecutione alicujus boni injuste* arcebat, vel quia contractum aut legem ex justitia obligantem non adimplevit. Cum enim restitutio cuique reddit præcise id quod suum est, si aliquis neque habeat bona aliena in seipsis aut in æquivalenti, neque alteri ullam injuriam animæ

(*a*) S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 1. (*b*) Cf. Lugo de Just. disp. 1. sect 2. n. 37.

aut corporis aut famæ aut fortunæ intulit, neque ipsum ullomodo injuste a consecutione alicujus boni prohibuit, et contractus sive explicitos sive implicitos, et quasi contractus, ex justitia obligantes implevit, utique jus ejus strictum nullatenus violavit, nec erga hunc hominem obligationem restitutionis contraxit. Porro ex supra dictis fere patet quod, qui violat solam justitiam aut legalem, aut distributivam, aut vindicativam, non ideo habet rem alienam in se neque in æquivalenti, neque aliquem re sua injuste privavit, neque a consecutione alicujus boni injuste arcuit, neque alicujus contractus, aut quasi-contractus ex justitia stricta obligantis violandi reus constituitur.

106. Et imprimis hoc verum est de justitia legali exequente, de qua sola hic agemus, quoniam de justitia legali imperante in sequenti disputatione necessario tractandum est. Itaque quod attinet ad justitiam legalem exequentem, evidens est, quod civis qui non reddit reipublicæ cujus membrum est, debitum legale non ideo habet rem alienam, neque alium rebus suis injuste privat, quia ut jam ostendimus, ipse quamvis membrum est communitatis, adhuc dominium rerum suarum retinet. Neque etiam per violationem solius justitiæ legalis arcetur communitas injuste a consequendo alicujus rei dominio: ex hac enim justitia cives præcipue leges servare tenentur, et proinde hanc ille gravissime violat qui concivem occidit, vel domum ejus comburit. Attamen propter hoc crimen respublica non privatur re aliqua ad ipsam titulo *dominii proprietatis* pertinente; neque læditur ejus jus proprietatis, quia non hoc jure ad ipsam pertinebat occisus aut domus ejus; neque jure aliquam rem titulo proprietatis acquirendi privatur; et contractus implicitus quo subditi leges patriæ servare tenentur, non ex justitia commutativa sed ex justitia legali obligat. Equidem erga concivem justitiam commutativam violavit, sed per solam violationem legum respublica non privatur dominio alicujus rei ad ipsam titulo proprietatis pertinentis, et proinde propter hanc solam legum violationem nulla restitutio debetur. Attamen concurrere potest justitia commutativa cum legali, et hoc in casu si civis violat justitiam commutativam erga communitatem, utique ipsi restituere tenebitur prout in sequenti disputatione dicemus.

107. Idem dicendum est de justitia distributiva: superior enim qui bona communia dignis dat prætermissis notabiliter dignioribus, utique justitiam distributivam violat, sed non habet rem alienam, neque jus strictum alicujus violavit; non dignioris qui jus in jure proprietatis fundatum ad hoc officium non habuit;

neque communitatis, ut infra ostendemus ; neque etiam aliquem mediis injustis a consecutione alicujus boni prohibuit quia, secluso contractu, nullum jus strictum, ut hoc officium ipsi tribueretur habuit aut ipse dignior aut communitas. Namque principium palmare restitutionis hoc est, ut qui habet rem alienam, *hanc ipsam* rem et non aliam domino restituere teneatur, et quamdiu res existit potest dominus omnem aliam compensationem recusare, et rem ipsam suam exigere, quia, juxta axioma, res clamat domino suo. Itaque si superior officium minus digno conferendo jus strictum aut communitatis aut dignioris violasset, invalide hoc officium minus digno contulisset. Ergo superior tenetur ex justitia hoc officium a minus digno auferre et digniori dare ; et minus dignus officium abdicare teneretur. Sic dignus postquam officium quo dignus erat obtinuit id abdicare debet, et si recusaret, ipsum superior ejicere teneretur. Sed hoc nimis durum esset, et est contra communem persuasionem omnium hominum, et non solum bonum commune non promoveret, sed maximam in republica confusionem excitaret. Nemo certus esse posset quamdiu ei officio suo frui liceret, quoniam eo spoliari posset absque ulla culpa, et solo pretextu, quod tempore electionis aliquis dignior prætermissus esset. Sic magistratus, judices, et alii digne et competenter publica munia obeuntes, quotidie absque ullo delicto amoverentur, cum quanto boni publici detrimento nemo non videt. Quoniam autem justitia qua suum cuique tribuitur regna maxime firmantur, illud ex justitia reipublicæ debitum esse nequit quod tantas perturbationes in ea commoveret. Itaque dignus quamvis in ejus promotione ad aliquod officium justitia distributiva violata fuerit, officio semel acquisito neque renuntiare tenetur, neque eo sine injustitia privari potest. Proinde ex solius justitiæ distributivæ violatione obligatio restitutionis non contrahitur.

108. Ex violatione justitiæ vindicativæ sane nihil debetur ipsis sontibus qui pœnis debitis non plectuntur ; si vero restitutio ipsi reipublicæ seu membris innocentibus aliquando debeatur propter damna quæ ipsis obveniunt quia malefactoribus impune grassari permittitur, hoc ex solius justitiæ vindicativæ violatione non oritur, sed quia, ut infra ostendendum est, concurrit justitia commutativa.

§ VI. *Quomodo distinguatur justitia commutativa ab aliis justitiæ speciebus? Sitne hæc virtus naturalis an supernaturalis? Quomodo acquiratur et amittatur?*

109. Ex jam dictis hæc omnia satis explicantur. Differt enim justitia commutativa ab aliis ejusdem virtutis speciebus: 1. Ratione alterietatis; quia in aliis speciebus personæ quamvis physice diversæ necessario respiciuntur ut partes unius totius, ut membra ejusdem corporis moralis, et bonum et felicitas uniuscujusque civis, non respicitur ut quid diversum, sed ut pars boni et felicitatis totius communitatis; et hinc illa communitas dives est cujus cives sunt opulenti, illa vero pauper cujus cives egestate opprimuntur. In commutativa vero membra etiam ejusdem reipublicæ vel familiæ respiciuntur ut personæ prorsus diversæ, et ut diversa et prorsus distincta jura, dominium, et proprietatem possidentia. Hinc aliæ species inter sola ejusdem reipublicæ membra existere possunt; commutativa utpote in communitate patriæ non fundata ad omnes homines extenditur. 2. Debitum in aliis speciebus in jure dominii proprietatis non fundatur, sed in obligatione vel totius communitatis ad singulas ejusdem communitatis partes, vel partium ad totum, ob commune bonum omnium: dum debitum justitiæ commutativæ in jure stricta alterius qua præcise alter est et qua habens jura propria et distincta, et proprietatem suam propriam omnino fundatur. 3. Æqualitas in aliis speciebus est vel proportionis, vel si sit arithmetica, ex ejus violatione non exurgit inæqualitas quæ necessario reparanda est. Sic quamvis æqualitas arithmetica in observantia legum quæ per justitiam legalem præscribitur invenitur; attamen lege violata v. g. per homicidium civis innocentis, nulla inde orga rempublicam facta est inæqualitas quæ necessario ut in justitia commutativa, reparari debet. In vindicativa justitia quamvis qui æqualiter deliquerint, æqualiter etiam puniri debent, attamen si unus debite propter suum crimen puniatur, nulla ei reparatio debetur quamvis alius ejusdem criminis reus impunitus relinquatur; etsi in hoc casu justitia vindicativa a communitate seu ab ejus capite insigniter violatur. Deinde pœnæ, quibus varia crimina a societate civili puniri debent, non sunt in se determinatæ sed ab ipsa societate civili definiuntur, et omnino diversæ sunt apud diversas gentes. Æqualitas vero in justitia commutativa est in se fixa et determinata; si enim centum abstuleris, centum reddere teneris; et per violationem hujus virtutis semper

producitur inæqualitas quæ nunquam auferetur, donec res ablata in se aut in æquivalenti restituta fuerit. Aliquando damnificator injustus injuriam reparare nequit, sed semper manet inæqualitas et obligatio æqualitatem restituendi si hoc unquam possibile fiat.

110. De virtute naturali justitiæ commutativæ hactenus egimus: per actus repetitos acquiritur. Virtus seu habitus supernaturalis divinitus infunditur. Ad actum supernaturalem justitiæ commutativæ eliciendum præter habitum, motivum supernaturale reddendi suum cuique quia hoc sibi beneplacitum esse Deus revelavit, et auxilium gratiæ divinæ requiruntur. Ad actus etiam naturales eliciendos auxilium gratiæ valde necessarium est; experientia enim constat eos qui injustitiæ rei sunt, nonnisi difficillime et in circumstantiis molestioribus nonnisi Deo opitulante, ad restitutionem faciendam induci posse.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE CONCURRENTIA JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ CUM ALIIS JUSTITIÆ SPECIEBUS. DE CONTRACTU IMPLICITO QUI IN OMNI SOCIETATE INTER TOTAM SOCIETATEM EJUSQUE MEMBRA SIGILLATIM SUMPTA EXISTIT.

§ 1. *De concurrentia justitiæ commutativæ cum aliis justitiæ speciebus.*

111. Virtutes et vitia diversæ speciei concurrere dicuntur quando circa idem objectum materiale versantur. Sic si quis se inebriat vino furtivo, circa idem objectum materiale, nempe vinum, duo vitia intemperantiæ et injustitiæ concurrunt; si vero quis postquam vinum ad se inebriandum furatus est, pœnitentia tactus vinum restituat, actum et justitiæ et temperantiæ exercet. Sicut ergo concurrere potest justitia commutativa cum temperantia, ita etiam cum aliqua alia aut etiam cum pluribus aliis justitiæ speciebus, quia circa idem objectum materiale versari possunt. Sic ipsa communitas potest eodem actu violare justitiam distributivam et commutativam erga quædam membra, quibus in distributione onerum publicorum, injusta et inæqualia onera imponat. Violat justitiam distributivam ut patet, quia justam proportionem non observat. Violat insuper justitiam commutativam, non solum propter violationem contractus impliciti de quo statim dicemus, sed etiam quia respublica non habet dominium bonorum singulorum civium, sed solummodo dominium quoddam jurisdictionis vi cujus justam proportionem ad onera publica sustentanda a singulis civibus, habita ratione facultatum uniuscujusque, exigere potest. Si autem ultra justam proportionem ab aliquo exigat, quoad excessum res alienas aufert domino invito, et proinde justitiam non solum distributivam sed et commutativam violat. Objectum materiale actus quo violatur justitia distributiva et commutativa est idem in utroque casu; est enim excessus facultatum qui exigitur. Sed objectum formale utriusque virtutis quam eodem actu et in eadem materia transgreditur est prorsus diversum. Tenetur enim ex justitia distributiva ipsa communitas justam proportionem in distributione onerum publi-

corum servare, ob bonum commune totius. Peccat ergo distributor contra hanc virtutem, quia bonum commune exigit ut justa proportio in distributione servetur. Sed hæc proportio violari potest vel absque violatione *juris stricti* aliorum ut quando bona communia dignis dantur prætermissis dignioribus, vel simul violari potest jus strictum aliorum, ut quando aliqui ultra justam proportionem onerantur. Tenetur enim in hoc casu superior non solum ex justitia distributiva ob bonum publicum justam proportionem in distributione onerum servare, sed et ex justitia commutativa jus aliorum strictum non invadere.

112. Idem præcise dicendum est de justitia vindicativa. Potest enim violari hæc virtus vel cum violatione jurium aliorum vel sine ea. Sic qui duos ejusdem criminis sontes inæqualiter sine justa ratione punit, justitiam vindicativam violat, sed si neutrum ultra debitum puniat, non violat justitiam strictam, quia qui magis punitur nullum jus habet ut ne debite puniatur. Si autem, aut innocentem puniat, aut sontem ultra delicti debitum, jus strictum alterius invadit et utriusque justitiæ speciem violat; justitiam vindicativam, quia hæc virtus exigit ob *bonum publicum* totius communitatis ut innocentes ne puniantur, et ut debita proportio in punitione sontium servetur; justitiam commutativam, quia hæc virtus læsionem stricti juris alterius prohibet.

113. Concurrere etiam potest justitia commutativa cum legali. Si enim aliqui cives dolo vel fraude leges tr iutum imponentes evitant, et sic justam proportionem communium onerum non sustineant, unde fit ut alii cives plus æquo graventur, ipsi non solum justitiam legalem violant, legibus justis, ut suppono, non obedientes, sed et commutativam, quia jus strictum habent eorum concives, ut onera inæqualia et injusta in se ne imponantur, et sicut ipsa communitas eorum civium jus strictum violaret, quos oneribus inæqualibus opprimeret, ita et eorum concives, qui hoc idem efficiunt, ejusdem injustitiæ noxii constituuntur. Potest etiam tota communitas onera necessaria a singulis membris exigere, non solum ex virtute justitiæ legalis, sed et commutativæ, quamvis hoc ordinarie non facit, et in hoc casu qui justa tributa non solverent, justitiam non solum legalem sed et commutativam violarent.

§ II. *De contractu implicito qui vi juris naturalis in omni societate civili inter totam societatem ejusque membra singillatim sumpta existit.*

114. Quamvis membra communitatis in unum corpus politicum per vincula justitiæ legalis distributivæ et vindicativæ conjunguntur, debita quæ inter eos ex his præcise relationibus oriuntur non pertinent ad justitiam commutativam. Sed sicut officia quæ debentur a patre ad filium et a filio ad patrem sub hoc præcise respectu non pertinent ad justitiam, et tamen aliis sub respectibus inter eos existere potest justitia commutativa, sic etiam inter totam rempublicam ejusque membra individua potest intercedere justitia commutativa, quia potest communitas se gerere ut persona prorsus a singulis membris distincta, et nulla habita ratione vinculorum quibus tota communitas et membra individua in unam rempublicam coalescunt. Sic tota communitas, seu ii qui ad hæc negotia ejus nomine peragenda constituuntur, cum civibus aliquibus de navibus fabricandis, de armis suppeditandis, de commeatu præparando, et de innumeris aliis rebus ad usus publicos necessariis, contractus inire possunt; et in his contractibus generatim sola intervenit justitia commutativa, quia in ordinariis circumstantiis nulla ratio earum relationum, quæ inter contrahentes, quà ejusdem reipublicæ membra existunt, habetur, et hujusmodi contractus eodem modo obligant ac si republica non cum propriis civibus sed cum extraneis contraxisset. In hujusmodi contractibus, materia non consistit ex iis rebus quæ aliis justitiæ speciebus debentur.

115. Sed hoc ipsum quod ex aliis justitiæ speciebus debetur etiam vi contractus impliciti et proinde ex justitia commutativa deberi potest, ideoque vi hujus virtutis reddi debet. Existere contractum implicitum inter totam rempublicam et ejus membra individuatim sumpta inde patet, quia in omni republica bene ordinata tota societas jus habet non solum onera publica juxta facultates civium distribuendi; quæ a civibus ex virtute justitiæ legalis solvenda sunt; sed etiam jus strictum habet a civibus, justam proportionem solvere recusantibus, hanc vi auferendi, ipsique jure dominii vindicandi. Hoc autem jus a singulis civibus toti reipublicæ non conceditur nisi ea conditione ut tota societas ex justitia stricta vitam et bona singulorum civium defendere teneatur. In hoc casu non respiciuntur tota respublica et omnia ejus membra singulatim sumpta, ut unum corpus politicum, cujus ob

bonum omnes partes ad quædam officia obligantur; ut ex parte totius obligatio sit actiones civium singulorum in *bonum commune* ordinandi, onera publica et bona communia juxta facultates et merita civium propter *bonum commune* distribuendi, malefactores puniendi; et ex parte civium obligatio sit legibus obediendi et debitam proportionem impensarum publicarum contribuendi: sed spectantur ut partes diversæ quarum unaquæque suum habet dominium suaque bona, a dominio et bonis alterius prorsus distincta. Vi enim istius contractus impliciti tenetur respublica vitam et bona civium protegere, non solum ob bonum commune totius sed propter bonum privatum et particulare uniuscujusque civis. Et proinde si ob graviter culpabilem negligentiam totius societatis aliquis civis nocumentum in suis bonis passus sit, nisi ipse propria sua negligentia ad hoc damnum efficaciter cooperatus sit, ipsi a tota societate cui hoc damnum imputandum est restitutio facienda erit, nisi reparationem ab ipso injusto aggressore obtinuerit.

116. Itaque vi contractus impliciti tota communitas vitam, libertatem, et bona civium singulorum ex stricta justitia protegere tenetur; et hæc obligatio fundatur in jure quod necessario communitati a singulis civibus conceditur, debitam proportionem impensarum publicarum a civibus etiam vi auferendi, et sibi titulo dominii appropriandi. Si enim societas potestatem acciperet impensas necessarias in singulos cives imponendi, et quas ab iis solis qui solvere vellent exigere posset, nemo non videt stare non posse hanc rempublicam. Virtute ergo hujus contractus impliciti habet respublica jus strictum debitam proportionem impensarum publicarum a singulis civibus vi exigendi. Ad justitiam quidem distributivam pertinet hanc proportionem juxta necessitatem publicam et facultates civium determinare; sed distributione sic facta potest respublica quantitatem singulis impositam ex stricta justitia exigere. Ad ipsam rempublicam pertinet determinare quomodo a singulis civibus hæc summa exigenda sit. Potest illam statim ex virtute strictæ justitiæ imponere, et tunc unusquisque ad eam solvendam ex justititia commutativa tenebitur, et ii qui non solvent restitutionis obligationem incurrent. Raro tamen respublica hoc modo vectigalia imponit; sed tributi exactores constituit, qui a singulis quantitatem ipsis impositam exigunt. Tunc autem non possunt cives vi aut fraude uti, qualis esset v. g. conspirare cum vectigalium exactoribus, ut solutionem evitent, absque violatione justitiæ commutativæ. Potest respublica vi justitiæ strictæ tributum exigere et pœnam in eos qui solvere recusant imponere, et tunc quatuor justitiæ species concurre debent; distributiva, legalis imperans, et vindicativa ex parte totius reipublicæ;

legalis autem exequens et commutativa ex parte civium, qui debitam proportionem onerum communium ex justitia legali et vi contractus onerosi solvere tenentur. Et quoniam hic contractus est onerosus et utramque partem obligat, utique et ipsa communitas, prout jam diximus, erga cives ex justitia commutativa tenetur, et si ob ejus gravem negligentiam cives damna patiuntur ad restitutionem tenebitur.

117. Hactenus consideravimus totam communitatem ex una parta et membra ejus individua ex altera ut personas contrahentes, et hoc sub respectu communitas debitum justitiæ erga seipsam incurrere nequit, utpote hoc sub respectu nullam habens diversitatem aut personarum aut bonorum. Sed revera in nulla regiminis formâ potest ipsa respublica varia officia quæ ad ipsam pertinent perficere. Et quidem vel in forma regiminis democratica, officiorum publicorum maximi momenti executio necessario quibusdam individuis demandatur. Neque enim potest tota respublica per se legum observantiæ invigilare, neque exercitibus et classibus præesse; et ex horum officiorum executione et pax et tranquillitas interna, et securitas reipublicæ contra hostes externos pendet. Itaque in omni republica magna pars auctoritatis quæ ad totam communitatem pertinet quibusdam individuis demandatur; modus tamen committendi et quantitas quæ individuis datur a forma reipublicæ pendet. In forma democratica suprema potestas, quæ, ut antea diximus, est potestas leges ferendi et abrogandi in universa republica, manet apud populum. Sed si respublica sit magna, ne leges quidem condere potest per se populus, sed aliquibus individuis a populo electis hoc munus committit. A fortiore potestas rempublicam administrandi necessario alicui vel aliquibus individuis committitur. Sic in civitatibus fœderatis Americæ septentrionalis quarum regiminis forma est democratica, potestas legislativa residet in duobus conciliis congressus quem vocant (*a*), et in præside, cui præsidi etiam potestas suprema rempublicam administrandi committitur. In forma autem regiminis obligarchica aut monarchica evidens est ex ipsis nominibus, quod potestas quæ ad totam rempublicam pertinet, aliquibus individuis committatur.

118. Jamvero is aut ii quibus tota vel aliqua pars potestatis quæ toti reipublicæ competit datur, triplicem ad hanc rempublicam habent relationem: considerari enim possunt 1° simpliciter

(*a*) Each *state* is represented in the *senate*; the *people* are directly represented in the house of *representatives*. No man can be a senator until he has attained the age of thirty, and been nine years a citizen of the United States.

ut membra societatis; 2° ut caput ipsius societatis quod ejus vice fungitur et officia peragit; 3° ut ministri a republica constituti quibus res ad suam sustentationem et ad ipsius reipublicæ et ejus membrorum protectionem necessariæ suppeditantur. Sub primo respectu considerati ipsi justam suam proportionem onerum publicorum sustinere obligantur, propter protectionem vitæ et bonorum quam sicut omnia alia societatis membra, a tota societate accipiunt, nisi ipsa societas eos ab hoc onere specialiter eximat. Secundo sub respectu eorum obligationes identificantur cum obligationibus ipsius societatis, vel omnino si tota suprema potestas iis committatur, vel quoad eam partem potestatis supremæ quæ iis conceditur. Itaque hoc sub respectu justitia commutativa inter illos et totam communitatem in quantum ipsam repræsentant et cum ipsa identificantur non existit, ut patet; justitiâ vero legali imperanti, distributivâ, et vindicativâ, actus civium in bonum commune ordinare, et propter idem motivum justam proportionem in distributione onerum et bonorum communium servare, et sontes debite punire obligantur. Et sicut violatio harum virtutum ex parte ipsius reipublicæ restitutionis obligationem non inducit, ita nec ex parte eorum qui ejus nomine agunt; quia debitum harum virtutum in jure stricto non fundatur. Sed sicut inter ipsam rempublicam et ejus cives individuos intervenit contractus onerosus implicitus ex justitia commutativa obligans, ita etiam existit inter membra individua et eos qui rempublicam repræsentant, et in quantum ejus potestas jurisdictionis iis committitur. In tertio vero respectu membra quibus administratio reipublicæ committitur, considerantur ut distincta non solum a membris privatis sed etiam ab ipsa republica tota inter quæ et totam rempublicam contractus implicitus existit. Respublica enim iis suam jurisdictionem delegat, iis potestatem concedit necessaria onera et pro eorum propria convenienti sustentatione et pro necessitatibus publicis in cives imponendi, aut si ab ipsa republica imponantur, hæc etiam vi exigendi. Utique hæc exigi debent juxta leges, sed ipsa respublica potestatem habet hæc vi exigendi, et hanc potestatem alicui aut aliquibus membris individuis delegare potest. Deinde ex pecuniis vectigalibus magistratus et ministri reipublicæ stipendia, ad sua munia rite obeunda ab ipsa republica cujus sunt hæ pecuniæ, accipiunt. Manifestum ergo est quod hi omnes ex justitia commutativa et vi contractus impliciti erga ipsam rempublicam sua munia rite et fideliter adimplere tenentur.

119. Itaque princeps, qui sive electione sive jure hereditario supremam reipublicæ potestatem possidet, duplicem contractum

saltem implicitum init; unum cum ipsa societate cujus est caput, alterum cum ejus membris individuis. Ipsa enim societas ei jus vectigalia necessaria etiam vi a civibus exigendi delegat, ea sane conditione ut ipse societatem defendat atque protegat. Si autem ille *notabiliter* plus quam necessarium est et ad ipsam rempublicam defendendam, et ad seipsum suosque juxta eorum statum sustentandos, exigat, aut si *inutiliter* dissipet, aut si in *usus suos privatos* populo *rationabiliter nolente* convertat, utique reus est injustitiæ; quia injuste bona privatorum quoad excessum invadit; et potestatem hæc quoad excessum exigendi respublica neque concessit, neque concedere potuit. Diximus tamen *notabiliter plusquam necessarium*, quia nisi summa pro ejus sustentatione sit ab ipsa republica determinata, ea intra nimis strictos limites non est coarctanda. Quoad eas vero expensas, quæ in usus publicos impenduntur, multum ejus arbitrio permittitur, neque justitia graviter violatur, nisi propter impensas tantum *utiles*, ut ad ornandas urbes, ad porticus publicas decorandas, ad publica spectacula, &c., cives graviter onerantur. Et sicut ipsa communitas, ita et princeps qui ejus vicem in hac re gerit, aliquem individuum, vel aliquam classem civium inæqualiter onerando, justitiam commutativam violat. Diximus quoque si *inutiliter* dissipet, quia si bona publica jam non necessaria, propter bonum publicum servaret, ut v. g. onera civium proximo anno allevaret, vel ut rempublicam contra irruptionem hostium quam timet defenderet, et juste et licite ageret. Diximus denique aut si in *suos usus privatos pecuniam publicam populo rationabiliter nolente converteret*, quia princeps legitimus jus strictum habet ad necessaria tum ad suam sustentationem, tum ad rempublicam defendendam, vi contractus impliciti qui inter eum et rempublicam existit; et proinde si respublica ei necessaria ad sustentationem juxta suum statum non concederet, utique hæc exigere posset. Deinde si justam habeat causam timendi ne inique regno privetur, ex bonis publicis quantitatem necessariam ad futuram sui suorumque sustentationem servare potest. Denique si ipse bona sua privata in publica necessitate erogavit, potest ipse sibi ex bonis publicis compensationem facere. Ratio est quia in his omnibus casibus neque respublica neque cives rationabiliter inviti sunt ut hæc faciat; sed extra hos casus reus erit injustitiæ si bona in usus publicos destinata, in usus suos privatos convertat. Et insuper si propter ejus gravem negligentiam in hostibus externis coercendis, aut in sontibus non puniendis, aut si quia incapacibus publica officia suscipere permittat, respublica aut aliqui cives damna patiantur, utique ad hæc damna

resarcienda tenebitur; quia graviter et culpabiliter contractum inter ipsum et rempublicam ejusque cives violavit. Multo magis reus erit si positive ad hos actus damnificativos concurrit, ut si ipse homicidas aut latrones liberet, ita ut eo permittente crimina hujusmodi in republica impune grassentur, vel si officia indignis largiatur quando prævidet aut prævidere debet damna inde reipublicæ aut civibus eventura.

120. Quæ hactenus diximus de contractu qui inter principem ex una parte, ipsamque societatem, ejusque membra singulatim sumpta ex alia existit, aliis regiminis formis, in quibus potestas suprema non uni personæ sed pluribus datur, facile accommodari possunt. Illi enim omnes (non autem soli, ut statim dicemus) qui stipendium a republica accipiunt ad munia ejus perficienda contractum implicitum cum ea ineunt ad debitam scientiam et diligentiam adhibendam; et si ad eorum officium pertineat vitam vel proprietatem civium defendere, ad hæc debite perficienda ex justitia stricta tenentur; quia ipsis hoc munus, ad quod ipsa ex contractu tenetur, delegavit respublica, et ad illud rite obeundum iis stipendia aliaque necessaria suppeditat. Hæc vera sunt de omnibus stipendium accipientibus ad munia prædicta obeunda, a summo reipublicæ magistratu usque ad infimum, quia est contractus onerosus in quo obligatio existit ex una parte stipendium dandi, et ex altera officia commissa debite implendi. Illi ergo ex mera omissione graviter culpabili justitiam violant, et a fortiore si actibus positivis damna inferant, quia tunc etiam secluso contractu restituere tenerentur.

121. Contractus tamen prædictus obligat solummodo ad ordinariam diligentiam, id est ad eam diligentiam quam omnibus pensatis, scilicet habita ratione et magnitudinis rerum, et periculi damni, homines prudentes et diligentes, in rebus suis administrandis adhiberent. Nihil vetat contractum naturalem implicitum qui inter communitatem ejusque membra existit, *aliqua saltem ex parte explicite* iniri. Quod in nostri regiminis forma fit quoad contractum qui, inter principem (cui juxta *theoriam* constitutionis tota potestas rempublicam administrandi conceditur), et ipsam rempublicam civesque individuos initur. Sed ex jam dictis patet jura quæ materiam hujus contractus efformant, a jure municipali non creari, sed protegi et defendi. Quædam ex illis, ut præscriptio, vim a jure municipali accipiunt, sed præscriptione legitima facta, jus ad res sic acquisitas non est civile tantum sed naturale, neque a domino, ipso nolente, res sic acquisitæ auferri possunt absque legis naturalis violatione. Officium juris municipalis in hac materia non est novum jus conferre, sed lites diri-

mere, et unumquemque in possessione bonorum suorum securum reddere. Hinc nihil per contractum explicitum sanciri potest, quod contractui implicito, qui in ipso jure naturali radices habet, opponatur. Itaque quoad ea omnia falsa, et injusta quæ in contractu explicito, contra fidem Catholicam introducuntur, de quibus adhuc juramentum a principe exigitur, contractus est prorsus nullus et irritus. Equidem media quibus finis contractus naturalis attingi debet, in specie non præscribuntur a jure naturali, neque etiam ipsa regiminis forma, quæ omnia diversa sunt apud diversas gentes, et etiam apud eandem gentem in diversis temporibus. Et quidem multa necessario per contractus explicitos ordinari debent. Hoc modo ipsa regiminis forma determinatur, magistratus et judices constituuntur, leges feruntur juxta quas lites de proprietate dirimuntur, sontes puniuntur, et alia multa stabiliuntur. Sed hac omnia sunt tantum media ad pacem et tranquillitatem reipublicæ obtinendam, justitiamque inter cives servandam. Finis est immutabilis, media omnino mutabilia, et etiam juxta diversas circumstantias temporum, locorum, et ipsorum societatis membrorum, mutari debent, hisque accommodari. Mediis tamen constitutis, quamvis a multis minus idonea ad finem obtinendum judicentur, modo non sint mala aut injusta, omnia membra reipublicæ seipsos conformare tenentur quamdiu a societate retinentur; quia nulla vigere posset pax nec justitia nisi eadem regula ab omnibus uniformiter servaretur.

122. Diximus contractum implicitum *aliqua ex parte* explicite iniri posse, quia innumera nova negotia quæ in republica quotidie oriuntur, pro quibus expediendis nova media non raro necessaria sunt, et ipsa natura mediorum, quæ experientia minus idonea fuisse sæpe probantur, vetant ne hæc omnia unquam ad contractum explicitum reducantur. Finis societatis præcipue attingitur legibus justis ferendis, iisque rite et fideliter exequendis. Jam vidimus eos qui stipendia a republica accipiunt, ut leges fideliter exequantur, violationis justitiæ strictæ reos esse, non solum quando ad injustitiam inferendam positive cooperantur, in quo casu ad obligationem restitutionis incurrendam nullus contractus, sive implicitus, sive explicitus necessarius est; sed insuper eos teneri damna reparare quæ ob eorum culpabilem negligentiam obveniunt, quia ad hæc damna præcavenda vi contractus onerosi obligantur. Quoad eos vero quibus potestas leges ferendi et vectigalia imponendi committitur, i. e. senatoribus utriusque ordinis legitime convocatis, cum principe, manifestum est quod ii omnes qui culpabiliter concurrunt ad leges ferendas, aut ad tributa im-

ponenda, quibus aliqui individui, aut aliqua classis civium, ultra justam proportionem onerantur, vel inique puniuntur et opprimuntur, justitiam commutativam violant et ad restitutionem tenentur. Tales erant leges Ecclesiam Catholicam in his aliisque regionibus spoliantes, sacerdotes Catholicos occidi jubentes et Catholicos laicos mulctis, amissione bonorum, aliisque pœnis gravissimis propter fidei professionem punientes. Sed hæc injustitia non oritur solummodo ex contractu inter communitatem, cujus locum in legibus ferendis tenet parlamentum, et ejus membra individua, namque seposito etiam hoc contractu, hujusmodi actus justitiam strictam evidenter subvertunt. Vi autem contractus impliciti singuli senatores utriusque ordinis et ipse princeps, si his legibus efficaciter obstare potuissent, quas per eorum graviter culpabilem negligentiam, aut pusillanitatem ferri passi sunt, jura stricta quæ ex justitia defendere tenebantur violaverunt, et deficientibus causis positivis, damna injusta inde illata reparare obligantur. Neque obstat quod apud nos membra parlamenti stipendium non accipiunt; dignitas enim ista magno in pretio habetur, hoc officium non solum sponte suscipiunt sed et enixe ambiunt, et proinde sicut ipsa communitas, ita etiam ii qui ejus vicem gerunt iniquæ legislationi ex stricta justitia resistere tenentur. Idem magna saltem ex parte dicendum est de iis qui in civitate aliqua deliguntur ad personas civium gerendas, aut qui agunt pro iis qui ad mendicos sustentandos tributa conferunt. Hi enim certo obligantur vi contractus impliciti ad ordinariam adhibendam diligentiam adhibendam ne propter dissipata vectigalia cives plus æquo graventur.

DISPUTATIO OCTAVA.

DE JURE.

De significatione juris in præsenti materia. Quomodo jus strictum determinetur et ab aliis juribus distinguatur. De variis speciebus bonorum quæ objectum juris stricti efformare possunt.

§ 1. *De sensu in quo jus strictum in præsenti materia accipitur.*

123. Diximus supra n. 25. jus triplici in sensu accipi, nempe 1. pro lege; 2. pro legitima facultate a lege derivata ad aliquid agendum, obtinendum, &c. ; et 3. pro eo quod vi istius legitimæ facultatis debetur. Diximus quoque jus in tertio sensu acceptum esse objectum *materiale* justitiæ. De jure in secundo sensu, id est, de jure formaliter sumpto nunc agimus. Jus *formale* lato sensu acceptum definiri potest : *Facultas legitima ad aliquid agendum, possidendum, prohibendum*, &c. Per facultatem intelligitur aliqua potestas *moralis* aliquid agendi, &c. Quoniam autem est potestas moralis debet ab aliqua lege morali derivari. Etenim potestatem habeo physicam innocentem percutiendi, et ejus læsio ex percussione juxta leges physicas sequitur. Sed non habeo potestatem ex aliqua lege morali hoc faciendi; e contrario jus alienum in lege morali fundatum violo. Ubicumque existit debitum in aliqua lege morali fundatum ex una parte, est jus ex alia. Jus enim et debitum sunt correlativa, attamen et personæ inter quos existunt, et quantitas tam juris quam debiti aliquando non determinantur. Sic pauperes habent jus ut ex inopia perire ne sinantur, et debitum est ex parte individuorum divitiis affluentium, et ipsius communitatis, eorum necessitatibus providendi. Si tamen plures sint divites qui pauperibus commode subvenire possunt, jus alicujus pauperis determinati non aliquem divitem determinatum respicit, et si ab uno satis ei subveniatur, et alii omnes, et ipsa communitas a debito subveniendi liberantur. Deinde ipsa quantitas et juris et debiti pendet ex necessitatibus pauperis et ex superfluis bonis divitis. Et hæc indeterminatio non solum invenitur in jure hoc sensu

latissimo accepto, sed etiam in jure quod in justitia commutativa fundamentum habet; quia si quis testamento alicui res suas relinquit ea conditione, ut legatis solutis quidquid residuum est pauperibus distribuatur, tum summa, tum personæ quibus solvenda est, indeterminatæ sunt, et tamen hanc summam pauperibus distribuere ex stricta justitia testamenti exsecutor obligatur. Attamen etiam in hoc casu summa pauperibus debita solutis legatis, determinata fit, et personæ necessario determinantur, antequam ulli pauperes determinati jus strictum ad legatum acquirant. Ordinarie vero in jure præsertim stricto, et jus et debitum et personæ inter quas hæc intercedunt, sunt determinata. Jus est in eo *cui* aliquid debetur, debitum in illo a *quo* debetur. Itaque si Petrus debet centum Paulo, Paulus habet jus ad centum a Petro accipienda, et Petrus centum solvendo exercet actum *justitiæ*, et injustitiæ recusando. Jus itaque existit ex parte ejus. *cui* debitum solvendum est, justitia aut injustitia ex parte ejus a *quo* solutio fieri debet.

124. Jus, secundum definitionem supra allatam acceptum, non solum quatuor species justitiæ formalis complectitur, sed et virtutes quæ ad justitiam potentialiter pertinent, iis exceptis, ut liberalitate et amicitia, quæ verum debitum erga alium non exigunt; et potestatem jurisdictionis et patris super familiam, et omnem aliam potestatem moralem vi cujus verum jus datur ex una parte et verum debitum exurgit ex alia. Ex proposito omisimus verba *in proprium commodum*, quæ a Carriere (*a*) post alios in definitione juris formalis *generaliter sumpti* ponuntur; quia ut ipse agnoscit (*b*) hæc verba definitionem ad solum jus strictum restringunt. Longe vero magis errat idem auctor (*c*) quando, diviso jure in jus *strictum* seu *perfectum* et jus *imperfectum*, per jus perfectum prout ab ipso explicatur, jus proprietatis intelligit. "Non pauci," ait, "in eo sitam dicunt rationem illius distinctionis, quod violatio juris stricti inducat obligationem restituendi, non vero imperfecti. Sed cum aliunde præcise ex natura juris quod fuit violatum determinari soleat necessitas restitutionis, ideo difficile effugitur circulus vitiosus. Alio igitur modo explicanda videtur hæc divisio. . . . Jus *strictum* seu *perfectum*, quod confundi non debet cum jure *pleno*, illud dicitur quod possumus rigorose exigere via coactionis. . . . Jus *imperfectum* est illud cujus executionem coactionis via exigere non possumus." Et iterum (*d*), "Officia perfecta debentur ab una et certa persona adeo ut, si hæc illa non præstet, ab alio ista

(*a*) De Just. n. 8. (*b*) Ibid. 4. (*c*) Ibid. n. 9. (*d*) Ibid. n. 10.

exigere nequeam: contra officia imperfecta non ab una et certa persona, sed indefinite a pluribus debentur, sic v. g. Petro debeo eleemosynam, at non ego solus, sed et reliqui homines. Adest ergo quoad priora coactioni locus, quia nisi cogatur determinata persona jus irritum efficietur; non vero quoad posteriora, quia si ab uno repulsam ferat mendicus, recursum habet in alios."

125. Jamvero agnoscimus explicationem illorum qui distinctionem inter jus perfectum et imperfectum in eo reponunt quod a priore restitutionis obligatio oriatur, non item vero a posteriore, esse omnino insufficentem, quia est verus circulus, quoniam verba *jus suum* in definitione justitiæ commutativæ ex cujus solius violatione obligatio restitutionis oritur ut istius virtutis fundamentum assumuntur. Concedimus insuper jus generaliter sumptum dividi posse in jus strictum seu perfectum et imperfectum, juxta mentem ejusdem auctoris: id est, Jus strictum est illud quod est et determinatum in se et quoad personas, et quod via coactionis exigi potest; jus imperfectum est illud quod determinatum non est neque in se neque quoad personas, neque via coactionis exigi potest. Agnoscimus insuper jura proprietatis esse et in se et quoad personas ordinarie determinata; quoad res, quoniam in hoc jure reddendo æqualitas perfecta rei ad rem servari debet, ut qui jus habet ad centum, nec plus nec minus accipiat; quoad personas, quia nemo jus positivum in justitia commutativa fundatum habere potest, nisi aliquis aut rem ejus habeat, aut injustum damnum ei intulerit. Sed hæ sunt in se personæ determinatæ, quamvis per accidens fieri possit ut damnificatus ignoret damnificatores, et vice versa. Agnoscimus etiam posse hominem extra societatem res suas vi proportionata repetere, et societatem teneri jura hujusmodi unicuique civi integra conservare, vi etiam adhibita quando hoc necessarium est. Insuper ille cujus jus proprietatis certo violatur seipsum per occultam compensationem indemnem reddere potest, quando ob defectum probationum, aut ob aliam causam, hanc per leges obtinere nequit. Agnoscimus etiam jus imperfectum quod habent pauperes ad bona superflua divitum esse indeterminatum, neque posse ab ipsis pauperibus illud via coactionis exigi; neque etiam posset ipsa societas legem statuere vi cujus Petro liceret actionem instituere contra Paulum eò prætextu quod ipse sit pauper et Paulus dives. Evidens est, quod si alterutrum ex his (non loquor de casu extremæ necessitatis) permitteretur, statim fieret confiscatio bonorum et ipsius reipublicæ ruina.

126. Sed definitio allata juris stricti jus proprietatis de quo tota quæstio est, ab aliis pluribus juris speciebus nullatenus dis-

tinguit. Nonne jus ejus qui communitati præest, vi cujus leges condit præceptaque imponit, est determinatum et in se et quoad personas? Res enim sunt leges conditæ et præcepta imposita; personæ sunt subditi et superior qui hoc jure in omnes et solos subditos potitur; et via coactionis superior subditos ad leges observandas et mandata implenda adigere potest. Itaque definitio non solum jus proprietatis sed et justitiæ legalis imperantis et etiam obedientiam exigendi complectitur. Deinde quando pater mandatum imponit in filium, et res et personæ sunt determinatæ, et via coactionis obedientiam filii exigere potest. Itaque jus in pietate fundatum etiam in definitione continetur. Est quæstio pure de nomine utrum omnia jura quæ sunt et determinata in se et via coactionis exigi possunt, sub nomine *juris stricti* comprehendi debeant necne. Sane superiores communitatum tum religiosarum tum civilium jus habent leges justas condendi et præcepta imponendi, sed quia hæc ad materiam justitiæ commutativæ non pertinent, transgressores non injusti sed iniqui et inobedientes appellantur. Sed si cui placeat hæc omnia jura nomine juris stricti designare, tum distinguendum est inter jus strictum quo quis potitur in proprium suum commodum, et jus strictum quo potitur in commodum aliorum. Prius omne et solum jus proprietatis complectitur, et per hæc verba ut videbimus, hoc jus ab omnibus aliis adæquate distinguitur.

127. *Jus itaque proprietatis est potestas legitima aliquid agendi, possidendi, obtinenti, utendi, prohibendi, &c., in proprium commodum ejus qui illo jure potitur.* Dicitur 1. *potestas*, non physica sed moralis. Sic homo potestatem habet physicam alium sine causa percutiendi, sed non habet jus seu potestatem moralem id agendi. Percussus, e contra, jus et potestatem moralem habet hunc actum prohibendi, quamvis fieri possit ut potestatem physicam non possideat. Duæ istæ potestates simul conjungi possunt, ut quando quis potestatem habet et physicam et moralem vim injuste illatam repellendi. Sed pax societatis fere exigit ut potestas physica, etiam quando cum potestate morali conjungitur, non a privatis, sed solummodo a potestate publica exerceatur. In præsenti de sola potestate morali agimus. Inde dicitur 2. *legitima*, quia nemo ullum jus aut potestatem possidere potest, nisi quod ipsi aliqua lege concedatur. Sic, secluso casu in quo libertate ob justam causam privarer, jus habeo ambulandi, quia id mihi lex naturalis concessit. In hoc quidem casu lex quoad me non est imperans aut vetans sed permittens; attamen quoad alios est vetans ne ii me in hoc jure exercendo sine justa

causa impediant. Ex diversis etiam legibus derivatur potestas quam quoad diversa bona habemus : ex lege naturali potestas ad vitam, membra, famam, libertatem; ex lege divina potestas ad sacramenta suscipienda ; ex lege humana potestas ad ea retinenda quæ præscriptione acquiruntur.

128. In his exemplis agitur de potestate quæ nobis a lege in virtute justitiæ fundata conceditur; sed potestas legitima ex legibus quarum materia in aliis virtutibus invenitur, derivari potest, ut jam diximus. Itaque verba ista *potestas legitima* locum tenent generis in definitione, quoniam aliam potestatem legitimam præter eam quæ in jure justitiæ strictæ fundatur, includunt. Dicitur 3° *ad aliquid agendum, possidendum, obtinendum, vel prohibendum, in proprium commodum.* Hæc verba differentiam maxime propriam exprimunt, et distinguunt potestatem legitimam quæ a jure justitiæ strictæ derivatur, ab omni alia potestate legitima. Sed verba hæc omnia debent simul conjungi, quia si priora verba sine restrictione quæ in ultimis continetur accipiantur, ad solam potestatem legitimam quæ ex lege ex justitia stricta obligante derivatur restringi nequeunt ; namque pater et superior potestatem habent legitimam aliqua prohibendi et obtinendi a filiis et subditis. Sed verba *in proprium commodum* ea quæ præcedunt ad materiam justitiæ strictæ determinant. Namque nulla alia potestas legitima nobis in nostrum proprium commodum conceditur, nisi ea quæ ex lege justitiæ strictæ derivatur. Et 1°. manifestum est quod potestas legitima quæ ex lege justitiæ strictæ derivatur, mihi in proprium commodum conceditur ; ut secluso omni pacto seu contractu *mea* vita, *mea* membra, *mea* libertas, *mea* vestimenta, *meus* equus in proprium meum commodum mihi concedantur. Ex communi sensu omnium hominum ipsum verbum *meus* quando agitur de bonis quæ in nostrum commodum appropriari possunt, hoc significat; prout *tuus* significat res ad te in proprium tuum commodum pertinentes, quando his verbis simpliciter et sine ulla qualificatione utimur.

129. E converso nulla alia potestas legitima in nostrum proprium commodum nobis conceditur nisi quæ in justitia stricta fundatur. Etenim præter potestatem quæ in justitia fundatur, ea quæ primo aspectu videretur esse in commodum possidentis, est potestas patris in filium et superioris in subditum. Sed etsi potestas quam habet pater in filium fundatur in nexu physico generationis, seu productionis, attamen inde potestate non potitur vendendi filium suum aut de eo tanquam de sua proprietate in proprium commodum disponendi. Aliæ quidem res tam inanimatæ quam animatæ irrationales, ad eum pertinent cujus labore et impensis pro-

ducuntur ; non ita tamen res se habet respectu hominis, qui propter nobilitatem suæ conditionis non fit producentis, sicut bos vel equus ; pater enim solummodo jus habet filium dirigendi et gubernandi, et quidem *per se* non in commodum proprium sed in commodum ipsius filii. Secluso itaque omni pacto filius ratione nexus solius originis erga patrem ex justitia non obligatur, sed tantum ex obedientia et pietate. Similiter subditus non est res quædam superioris propria sicut bos de quo quis *per se* disponere potest in suum proprium commodum. Dixi *per se*, quia per accidens ut si ipsis necessaria vitæ desint, possunt pater et prælatus exigere filiorum et subditorum opera, quæ ad eorum proprium sustentationem requirantur : attamen etiam in hoc casu hæc exigere non possunt tanquam *sua*, neque ut debita justitiæ commutativæ, sed ut debita pietatis, vel obedientiæ, quæ iis non redduntur propter eorum privatum commodum, sed sicut alii actus pietatis et obedientiæ quæ sicut præcipi, ita et reddi debent, propter bonum ipsorum filiorum et subditorum. Hinc filius non reddens patri opera præscripta, aut subditus non obediens superiori, non illos aliqua re privant quæ illis debita est in corum proprium commodum, sed solummodo officia pietatis et justitiæ deserunt.

130. "Filius," ait Lugo (*a*), "non servit patri, vel illum alit habendo pro ultimo fine utilitatem patris, ad quam filius ordinetur, sed potius debitum proprium gratitudinis, et obsequii pro beneficio accepto, et ne incurrat pessimam illam ingratitudinis speciem quæ vocatur impietas. Similiter quando pater filio præcipit obsequium in utilitatem ipsius patris ; obedientia illa et obsequium, licet vindicatur referri ad patris utilitatem ; re tamen vera utilitas patris materialiter se habet ; quod enim formaliter respicit filius et intendit, non est utilitas patris, sed obedientia patri, a quo debet gubernari et dirigi in ordine ad bonum ipsius filii, prout de facto dirigitur ad obsequium præstandum patri, quod quidem est bonum ipsius filii, et ideo præcipitur a patre, non quia bonum patris est sed quia est bonum filii in quo differt a dominio." Inutile esset casum discutere qui ibidem ab eodem auctore versatur, nempe quod pater jus vendendi filium in gravi necessitate possidet, quoniam servitus nunc apud omnes gentes exultas abrogata est. Sed si hoc fieri possit, dicendum esset patri jus directe competere suæ necessitati subveniendi et ad hoc efficiendum, medium extraordinarium vendendi filium usurpare posse. Consequenter tenendum esset quod in tali necessitate pater aliquali dominio potiatur in filium, sicut respublica quamvis dominium bonorum privatorum non habet, attamen hæc in quan-

(*a*) De Just. disp. 1. n. 8.

tum necessaria sunt propter bonum publicum usurpare potest. Similiter potest quis ad vitam suam servandam equum alienam arripere. Sed hæc non pugnant cum principio quod in § sequenti magis evolvetur ; quia pater (posita validitate venditionis) respublica et ille cujus vita aliter servari nequit, jus habent *strictum ex ipsa necessitate derivatum*, non autem ex sola pietate, obedientia, aut caritate, his rebus in proprium eorum commodum *utendi*, quod jus ergo in virtute justitiæ strictæ fundatur.

131. Hinc patet potestatem quæ in jure stricto fundatur a potestate et pietatis et obedientiæ in hoc discrepare, quod prior directe tendit ad nostrum proprium commodum, dum posterior *directe et per se* exerceri debet in bonum filiorum et subditorum. Ideo præceptum legitimum non obligat subditos ex justitia sed ex pietate et obedientia. Sed hic cavendum est ne duo prorsus diversa confundantur, potestas nempe superioris quoad subditos qua tales, et quoad eosdem si inter ejus domesticos numerentur. Potestas enim domini quoad domesticos est potestas dominii quia ex contractu oneroso oritur, et si illos quà dominus jubet aliqua opera perficere, utique hæc ex justitia et in ejus commodum præstare tenentur. Si vero aliquod mandatum cum aliis subditis ex virtute solius obedientiæ implere teneantur, hoc neque superior in suum proprium bonum et commodum imperare potest, neque subditi ob ejus bonum privatum sed propter semetipsos, ne criminis inobedientiæ seipsos reos efficiant, et propter bonum commune adimplere obligantur.

132. Potestas tamen ipsa gubernandi subditos, bonum est superioris, et ideo peccat contra justitiam, qui a legitimo superiore hanc aufert, vel eum impedit in justo exercitio istius potestatis ; quia aufert illi aliquod bonum utile, et æstimabile, non minus quam si auferret divitias, vestes, vel famam ; quum non minus possideat superior potestatem jurisdictionis tanquam proprium bonum, quam cætera omnia, quæ in suis bonis habet, et quæ sunt materia justitiæ et injustitiæ (*a*). Et quidem ipsa possessio potestatis sive paternæ sive jurisdictionis, est honor qui tendit ad ornamentum et proprium commodum patris et principis, ideoque hæc superioritas inter res quæ in suum commodum possident rite numeratur, qua proinde absque gravi injustitia privari nequeunt. Hæc vero potestas ab iis ob bonum eorum privatum exerceri nequit.

(*a*) Lugo Disp. 1. s. 1. n. 14.

§ II. *De titulo in quo jus strictum nititur seu de vinculo quo res nostræ nobiscum in nostrum proprium commodum connectuntur.*

De divisione juris proprietatis in jus in re et jus ad rem.

134. Titulus est fundamentum juris, seu ratio quare jus habeam aliquid agendi, acquirendi, exigendi, &c. Itaque tot sunt jura quot sunt tituli legitimi. Sic superior communitatis jus habet obedientiam a subditis exigendi; quia communis hominum sensus, et recta ratio docent ipsam societatem stare non posse nisi membra inferiora capiti obedientiam præstent, ideoque præeminentiam superioris esse titulum legitimum vi cujus obedientia ipsi debetur. Cultus *latriæ* Deo debetur titulo supremæ excellentiæ, amor titulo summæ bonitatis. Jus quod homo habet vita sua et membris in proprium commodum utendi, in titulo proprietatis nititur, quia Deus ipsi harum rerum dominium utile, seu jus illis in proprium commodum utendi, largitus est. Ex supra dictis de jure patet quod titulus in quo jus strictum fundatur debet esse talis ut res quæ tali jure ab aliquo vindicantur, ipsi juxta communem sensum et æstimationem hominum, in proprium suum commodum devinciat. Hoc sensu acceptus titulus definiri potest: *Ratio vi cujus aliquis jus habet rebus suis in proprium commodum sine alterius injuria utendi, illas contra alios sibi vindicandi, et compensationem propter damnum injuste illatum exigendi.*

135. Veritas hujus definitionis ex communi sensu hominum et modo agendi probatur. Si enim quæro ex aliquo quo jure certos agros sibi vindicet, et respondet se eos emisse aut hæreditate accepisse, jus suum in titulo emptionis aut juris hæreditarii reponit. Itaque emptio aut jus hæreditarium est vinculum quo hi agri cum eo in proprium ejus commodum connectuntur, seu titulus quo illos sibi exclusive vindicat. Sed recte quæritur quomodo vinculum quod inter nos et illas res quæ nobiscum in proprium nostrum commodum connectuntur ab omnibus aliis vinculis moralibus. v. g. obedientiæ, pietatis, &c., distinguatur. Non sufficit dicere hoc vinculum esse seu titulum justitiæ, quia hic esset circulus vitiosus, quoniam *jus strictum* quod in illo vinculo nititur in definitione justitiæ invenitur. De hac quæstione plura infra dicentur ubi de origine dominii tractabimus, et justam et licitam fuisse divisionem et appropriationem agrorum aliorumque fortunæ bonorum ex recta ratione demonstrabimus. Interim hic sufficit dicere discrimen

inter titulum in quo fundatur jus strictum, ut appellatur, vi cujus res aliqua nobiscum in nostrum proprium commodum connectitur, et alios omnes titulos morales, ut obedientiæ, &c., ex communi hominum sensu et æstimatione esse repetendum. Naturalis quædam atque insita in animis hominum est notio quod quædam res hominibus individuatim sumptis exclusive in *proprium eorum commodum* devinciuntur. Sic insitum est omni homini usum propriæ suæ vitæ et membrorum ita ad seipsum pertinere, et nullum alium hominem eum vita aut membris absque violatione ejus juris stricti privare posse. Et etiam quoad res externas, uniuscujusque hominis animo insitum est, se jure exclusivo potiri iis rebus fruendi quæ titulo suæ propriæ industriæ ipsi adnectuntur, ut vestimenta, fructus, et alia quæ proprio labore comparavit. Aliter nulla posset esse pax inter homines, nulla societas existere posset, neque ulla lex moralis servari. Hinc in ipso mundi exordio *meum* et *tuum* etiam quoad bona externa introductum est; Cain enim agricola erat et de fructibus terræ munera obtulit Domino, sed Dominus ad munera *illius* non respexit. Abel autem fuit pastor ovium, et obtulit de primogenitis gregis *sui*. Hæc omnia satis sunt evidentia, sed latius infra exponentur, ubi de divisione bonorum, et de variis titulis quibus hæc bona alicui adnecti possint in suum proprium commodum agemus.

136. Quoniam bonorum quibus uti possumus in nostrum proprium commodum valde diversa sunt genera, sic multiplicis generis est titulus, seu vinculum vi cujus nobiscum connectuntur. Etenim nos inter et quædam bona ut vitam nostram, membra, famam, libertatem, titulus absolute vi ipsius legis naturalis, existet. Alia autem sunt bona inter quæ et nos vinculum illud non absolute exsurgit, sed in divisione rerum externarum, et in pactis, et conventionibus libere initis fundatur, ut ea quæ titulo pacti, aut contractus nobis vindicamus. Vita et membra nostra quæ Deus nobis largitus est nobiscum per unionem *substantialem* connectuntur; bona valetudo, scientia, fama, libertas per unionem *accidentalem*. Quia vero hæc omnia bona nobis *inhærent*, bona *interna* nominantur per oppositionem ad bona fortunæ quæ nobis non inhærent, et ideo *externa* appellantur. Et quamvis fama mea, ut suo loco dicetur, formaliter sumpta in aliorum de me existimatione sita est, attamen quia nemo potest eam lædere nisi vituperando vitam *meam meosque mores*, aut eam augere nisi *meos* mores qui in meipso sunt laudando, ideo inter bona interna simpliciter numeratur. Titulus seu vinculum inter nos et bona fortunæ, ut prædium, pecuniam, &c., sive propria nostra industria, sive emptione, sive aliquo alio titulo comparata

sunt, prorsus externus est ut patet, sed non minus efficaciter hæc bona *nostra* facit.

137. Sed recta ratio et communis hominum sensus docent, non raro dari bona quibus hic et nunc non fruimur, quæ tamen aut nunc aut in aliquo tempore futuro nobiscum in nostrum proprium commodum devinciri debent. Sic si Caius domum Julii scienter et malitiose combusserit, utique injuste privavit Julium re *sua*, et illam ipsam rem si posset restituere teneretur. Sed quoniam hoc fieri nequit, neque amplius ad Julium pertinet quia non existit, Caius manifesto tenetur aut domum æque bonam et commodam pro Julio construere, aut ejus valorem ei reddere. Eodem modo qui seminat agros suos jus strictum habet ut segetes quando existent ipsi devinciantur in suum proprium commodum. Idem, ut suo loco exponetur, dicendum est de bonis quod aliquis consecutus fuisset nisi alius mediis injustis obstitisset, ut si Caius Julium opificem ab opere ejus violenter et injuste arceat, et sic illum pretio sui laboris privet. Itaque quoniam quædam res *hic et nunc* nobiscum devinciuntur titulo juris stricti, quædam vero sunt aliæ quæ quamvis hic et nunc non ita devinciuntur, ita tamen devinciri debent aut nunc aut in aliquo tempore futuro, jus strictum quod in priore titulo fundatur *jus in re* appellatur, jus vero quod in secundo sedem habet *jus ad rem* dicitur.

138. *Itaque jus in re est jus quod quis habet quoad illa bona quæ hic et nunc ipsi adnectuntur in proprium suum commodum ; jus ad rem est jus quod quis habet quoad ea bona quæ ipsi hic et nunc non adnectuntur in proprium suum commodum, sed ita adnecti debent, vel nunc, vel in aliquo tempore futuro.*

Per bona in his definitionibus intelligimus res omnes sive corporales sive incorporales quæ homini in proprium suum commodum devinciri possunt. Quamvis vero titulus vi cujus aliquod bonum homini hic et nunc adnectitur in suum proprium commodum requiritur et sufficit ad jus in re conferendum, nihilominus quoniam quædam conditiones requiruntur ex parte bonorum ut possint esse objectum hujus tituli, et quoniam omnis titulus jus strictum conferens non sufficit ad *jus in re* constituendum, conditiones requisitæ ex parte tam rerum quam tituli diligenter investigandæ sunt.

§ 4. *De conditionibus necessariis ad jus in re constituendum.*

139. Ex parte bonorum ut possint esse juris in re objectum, requiritur 1° ut actu existant, et 2° ut sint in individuo determinata; 3° ex parte tituli, requiritur ut rem ipsam hic et nunc subjiciat potestati morali illius hominis qui jus in re quoad hanc

rem sibi vindicat, ita ut juxta communem hominum intellectum ea uti possit in proprium suum commodum.

1. Res debet *actu existere ;* quia evidens est rem non existentem nulli posse hic et nunc devinciri, neque ea nunc quemquam frui. Sic tempore quo agricola semina terræ mandat, non habet fructus quos sperat se tempore messis accepturum hic et nunc sibi annexos, quia non existunt; et etiam propter bellum, cœli intemperiem, &c., fieri potest ut nunquam exstituri sint, aut etiamsi existant fortasse morte interveniente ad serentem nunquam pertinebunt. Jus quidem quod habet agricola non ad ipsos fructus corporales, sed ad *jus ipsum incorporale* quo fructus debito tempore percipere debet est jus in re, quia hic et nunc illo jure potitur, sed jus quod habet relate ad fructus ipsos materiales est jus ad rem tantum.

2. Res debent esse *in se et in individuo determinatæ*, et ab omnibus aliis etiam ejusdem speciei distinctæ. Quatenus res debeant esse determinatæ ut ad aliquem titulo juris stricti generatim sumpti pertinere possint, ex jam dictis nn. 123 et 136 satis intelligi potest. Ad hoc omnino sufficit ut res sint determinatæ in numero, pondere, mensura aut valore, imo non raro sufficit ut quantitas juxta æstimationem prudentum determinari possit. Sic si postquam agricola semen terræ mandavit, inimicus ejus per inundationem aut alio modo iniquo terram infœcundam effecit, etsi quantitas frugum quas agricola percepisset soli Deo cognita est, sane qui damnum intulit, illud reparare tenetur. Quantitas vero damni nonnisi probabiliter æstimari potest. Hæc determinatio non solum omnino insufficiens esset ut res objectum *juris in re* esse possit, sed ne sufficit quidem rem determinare, pondere, mensura aut valore. Sic si quis mihi debet centum nummos, centum modios tritici, dolium vini, aut compensationem propter damnum, quamvis pecunia qua debitum solvi, et damnum reparari debent, et triticum et vinum existant, attamen donec pecunia qua solvi debet debitum, et ipsum dolium vini in individuo determinentur, et ab omnibus aliis rebus etiam ejusdem speciei distinguantur, mihi immediate adnecti non possunt hic et nunc in meum proprium commodum, nec proinde objectum juris in re efformare. Si enim ille qui centum nummos debet, mille habeat, nulla pars istius pecuniæ mihi adnecti potest quandiu in eadem arca cum reliquis nummis mixta permanet. Solummodo jus habeo ut debitor tempore opportuno debitum mihi solvat. Equidem si debitor centum nummos ad debitum solvendum ab aliis segregaret satis determinarentur, et, posito titulo sufficienti, ad eos jus in re habere possum. Sed determinatio in individuo est omnino necessaria, quia si debitor tota sua pecunia common-

stratâ juberet me centum nummos accipere, jus in re non haberem donec actu accepissem. Similiter si Caius monstratis sex equis Julio diceret "tibi quemcumque ex illis vis dono," nullus ex illis ad Julium potest jure in re pertinere, donec unum ex illis elegerit. Electione tamen semel facta, quamvis equus nullatenus sit in loco ubi electio fit, satis determinatus esset, ut existente titulo sufficienti, de quo hic non disputo, ad Julium jure in re pertinere possit. Idem dicendum est de nummis contentis in *certa* crumena quæ ab omnibus aliis distingui potest, de vino in certo dolio et de tritico in certo quodam sacco, aut in certo quodam acervo qui ab aliis segregatur. 3. Requiritur *titulus* vi cujus res ipsa, quoad quam aliquis jus in re sibi vindicat, ipsi hic et nunc in ejus proprium commodum adnectitur. Potest enim res et esse in specie determinata et titulo strictæ justitiæ alteri deberi, etsi ejus fruitio non sit ei hic et nunc annexa. Sic si Caius contrahat cum Julio se equum suum pro equo Julii post mensem commutaturum, uterque jus strictum statim acquirit, ut alter equum ipsi post mensem tradat. Attamen nenter jus habet ad præsentem fruitionem equi alterius, neque proinde titulum sufficientem ad jus in re constituendum. Jus itaque in hoc casu est *jus ad rem.*

140. Aliqui addunt 4^am^ conditionem, quam dicunt esse necessariam ad jus in re constituendum, rei nempe traditionem. In casu enim posito dicunt neutrum etiam post mensem jus in re acquirere ad equum alterius donec mutua fiat traditio. Sed hæc quæstio pertinet ad materiam de contractibus, nempe quatenus in pactis de commutatione rerum, aliqua traditio sit necessaria, ad dominium ab uno in alterum transferendum. Nunc sufficit observare, traditionem nunquam esse necessariam ad jus in re constituendum, quando tres conditiones prædictæ adsunt; non raro vero necessarium esse ad ipsum titulum perficiendum. In contractibus in quibus res quas contrahentes reddere obligantur, non sunt in individuo determinatæ, sed tantum numero, pondere, valore, mensura, vix aliter titulus perficitur quam ipsam rem ei cui debetur, aut alicui qui ejus nomine illam accipit tradendo. Sic in mutuo quamvis mutuatarius nummos quibus debitum solvere statuit, ab omnibus aliis segregaret, titulus mutuatoris adhuc esset *ad rem* tantum, namque adhuc ipso mutuatario devincirentur in suum proprium commodum. Si enim mutata intentione, his ipsis nummis merces emeret, utique ad venditorem mercium pertinerent; et revera si a venditore exigi possent eo prætextu quod sepositi essent ad debitum solvendum, actum esset de omni commercio et etiam de ipsa societate. Equidem si Caius qui Julio centum nummos debet, istam summam in certo loco

seposuisset, solo jure naturali spectato inter eos conveniri posset, ut Julius quamvis non esset in loco ubi pecunia seponitur, hanc ipsam pecuniam hic et nunc in solutionem debiti acciperet; et tunc si pecunia illa, absque culpa Caii, surriperetur antequam Julius eam acciperet, Caius a solutione debiti liberaretur. Sed revera talis conventio de solutione debiti nunquam fit. Quamvis enim debitor nummos quibus debitum solvere statuit modo dicto seponeret, et creditor constitueret ut ad locum ubi sepositi essent pergeret, eosque ibi acciperet, semper seclusa speciali conventione, manerent sub dominio prioris domini donec actu acciperentur, neque alio jure nisi *ad rem* potiretur creditor, et proinde si ante ejus adventum ablati fuissent, debitor adhuc solvere teneretur. Itaque quando quæstio est de translatione pecuniæ ab uno in alterum, in qua materia non nummi quidam certi et determinati sed valor respicitur, nunquam fere jus in re acquiritur antequam ea traditur, quia ante traditionem nulli nummi certi et individui creditori devinciuntur, sed solummodo jure potitur ad certam summam accipiendam.

141. Aliter vero res se habet quoad alia bona quæ ordinarie pondere aut mensura venduntur, ut frumentum, oleum, vinum, cibaria, &c.; quia si hæc tempore contractus sint in individuo determinata, ut certus frumenti acervus, certum dolium vini, certus cadus carnis, jure naturali nulla traditio necessaria est ad jus in re in hujusmodi rebus ab uno in alterum transferendum; potest enim hoc fieri mutuo consensu partium. Si vero tempore contractus, merces in individuo determinatæ non erant, *vi istius contractus*, emptor nunquam jus in re acquirit ante mercium traditionem. Equidem si tam venditor quam emptor postea merces in individuo determinarent, jus in re acquireret emptor, nisi aliter vellent contrahentes, quia ita agendo primum contractum perficerent. Quando vero merces non sunt determinatæ in individuo eo tempore quo fit contractus, determinatio fit a solo venditore, et tunc jus in re non acquirit emptor, usquedum ipsi, aut vectori, aut alteri qui juxta conventionem illas ejus nomine accipit, traduntur (*a*). Quamvis vero quando merx est in individuo determinata, servatis debitis conditionibus ad validitatem con-

(a) Ita etiam statuitur in lege nostra municipali. "When the sale is not of *specific* goods, no property passes until the particular goods be *ascertained by delivery*:" Stephen. v. 2. vol. 70. Sed aliam exigit conditionem præter determinationem necessariam, nempe ut tempore contractus merx sit omnino completa et ad tradendum apta. "This is also the case when the goods at the time of the sale are not in a condition to be immediately delivered; for while any previous act remains to be done to them, on the part of the vendor, they continue always, at his risk, and consequently they do not belong to the purchaser:" Id. ibid.

tractus requisitis (*a*), traditio mercium non est necessaria ad jus in re in emptorem conferendum, quando talis est natura contractus, attamen venditor non acquirit jus in re ad pretium antequam ipsi traditur, aut alteri qui illud ejus nomine accipit; quia donec pecunia solvitur, vendens non habet jus ad nummos quosdam determinatos sed solummodo ad certum valorem accipiendum.

142. Quædam hic sedulo observanda sunt. 1. Quando dicimus jus in re exigere titulum vi cujus res hic et nunc nobis adnectatur in nostrum proprium commodum, non intelligimus rem *actu* et physice nobis adnecti debere, quæstio enim non est de vinculo physico sed morali. Sic si quis equum meum furatus sit, non ideo jure in re privor; nam hoc jus mihi adhæret quandiu equus existit; ipso vero extincto jam vinculum inter me et ipsum desinit, neque amplius habeo jus in re; non quoad equum, quia non existit; neque quoad compensationem damni, quia hæc compensatio non mihi devincit aliquam rem in individuo determinatam. Itaque solummodo jure ad rem, id est ad adæquatam compensationem potior.

143. 2. Non solum ipsa substantia rei, sed aliqua pars ejus, aut usus, aut commodum, nobis adnecti potest immediate in proprium nostrum commodum, et ita circa unum ex his, ceteris exclusis, jure in re potiri possumus. Sic qui agrum suum aut domum locat aut equum commodat in annum locatario aut commodatario, transfert jus in re quoad usum et possessionem durante anno; ipse vero jus in re quoad ipsam substantiam rei retinet, jus vero *ad rem* quoad possessionem et usum, quia hæc anno elapso ipsi reddi debent. Quod ejus jus quoad rem ipsam est jus *in re* patet, quia de illo hic et nunc statim disponere potest in suum proprium commodum. Propter contrariam rationem etsi jus strictum habet ad possessionem et usum equi, anno elapso, attamen durante anno de his disponere nequit, neque durante illo tempore ipsi in suum commodum adnectuntur. Sed durante anno in quem Petrus agrum Caio locavit, eum Julio locare potest, ita tamen ut eum non ingrediatur Julius nisi anno elapso; quia etsi usus ille futurus jam non existit neque proinde

(*a*) In jure nostro municipali quando merces determinatæ venduntur pecunia numerata (*for ready money*) quamvis contractus validus initur mutuo consensu, ut si Caius merces offert pro quinque libris, et cum Julio convenit ut hoc pretium solvatur, attamen talis conventio non dat jus in re sed ad rem tantum. Si vero pretium ab emptore *offeratur*, aut merces a venditore, aut aliqua pars quamvis minima aut pretii aut mercium sit tradita ex una parte et acceptata ex alia, emptor jus in re ad merces acquirit. Quando vero merces pecunia non præsenti venduntur, nulla traditio necessaria est ad jus in re conferendum; sed quando pretium ad decem libras anglicanas attingit, conventionem sub pœna nullitatis scriptis mandare necesse est.

eo hic et nunc potiri potest Petrus in suum proprium commodum, attamen hic et nunc jure in re potitur quoad *ipsum jus* accipiendi possessionem et usum istius agri post annum elapsum, et ideo de illo jure incorporali hic et nunc disponere potest in suum proprium commodum. Annotandum est 3. Aliquem jure in re quoad rem aliquam potiri posse ut ex exemplis allatis patet, sine possessione aut actuali aut legali. E contra omnis possessio *justa* et *legalis* est titulus sufficiens ad *aliquod* jus in re conferendum. Dico 1. possessio *justa;* fur enim possessionem actualem habet rei furtivæ, et tamen non solum nullo jure quoad istam rem potitur, sed eam domino restituere tenetur. Dico 2. *legalis;* quia quamvis solo jure naturali spectato omnis possessio justa aliquod jus in re confert, jure tamen civili et municipali domesticus cui committitur cura vasorum domus, et pastor mercede conductus cui armenta mandantur nullum jus quoad res ipsis commissas habere censentur, quod ita lege statuitur quia hujusmodi possessores res ipsis commissas non nomine proprio sed alieno possident. Itaque in hoc casu possessio potius est physica quam moralis, et ideo nullum jus acquirere censentur quoad res ipsis commissas, sed tantum obligationem illas servandi et defendendi contrahunt. Hinc lex municipalis illis non concedit actionem propter damnum quod aliquis in rebus ipsis commissis injuste infert; at vero si injuria personali affecti fuerint, actionem ad reparationem obtinendam instituere possunt. Omnis vero possessio justa et legalis ut, v. g. vectoris quoad merces quas transportat, sartoris quoad pannum quem accipit ad vestem conficiendam, imo illius qui tunicam amici ad breve tempus tenendam accipit, jus *in re* confert. Titulus quidem in quo jus fundatur in his casibus est valde diversus, quia in casu vectoris et sartoris, &c., non fundatur in sola possessione legali, quamvis de solo titulo possessionis loquuntur jurisperiti (*a*), sed in quasi-contractu inter illos et dominos rerum quas possident; proinde jure in re potiuntur, non solum contra omnes alios has merces retinendi, sed etiam contra ipsos mercium dominos, usquedum pretium laboris accipiant. Qui autem accipit tunicam ad breve tempus tenendam, jus in re habet in solo titulo possessionis fundatum, et nullum habet titulum aut jus contra dominum tunicæ, qui potest eam pro nutu repetere. Ita etiam res se habet in rebus incorporalibus quæ nobiscum titulo omnino precario et ad nutum revocabili connectuntur. Talis, v. g. est amicitia; jus enim habeo ne quis me hac possessione mendaciis aut alio medio injusto privet, sed nullum jus habeo ne ipse amicus illam subtrahat.

(*a*) Cf. Stephen vol. 2. p. 10.

144. 3. Quamvis adhuc de natura dominii non tractavimus, conveniens erit hic breviter indicare quatenus jus in re cum dominio identificetur. Dominium quoad rem aliquam (ut patet ex dictis de *jure in re*), potest esse plenum et perfectum, aut semiplenum et imperfectum. Dominium perfectum potestatem exigit re ipsa utendi in proprium commodum, de ea pro libitu disponendi, et omnes alias ab ea excludendi. Tale dominium exigit *jus in re* et quoad ipsam rei substantiam, et quoad ejus usum fruitionem et possessionem legalem (*a*) quæ jura prorsus diversa et separabilia sunt, ut ex dictis patet. Si itaque per vocem *dominium* intelligatur dominium perfectum, manifestum est jus in re latius patere quam dominium, nam ut docet Molina (*b*) dominium proprietatis est potissima species juris in re, eo quod qui habet usum rei, jus in re habet quamvis non sit rei dominus, cum quo concordant Lugo (*c*) Layman (*d*) et theologi communiter. Si vero nomine dominii intelligatur non solum dominium perfectum sed etiam imperfectum, ita ut includat omnem potestatem moralem disponendi de re ipsa aut de aliquo usu ejus in nostrum proprium commodum, dominium et jus in re revera identificantur. Et quidem auctores dominium in tot species dividunt quot possunt esse jura in re quoad aliquam rem, "Dominium imperfectum" ait Schmalzgrueber (*e*) "est quidem jus disponendi de re sed non perfecte, puta vel de rei substantia tantum, non vero de fructibus, quale habet dominus directus in re sua in usumfructum concessa, vel contra de fructibus aut rei utilitate tantum, non vero de substantia et proprietate, ut usufructuarius. Species dominii imperfecti sunt servitutes omnes, feudum, emphyteusis, libellus, ususfructus, usus, habitatio et reductive etiam possessio." Et sane qui commodat equum in mensem, durante mense dominium possessionis et usus abalienavit, et hæc commodatario per id tempus in ejus commodum adnectuntur, qui proinde verus dominus est usus et possessionis. Idem dicendum est de eo qui agros suos aut domum locat; ille enim locatario dominium usus et possessionis transfert. Concinit omnino lex municipalis quæ proprietatem *qualificatam* quoad merces traditas vectoribus, sartoribus, cauponibus &c., ratione possessionis concedit, et consequenter nonnisi dominium imperfectum et qualificatum

(*a*) Ita etiam jus nostrum municipale ad dominium perfectum juris et seisinæ (possessionis) conjunctionem exigit. Fleta. ap. Step. vol. i. p. 514.
(*b*) De just. Tr. 2. disp. 3.
(*c*) De just. disp. 2. t. 1. n. 1.
(*d*) De just. tr. 1. c. 5. n. 1.
(*e*) Dissert. proæm. § 1, n. 31.

quoad res quæ ab aliis legitime possidentur in dominis directis, ad quos ipsa substantia mercium pertinet, agnoscit (*a*).

145. Quanquam vero ex parte rei, jus in re et dominium æquiparantur, attamen ex communi usu et modo loquendi ille dicitur dominus seu proprietarius rei ad quem ejus substantia pertinet, non autem ille qui ejus accessoria, aut accidentia possidet. Sic etsi commodatarius equi alieni revera habet dominium usus tempore commodati, si diceret hic equus meus est, auditores deciperet: e contra qui dominium retinet substantiæ, etiam durante tempore commodati, simpliciter dicere potest, hic equus meus est. Sed de hac re redibit sermo quando de dominio imperfecto agemus.

§ V. *De conditionibus necessariis ad jus ad rem constituendum. De discrimine inter jus in re et jus ad rem solo jure naturali spectato. Infertur an vi juris naturalis, jus in re actionem realem, jus ad rem, personalem tribuat.*

146. Ad jus ad rem constituendum duæ requiruntur conditiones, quarum una est *positiva*. altera *negativa*. Conditio positiva est, ut res sit debita ex titulo justitiæ, seu in proprium commodum ejus cui debetur. Naturam hujus tituli qui semper essentialiter requiritur ad jus strictum omne sive *in re sive ad rem* constituendum supra demonstravimus. Conditio negativa est, ut titulus non sit talis ut vi ejus res actu nobis hic et nunc

(*a*) "Property in chattels personal may be either *in possession* (i. e. alicui jure in re adnecti), or else in *action* (quod idem ac jus ad rem significat). Property in possession is where a man has the enjoyment, either actual or constructive, of the thing or chattel; and is divided into two sorts—an *absolute* and a *qualified* property. . . . As when goods are delivered to another person for a particular use (which is called *bailment*, and the person delivering the goods is called the *bailor*, and he to whom they are delivered the *bailee*), as to a carrier to convey to London, to an innkeeper to secure in his inn, or the like; here there is no absolute property in either the bailor or bailee; for the bailor hath only the right, and not the immediate possession—the bailee hath the possession and only the temporary right; but it is a qualified property in them both, and each of them is entitled to an action against any stranger by whom the goods are wrongfully damaged or taken away; the bailee, on account of his immediate possession; the bailor, on account of his general ownership." Stephen, vol. 2. p. 10. "*Property in action* is where a man has not the enjoyment (actual or constructive) of the thing in question, but merely a right to recover it by a suit or action at law; from whence the thing so recoverable is called a thing (or *chose*) in action. Thus, money due on a bond is a *chose in action*, for a property in the money vests wherever it becomes payable (i.e. jure potitur ad hanc pecuniam hic et nunc accipiendam); but there is no possession (nec determinatio rerum in individuo) till it is recovered by course of law, unless payment be first voluntarily

adnectatur in nostrum proprium commodum. Itaque existente titulo justitiæ et deficiente ulla ex tribus conditionibus quæ necessariæ sunt ad jus in re constituendum, jus ad rem solummodo existit. Defectu primæ conditionis, jus strictum agricolæ ad fructus quos ex suo prædio anno sequenti percepturum se sperat, est tantum jus ad rem. Defectu secundæ conditionis, jus Caii ad centum nummos quos hic et nunc ipsi solvere tenetur Julius, aut ad dua indeterminata vini vel olei dolia aut ad certam quantitatem et qualitatem pomorum frumenti, &c., rebus ipsis in individuo non determinatis, est jus ad rem solummodo. Idem dicendum est de jure Caii ad compensationem accipiendam propter damnum ipsi injuste a Julio illatum. Defectu tertiæ conditionis, id est, quod licet ipse titulus jus strictum conferat attamen si talis sit ut rem Caio hic et nunc non alliget in suum proprium commodum, est jus ad rem tantum, quamvis res est et ex justitia debita, in individuo determinata, et existit,. Plura exempla supra adduximus, ut si Caius et Julius mutuo se obligant ad certos et determinatos equos post mensem commutandos, jus Caii ad equum Julii, et vice versa, est jus ad rem tantum, quia durante mense uterque jus in re quoad suum equum retinet, cum obligatione illum post mensem commutandi. Et duo homines nunquam possunt jure in re quoad eandem rem et sub eodem respectu potiri. Sic Caius qui suum equum in mensem commodavit Julio jus in re ad possessionem et usum sui equi durante mense non habet, quia hæc, per illud tempus adnectuntur Julio in proprium ejus commodum. Sed, ut ex eodem exemplo patet, possunt duo habere jus in re quoad eandem rem et eodem tempore sub diversis tamen respectibus, ita ut unus jus in re ad substantiam, alter ad usum habeat, quoniam hæc jura sunt prorsus separabilia. Ideo tot possunt esse jura in re quoad rem aliquam, quot haberi possunt commoda quæ diversis personis eodem tempore in commodum uniuscujusque adnecti possunt. Sic unus habere potest jus in re ad substantiam agri, alter ad ejus usum, tertius ad jus incorporale viæ per

made. And so if a man promises or covenants with me to do any act and fails in it, whereby I suffer damage, the recompense for this damage is a *chose in action ;* for though a right to some recompense vests in me at the time of damage done, yet what and how large such recompense shall be, can only be ascertained by verdict, and the possession can only be given me by legal judgment and execution (Id est si injustus damnificator injuste satisfacere recusat, donec per actionem legalem hoc facere cogitur). A chose in action, then, is a thing rather in *potentia* than in *esse*, though the owner may have as absolute property in, and be as well entitled to, such thing in action as if it were in possession." Id. Ibid. p. 11.

agrum, quartus ad aquas fluminis quod per eum defluit, quintus ad jus piscationis, &c. Hujus itaque agri dominium plenum nemo habet, sed id inter omnes illos qui jure in re quoad illum potiuntur dividitur.

147. Jam annotavimus eum, qui jure ad rem quoad rem quamcumque potitur, jus in re habere quoad ipsum titulum in quo jus ad rem fundatur. Sic qui equum suum per mensem commodavit, jus ad rem tantum habet ad ipsum usum et possessionem equi post mensem elapsum, sed hic et nunc jus in re habet ut mense elapso equus ipsi reddatur; et ideo hic et nunc de hoc jure, id est de usu et possessione equi post elapsum mensem disponere potest. Ita agricola hic et nunc jure in re potitur quoad ipsum jus fructus anni proximi percipiendi, et idem in omnibus aliis hujusmodi casibus dicendum est.

148. Merito reprehenditur Blackstone a Stephen (*a*) quod docuit omnem proprietatem *in actione*, in contractibus *omnino* fundari. Ipse autem docet eam includere jus etiam damni injuste illati reparationem *exigendi*, sed in hoc ipse parum accurate loquitur, quia eo instante quo damnum infertur, qui illud passus est *jus in re* habet ad compensationem, ut ipse Stephen in textu fatetur (*b*), sed jus *quoad ipsas res* quibus reparatio fieri debet est jus ad rem tantum, quia non sunt in individuo determinatæ. Neque ideo præcise est hoc jus *ad rem* solummodo, ut ipse dicit ibidem quia *quantitas* debita ad damnum reparandum cognosci nequit nisi ex judicio juratorum; quia si Caius centum nummos Julii in mare projecit quantitas cognita est, et tamen jus Caii est ad rem tantum ut supra exposuimus. Etsi quidem quantitas damni est semper *in se* determinata, attamen plerumque determinate et arithmetice *cognosci* nequit, et proinde juxta arbitrium prudentum æstimari debet. Hoc ordinarie fit aut per conventionem partium, aut aliorum qui arbitri ad rem æstimandam constituuntur, aut si ita convenire nequeunt, ex judicio juratorum quando is qui damnum intulit cognoscitur. Quando vero is qui occulte damnum intulit, pœnitentia tactus id reparare statuit, quantitas juxta æstimationem peritorum in materia in qua damnum illatum erat, determinari debet.

149. Insuper errat Stephen quando dicit omne jus ad rem ex damnificationibus, et contractibus oriri, quia jus quod habet agricola ad fructus anni sequentis est verum jus in re quoad ipsum jus fructus debito tempore percipiendi, de quo statim pro-

(*a*) Vol. 2. p. 12. n. m.
(*b*) Cf. ejus verba supra in notis relata.

libitu ejus possessor disponere potest, quoad ipsos vero fructus jus ad rem habet. Deinde male restringitur hoc jus a nostris jurisperitis ad bona mobilia, quia manifestum est aliquem habere posse domos aut agros sibi hic et nunc annexos in suum proprium commodum, aut solummodo jus ut ita ei adnectantur. Et ideo ipsi (*a*) distinguunt status [*estates*] qui habentur in agris in status *in possessione* id est quando aliquis jus in re quoad agros habet, seu quando *jure* ipsi hic et nunc in proprium ejus commodum adnectuntur; et status in *expectatione*, id est, quando aliquis jus ad rem habet quoad statum, seu ut ipsi aut absolute aut contingenter in futuro adnecti debet in ejus proprium commodum. Sed revera divisio juris in jus in re et jus ad rem eodem in modo subsistit, sive res sunt immobiles sive mobiles quia agri et domus hic et nunc alicui adnecti possunt in ejus proprium commodum; aut hic et nunc non ita adnectuntur, sed aut nunc aut in posterum ita adnecti debent. Sic jure in re potitur quis quoad agros quos actu possidet; jure ad rem quoad illos quos post mortem Caii necessario accipiet.

150. Atque hic annotare possumus minime apta esse vocabula quæ in jure nostro municipali usurpantur ad id exprimendum quod apud theologos per verba jus in re et jus ad rem significatur, nam in jure anglicano omnis proprietas mobilis quæ alicui jure in re adnectitur proprietas in *possessione* appellatur. At supra ostendimus possessionem nullatenus necessariam esse ad jus in re constituendum: et hoc adeo verum est ut ipsi jurisperiti cogantur proprietatem in possessione dividere in proprietatem quæ possidetur et proprietatem quæ non possidetur. Aliis quidem verbis utuntur, namque juxta illos proprietas in possessione dividitur in *absolutam* et *qualificatam;* prior est quando aliquis dominio pleno et possessione rei saltem legali potitur; posterior quando dominium plenum rei habet absque possessione, aut possessionem absque dominio pleno. Sic ut eorum exemplo utar, quando dominus merces suas in possessionem vectoris tradit, et dominus et vector proprietatem habent qualificatam *in possessione* in his mercibus, prior titulo *dominii*, posterior titulo *possessionis*. Sed dominus non habet possessionem etiam legalem mercium, et ideo definite ejus dominium est tantum qualificatum quia possessione caret (*b*). Similiter quando quis commodat equum alteri in mensem, proprietas domini etiam durante mense proprietas in possessione appellatur quamvis equum per hoc tempus neque possidet,

(*a*) Cf. Stephen. vol. i. p. 318. (*b*) Cf. Stephen. vol. ii. p. 10.

neque juste aut ex lege possidere potest. Revera habet jus in re titulo dominii, sed possessionem neque habet neque habere debet.

151. Distinctio inter jus in re et jus ad rem non minus res incorporales quam corporales respicit. Jus enim habere potest Caius transeundi per agros Julii æque immediate sibi in proprium commodum annexum, ac jus quo potitur equo suo. Objectum juris in primo casu est res incorporalis, sensibus enim percipi nequit, et in solo jure ipsum juris objectum consistit. In secundo casu, objectum juris, equus nempe, est res corporalis sensibusque obvia. Jus in utroque casu est jus in re. Si vero jus transeundi per agros Julii anno sequenti hic et nunc emit Caius, hoc jus non est in re sed ad rem. Similiter Caius qui hic et nunc jure reditus quorundam agrorum accipiendi potitur, jus in re quoad hoc *hereditamentum* incorporale habet; si vero jus habet hos reditus accipiendi post mortem Julii, ejus jus quoad ipsos reditus est ad rem solummodo, quamvis jus in re hic et nunc habet non quoad reditus sed quoad jus ipsum illos tempore debito percipiendi.

152. Hæc distinctio inter jus in re et jus ad rem, teste Molina (*a*), maximi est momenti ad intelligendam materiam de justitia; sed quia, ut in eodem loco testatur, multum pendet ex legibus institutisque humanis, ipse aliique theologi (*b*) communiter eam perpendunt juxta ea quæ hac de re in lege civili statuuntur. Ideo aliqui ex illis (*c*) definiunt jus in re esse illud quod tribuit actionem realem, jus vero ad rem esse illud ex quo nascitur obligatio et actio personalis. Alii vero qui discrimen inter jus in re et ad rem non inde desumunt quod prius det actionem realem, posterius personalem, magni tamen faciunt diversitatem actionum quas concedunt ad ipsa jura inter se distinguenda. Sufficiet citare Salmanticenses (*d*) qui accuratius de hac materia loquuntur. "Jus in re est circa rem aliquam, ad quod res ipsa devincta est, quia nimirum tribuit *actionem realem*, non solum in personam, sed et in rem, quæ ubicumque est illius est qui in illa jus obtinet, et quocumque res transeat, cum illo onere transit; ut obstricta sit illi, qui tale jus possidet. Jus ad rem est circa rem aliquam, ad quod res ipsa nondum est devincta, et sic directe et immediate non tribuit actionem in rem, seu *realem*, sed tantum in personam seu *personalem*. Unde si illa res vendatur alteri,

(*a*) De Just. Tract. 2. disp. 2.
(*b*) Cf. Layman de Just. Tract. 1. c. 5. n. 1.; Lessius de Just. cap. 2. dub. 2. n. 11. et 12.; Dicastillo, Tract. 1. disp. 1. n. 10., &c.
(*c*) Layman loc. ci
(*d*) De Just. c. 1. punct. 1. n. 3.

manet illi qui emit, nobis vero datur actio adversus personam, quia res ipsa nobis non est obligata." Attamen quoniam actio jus non creat sed supponit, nobis incumbit, nostro proposito adhærentes, distinctionem inter utrumque jus, sola lege naturali spectata, imprimis investigare, et postea ea quæ a lege municipali statuta sunt in medium proferre. Et sane ex dictis patet jus in re et jus ad rem esse omnino distincta, sine ullo respectu ad actiones civiles quæ ad hæc jura vindicanda conceduntur. Homo enim jus strictum habet ad res suo labore comparatas, quamvis extra omnem societatem civilem constitutus esset, quando nullus pateret recursus ad actionem civilem ad res suas vindicandas.

153. Dico itaque discrimen essentiale inter jus in re et ad rem in hoc consistere, quod jus in re legitimam dat facultatem re *statim* fruendi, aut jus in proprium commodum exercendi, si res sit incorporalis, et proinde jus in re semper perfectum esse in ratione juris. E contra jus ad rem nunquam præsentem rei fruitionem aut juris exercendi potestatem expeditam confert, et ideo semper aliquare indiget ut hujus juris possessor re ita sibi devincta actu potiri possit. Vel enim requiritur aliquod tempus, ut quando bona, sive hic et nunc existunt sive non, nonnisi in futuro alicui adnectentur in ejus proprium commodum; at morte interveniente, aut propter innumeras alias causas, nunquam fortasse ad earum fruitionem perveniet, vel quamvis bona hic et nunc debentur vi contractus aut propter damnum injuste illatum, attamen, ut jam probavimus, aliqua actio semper intervenire debet antequam jus ejus cui debentur perficitur, ita ut hæc bona in suum proprium commodum convertere possit. Jus vero in re nulla re alia unquam indiget ad ipsum in ratione juris perficiendum, quamvis enim Caius equum Julii furatus sit, Julius nulla potestate *morali*, sed tantum *physica* ad actualem sui equi fruitionem indiget.

154. Inde oritur aliud discrimen inter jus in re et jus ad rem, quod jus in re in quantum jus ipsum consideratur, in obligationibus positivis aliorum nunquam fundatur: jus ad rem fere semper. Jus enim quod habeo ad res meas minime in obligationibus positivis aliorum fundatur; nemo enim teneri potest illud mihi præstare quod jam mihi adnectitur in meum proprium commodum, sed solummodo ab omni violatione mei juris abstinere; aut rem meam injuste detentam mihi reddere, quod nullo modo jus meum mutat aut perficit. E contra jus ad rem semper in obligationibus positivis aliorum fundatur, exceptis casibus in quibus solo lapsu temporis in jus in re convertitur. Sic jus ad rem quod habet agricola ad fructus anni sequentis, fructibus existentibus ipso facto in jus in re mutatur; et jus ad rem quod habet Julius ad

agros quibus necessario succedere debet mortuo Caio, per mortem Caii in jus in re convertitur; quamvis in hoc ultimo casu in jure nostro agros ingredi tenetur antequam ejus jus omnino perficitur. Sed jus ad rem magna ex parte ex contractibus et damnificationibus oritur. Quod attinet ad damnificationes, manifestum est jus ad rem quod habet ille qui damnum passus est, in obligatione alterius qui damnum injuste intulit fundari; in contractibus vero, vel contractus tempore quo initur executioni mandatur ex utraque parte, vel ex una tantum, vel ex neutra. In primo casu, ut si Caius equum Julii emit, et pretio soluto eum accipit, nullum jus ad rem oritur, quia uterque habet id omne de quo conventum erat. Jus itaque Caii ad equum et Julii ad pecuniam est jus in re, titulus in utroque casu est contractus executioni mandatus. Si vero contractus valide initus executioni ex una tantum parte sit mandatus, puta si equus Caio traditus sit, pretio nondum soluto, aut vice versa, jus in re titulo contractus ex una parte executioni mandati ei nascitur qui equum aut pecuniam accipit; jus vero ad rem ex altera, titulo contractus executioni mandandi, et in obligatione illius qui adhuc equum aut pecuniam alteri debet innixum. Hoc tamen discrimen inter utrumque casum existit, quod si Caius equum acceperit pecunia nondum soluta, totum jus Julii erit jus ad rem solummodo, ut ex supra dictis patet; si vero Caius pretium solverit, et contractus talis sit, ut vi illius dominium equi statim in Caium transferri debeat, et equus sit in individuo determinatus nondum vero Caio traditus, Caius jus in re ad ipsum equum acquirit, ad rem vero quoad possessionem. Si vero contractus executioni mandandus sit ex utraque parte, puta si Julius se obliget vi contractus equum tradere Caio post mensem accepto pretio constituto, et si Caius hoc pretium eodem tempore solvere teneatur, jus ex utraque parte est jus ad rem titulo contractus executioni mandandi innixum. Huic doctrinæ omnino consona sunt ea quæ jus municipiale statuit, sed hæc ad materiam de contractibus pertinent.

155. Ut intelligantur ea quæ hic dicentur de actionibus, necessarium erit breviter revocare in memoriam ea quæ hac de materia in proœmio diximus. Hic sufficiet repetere actiones in jure tum civili, tum municipali nostro in reales, personales, et mixtas, dividi. Sed sensu prorsus diverso actiones reales et personales in utroque jure accipiuntur. In jure nostro nulla actio dicitur *realis* nisi *saltem res immobiles* [*things real*] i. e. agros aut ædificia, aut jura quæ ex iis derivantur, respiciat. Aliæ omnes actiones etiam illæ vi quarum res mobilis in specie recuperari potest personales dicuntur. Itaque jus in re circa res mobiles nunquam dat actionem realem. Juxta jus vero civile actio realis ea est quæ

rem aliquam sive immobilem sive mobilem, aut jus aliquod ejus domino in specie vindicat; ita ut contra quemcumque in cujus manus res devenerit ejus dominus actionem ad ipsam recuperandam instituere potest. Actio personalis ea est quæ instituitur contra ipsum qui ex contractu aut delicto aliquid dare aut agere obligatur. Actio mixta ea est quæ et rei ipsius restitutionem et damni reparationem exigit. Itaque actio realis rem ipsam immediate respicit ejusque restitutionem jubet; actio personalis respicit personam quem implere contractum suum aut reparare damnum a se injuste illatum cogit. Hoc sensu actiones reales et personales a theologis intelliguntur. Quæstio itaque est quatenus jure naturali jus in re det actionem realem, et jus ad rem tantum personalem, eo in sensu in quo hæ actiones in jure civili accipiuntur.

156. Jamvero actio talis esse debet ut reddat unicuique jus suum ad perfectam æqualitatem. Unusquisque jus habet, si res sua existit, et ita velit, ut ipsa res, non vero ejus valor aut alia compensatio, sibi reddatur. Namque, ut ait Lugo (*a*), "Si abstuli librum, non satisfacio reddendo pretium, vel alios plures et pretiosiores libros, sed debeo eundem numero librum reddere, si possum." Quoniam ergo lex naturalis exigit ut res sua, sive id quod alicui jure in re adnectitur ipsi reddatur, si possit, non autem ejus valor aut alia compensatio, et quoniam jus municipale debet jura naturalia uniuscujusque civis vindicare, evidens est quod actionem dare debet vi cujus unusquisque ipsam rem suam vindicare posset, *si ita* velit. Dico si ita velit, quia fieri potest ut res v. g. merces, pecora, &c., ita deteriorentur, ut eorum dominus rationabiliter nolit ipsas res accipere, et compensationem pro toto damno exigat. Hoc fieri nequit quando quæstio est de agris, et proinde actio dari debet vi cujus in specie recuperari possint. Insuper qui jure in re circa aliquam rem potitur debet habere actionem, vi cujus rem suam vindicare possit in cujuscumque manus devenerit, modo tamen ejus dominium non fuerit vi legis municipalis in alium translatum, ut per emptionem in nundinis publicis, effici potest.

157. Quamvis vero jus ad rem institui non potest nisi contra eum qui ex contractu aut actione damnificativa erga alium obligationem incurrit, revera tamen lex naturalis reparationem in specie exigit in quantum fieri potest. Si enim Caius se obligavit certos agros vendere, aut merces in certa quantitate et qualitate tradere Julio pretio constituto, sane jure naturali has ipsas res

(*a*) De Incarnatione disp. 4. n. I.

tradere tenetur neque sufficit aliam compensationem facere. Et revera in hoc casu lex nostra coget Caium contractum, in specie implere, et etiam ipsos agros contra quemcumque alium præter eum qui illos bona fide emerit Julio vindicabit. Hæc actio qua jus non in re sed ad rem vindicatur, videtur esse realis juxta sensum juris civilis, quia agros determinatos immediate respicit. Neque instituitur contra agrorum venditorum quia in curia æquitatis actio de ejectione firmæ [*of ejectment*] contra agrorum possessorem institui potest. Aliunde est omnino juri naturali consona. Etiam in rebus mobilibus quando res existit, et in specie determinata est et vi contractus debetur, curia æquitatis apud nos ipsius rei traditionem decernet, ut in proœmio diximus. Itaque videtur quod non solum jus in re sed etiam jus ad rem actionibus realibus juxta sensum juris civilis vindicari potest.

158. E contra quando agitur de rebus mobilibus videtur quod jus in re efficaciter vindicari potest per actionem qua non res ipsa sed compensatio damnorum directe vindicatur, quia per talem, actionem restitutionem ipsius rei cum compensatione damnorum obtineri potest; aut si propter rationes supra allatas, dominus non vult rem ipsam accipere, potest pretium rei simul cum compensatione omnium damnorum obtinere. Si enim possessor rei alienæ recusaret in judicio rem domino tradere, tantam summam vice ipsius rei exigerent juratores ut ipse nunquam iterum rem alienam in similibus circumstantiis retineret, et dominus rei ex ejus detentione magnum lucrum faceret. Ita certo quamvis indirecte dominus rem suam in cujuscumque manus devenerit obtinere potest; directe vero compensationem damnorum. Et revera apud nos, etiam quando actio ad ipsius rei restitutionem obtinendam institui potest, fere semper ad hanc actionem personalem recurritur, ut in proœmio annotavimus.

159. Quando ergo dicitur quod jus in re dat actionem realem manifestum est hoc verum non esse si actio realis intelligatur eo sensu in quo in lege nostra accipitur. In sensu juris civilis talis actio quoad formam, i. e. vi cujus directe exigitur res nostra, a lege naturæ non præscribitur, sufficit enim aliqua actio vi cujus jus uniuscujusque vindicari potest. Hoc effici potest saltem ordinarie loquendo per actionem personalem quando de rebus mobilibus agitur, quando vero disceptatio de agris et ædificiis est, actio præsto esse debet vi cujus hæc in specie recuperari possunt. Talis actio in jure nostro suppeditatur et actio ejectionis firmæ [*ejectment*] appellatur. Sed jam satis de actionibus in proœmio disputavimus.

DISPUTATIO NONA.

DE DOMINIO.

De nominibus dominii et proprietatis. De definitione et essentia dominii pleni. De dominio semipleno seu imperfecto. De dominio alto et humili.

160. Dominium in genere significat omnem potestatem super res aut personas. Sic paterfamilias dici potest habere dominium in uxorem et filios, dominus super domesticos, homo super bestias, princeps in subditos, et dominus bonorum in res suas. Per dominium tamen præcipue intelligitur potestas jurisdictionis, et proprietatis. Prior est potestas regendi subditos in proprium eorum commodum et ob bonum totius communitatis; posterior est potestas rebus nostris in proprium nostrum commodum utendi. Hic agimus solummodo de dominio proprietatis, cujus definitio infra magis evolvetur.

161. Quidam distinguunt inter proprietatem et dominium ita ut per proprietatem res ipsæ quæ ad aliquem pertinent significentur, per dominium vero intelligatur potestas legitima qua quis res illas tanquam *suas* vindicat. Sic equus Petri est ejus *proprietas*, sed ejus dominium est potestas legitima qua hunc equum sibi in proprium commodum vindicat. Hanc distinctionem rejicit Puffendorf eos designans plus quam subtiles qui ea utuntur (*a*). Attamen distinctio vere ex parte rei existit, quia aliud est res mea, aliud potestas qua rem meam mihi vindico; prius est dominium *objectivum*, posterius dominium *subjectivum*. De utroque agendum est, sed præcipua discussio dominium subjectivum respicit. Quoad voces ipsas, quamvis dominium significat non solum territorium alicujus jurisdictioni subditum, sed et ipsam terram quæ ad aliquem jure proprietatis pertinet, quo sensu anglice *domain* redditur, attamen nunquam significat dominii objectum, quando de rebus mobilibus aut etiam de ædificiis agitur. Dominium, sicut et dominus, quando agitur de

(*a*) Ap. Carriere de just. n. 16.

proprietate, magis proprie exprimit potestatem et jus re aliqua in proprium commodum utendi, quam objectum hujus juris. Et quamvis Carriere dicit (*a*) ad mentem doctorum scholasticorum eodem vocabulo (dominii nempe sive proprietatis) aliquando designari *proprietatem subjectivam*, aliquando *objectivam*, et proinde ejus sensum determinandum esse ex subjecta materia: attamen statim postea (*b*) post scholasticos, dominium proprietatis ab ipso sic definitur: "*facultas disponendi de re aliqua tanquam sua, in omnem usum lege vel pacto non prohibitum;*" a qua definitione sane dominium objectivum omnino excluditur. Per vocem ergo *dominii* per se et sine addito nos semper dominium subjectivum significabimus, per *proprietatem* dominium objectivum seu res ipsas spectatas in ordine ad illos quorum dominio subjiciuntur, nisi ex circumstantiis patebit quod de jure ad proprietatem loquimur.

162. Supra de jure in re agentes statuimus dominium, non quidem si restringatur ad dominium plenum, sed prout omnem speciem dominii sive perfecti sive imperfecti complectitur, esse quid unum cum jure in re, et hoc fatetur Carriere (*c*), quod sane evertit opinionem supra expositam, quia verba *jus in re* nullo modo dominium objectivum complectuntur. Etsi vero omne jus in re est species dominii, ut supra diximus de vectoribus mercium, de sartoribus quibus pannus ad vestimenta conficienda traditur, de eo cui equus alterius commodatur, attamen ibidem monuimus juxta usum communem, ubi de rebus mobilibus agitur, eum solum ad quem *substantia*, non vero usus aut usus-fructus, &c., pertinet, eorum dominium habere dici posse. Dominus ipsius substantiæ mercium, aut panni, aut equi, dicere potest "hæ merces meæ sunt," seu "ego sum dominus harum mercium," et "hic pannus vel equus meus est," seu "ego sum dominus hujus panni vel equi:" si autem idem diceret vector, aut sartor, aut commodatarius, auditores omnino deciperet. Usu-communis loquendi paulo aliter se habet ubi quæstio est de rebus immobilibus, quia tam dominus qui habet dominium directum agrorum quam colonus cui locantur dicere potest, "hi agri *mei* sunt," qui sensus ambiguus est, et æque significare potest "ego hos agros possideo et colo," aut "ego sum eorum absolutus dominus." Item qui domum alterius habet sibi locatam dicere potest "hæc domus mea est." Etiam dicere potest is qui domum aut agros conduxit, "ego sum dominus hujus domus aut horum agrorum," quando *ex circumstantiis cognoscitur eum solum dominium utile significare velle.* Attamen verba dominii et domini

(*a*) Loc. cit. (*b*) Ibid. n. 17. (*c*) Ibid. n. 13.

per se simpliciter dominium directum indicant. Sic si Caius indicatis agris et domibus a Julio quæreret quis esset dominus horum agrorum et domorum, aut quis eorum dominio potiretur, et ipse responderet esse Petrum, sane omnes intelligerent Petrum eorum esse dominum directum. Inde tam apud jurisperitos quam apud theologos verba dominus et dominium per se simpliciter nonnisi de eo ad quem dominium directum pertinet prædicantur.

163. "Petes," ait Lugo (*a*), "cur magis dicatur dominus rei ille, qui habet dominium directum, quam qui habet dominium utile seu usumfructum? Uterque enim habet jus in re, et neuter habet plenum jus prælationis adversus alium. Resp. utrumque esse dominum secundum quid, seu incomplete: plus tamen habet de dominio directum quam utile: nam dominium sonat jus radicale, et ex quo oriuntur, seu cui subordinantur alia jura: dominus autem directus habet jus magis radicatum, quam usufructuarius, emphyteuta, &c. Primo, quia regulariter ab ipso dimanat jus quod habet usufructuarius, et non e contra. 2. Et principalius, quia habet jus magis firmum, nam usufructus in multis casibus debet redire ad dominum directum, et non e contra. Denique quia cum non possit appellari dominus fructuum, et aliunde habeat aliquod jus et dominium, oportet quod dicatur dominus proprietatis, seu rei ipsius, ex qua oriuntur illi fructus." Itaque is qui habet dominium substantiæ rei, ex qua oriuntur, et cui subordinantur cætera jura potius dicendus est dominus quam is ad quem accessoria tantum pertinent.

164. Quoniam vero dominium plenum omnes species dominii semipleni complectitur, quæ revera nihil aliud sunt quam partes dominii pleni alicujus rei inter diversas personas distributæ, conveniens erit primo definitionem dominii pleni proferre, et postea varias species dominii imperfecti investigare.

165. Multum laborant auctores in tradenda definitione dominii perfecti (*b*). Molina, et Lugo (*c*) definitionem a jurisperitis communiter admissam accipiunt, juxta quam dominium: *est jus perfecte disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Alii autem jurisperiti (*d*) et theologi aut rejiciunt, aut omittunt (*e*) verbum *corporali,* ita ut definitio etiam res incorporales

(*a*) De Just. disp. 2. sect. 1. n. 9.

(*b*) Cf. Molina de Just. tr. 2. disp. 3.; Lugo disp. 2. sect. 1.; Layman de Just. tr. 1. c. v.; Salmanticenses de Just. cap. 2. punct. 2. n. 10.; Carriere de Just. n. 17.

(*c*) Locis citatis.

(*d*) Cf. Schmalzgrueber in lib. 2. decret. tit. 12. sect. 2. n. 23.

(*e*) Sotus de Just. qu. 1. a. 1.; Salmanticenses de Just. ubi sup.

complectatur. Ab his definitur : "*facultas utendi re ut propria, quoad omnes usus a lege permissos in suum commodum*" (*a*). Hæc definitio accipitur a Carriere nisi quod addit : *ad omnem usum lege vel pacto non prohibitum* (*b*). Alii addunt : nisi lege, vel pacto, *vel testatoris voluntate* sit prohibitum (*c*). De his disputationibus hæc observanda videntur : 1. Quod verbum *corporale* in definitionem dominii pleni, etiam rerum externarum introduci non debet ; quoad bona enim interna, famam et libertatem, quæ sunt bona incorporalia, homo sine dubio pleno potitur dominio. Quoad bona vero externa, quoniam lucra et commoda incorporalia, quibus aliquis potiri potest, fere semper a bonis corporalibus derivantur, quorum bonorum corporalium substantiæ dominium non habet, manifestum est illum ad quem dominium solummodo utile pertinet, dominio perfecto non potiri, quoniam dominium directum seu ipsius rei substantiæ, ex quo commodum aut lucrum derivatur, ad ipsum non pertinet. Et idem omnino, *quoad rem* dicendum est, quando aliquis rei substantiæ non autem ejus fructus seu ususfructus dominio potitur. Namque dominium ejus ad quem rei substantia pertinet multum minuitur, quando potestate fruendi re sua aut ex parte aut in toto privatur. Itaque dominium perfectum exigit, ut dominus neque rei suæ substantia, neque juribus quæ ex ea derivantur privetur. Proinde non magis necessarium est in definitione dominii perfecti, exprimere potestatem de re ipsa *corporali*, quam de juribus quæ ex ipso profluunt disponendi ; et utraque potestas verbis *de ipsa re disponendi, ipsam in proprium commodum utendi, et omnes alios ab ea excludendi*, sufficienter exprimitur.

166. Alia autem verba definitionis, quæ etiam a Soto, Carriere, Salmanticensibus, aliisque theologis communiter adhibentur, sunt valde obscura, et ad errorem inducendum apta. Hæc verba sunt *nisi lege prohibeatur*. Quia quamvis agnosco cum Lugo, quod ex subjecta materia, jus accipitur ibi pro jure dominii, et ideo non rite a quibusdam infertur juxta definitionem allatam, quod jure potior disponendi de omni re nisi aliqua lege prohibeor. Quorsum enim, inquiunt, disponere nequeo de rebus proximi nisi quia hoc mihi aliqua lege prohibetur ? Sed respondetur, ideo non possum de his bonis disponere, non quia lege prohibeor sed quia jure in re mihi non adnectuntur. Sed verba illa sine restric-

(*a*) Ita Salmant. loc. cit.
(*b*) Loc. cit.
(*c*) D. Scavini de Just. disp. 1. c. 1. n. 460.
(*d*) Cf. Schmalzgrueber in lib. 2. decret. tit. xii. sect. 2. n. 23.

tione in definitione poni non debent propter alias rationes, quia dominium plenum dat facultatem domino non solum rebus suis *utendi* sed *abutendi*, sine injuria tamen alterius. Non idcirco enim restringitur potestas dominii quoad rem aliquam, quia usus in quem adhibetur, est jure divino et naturali prohibitus. Sic qui vino suo utitur ad se inebriandum nullius injustitiæ reus est, neque etiamsi illud dat alteri propter eundem finem, modo hic sponte illud bibat, quamvis legem tam divinam quam naturalem violat. Item qui pecunia sua utitur ad scortandum, legem nat. et div. violat, et tamen nullam committit injustitiam, quia meretrici sponte consentienti non fit injuria. Si vero ipse mat. junctus sit, aut meretricem vi oppresserit, injustitiam, præter alia crimina, committit, violando jura uxoris per adulterium et meretricis per violentiam. Potest etiam dominus rebus suis uti contra leges humanas, sine ulla injustitia, aut restrictione potestatis dominii. Sic qui suam carnem manducat die veneris, legem ecclesiasticam graviter violat, sed nullius injustitiæ reus est; et qui vino suo utitur ad se aut alium publice inebriandum, aut pecuniam suam libidinibus publice indulgendo impendit, nullam injustitiam committit, quamvis hæc crimina lege naturali, divina, ecclesiastica, et municipali prohibentur.

167. Alia vero verba a pluribus auctoribus adhibita, nisi potestas dominii *pacto vel testamento restringatur*, vel majore explicatione indigent. Equidem potest dominium restringi per pactum, ut si Caius et Julius pactum ineant equos post mensem commutandi; sed pacto inito neuter habet dominium plenum sui equi, dominium enim Caii quoad proprium equum restringitur obligatione justitiæ, ipsum tradendi Julio post mensem, et Julius jus in re habet quoad *ipsum jus* in titulo pacti fundatum, vi cujus equus Caii post mensem ipsi tradi debet. Jus tamen Julii quoad *ipsum equum* est jus ad rem tantum, et proinde Caius, quoniam dominium equi manet apud eum, potest illud valide quamvis injuste etiam post mensem retinere, quia, ut suppono, alius actus præter merum lapsum temporis, ad dominium ipsius equi tranferendum, requiritur. Sed Caius omnino tenetur pactum implere, et ad hoc faciendum legibus cogi debet, quando fieri potest. Aliquando enim res ipsa tradi non potest, ut si Caius habens sponsalia cum Anna, fide violata ducat Mariam; quoniam enim contractus mat. sit indissolubilis, jam Annam ducere non potest, sed pecuniariam compensationem propter violationem promissionis facere cogetur. Si vero in casu supra posito, Caius non obstante obligatione commutandi equum suum cum equo Julii, cum venderet Petro, qui conscius erat contractus cum Julio, cum cogeret curia æquitalis equum Julio tradere; si vero Petrus

inscius erat contractus cum Julio, venditio valida erat, sed injusta ex parte Caii qui a curia juris com. compensare Julium alio modo cogetur. Ex his patet responsio ad exemplum ab auctoribus positum, qui putant dominium perfectum stare posse cum pacto quo *ipsum dominium* restringitur, nempe si inter venditorem et emptorem conventum sit, ut emptor re empta ne utatur, nisi post certum diem. Vel enim venditor *jus strictum* vi pacti habet, ut emptor re empta ante diem statutum ne utatur, vel non tenetur emptor ex justitia, sed ex fidelitate, religione, aliave virtute, ab usu abstinere : in primo casu plenum dominium non habet, durante tempore quo re uti nequit, sine violatione juris stricti venditoris, quia ex hypothesi venditor jus aliquod strictum quoad illam rem retinet, et proinde dominium adhuc non plene ad emptorem transfertur; in secundo casu dominium non restringitur per pactum; proinde pactum in neutro sensu acceptum in definitione introduci debet. Idem dicendum est de restrictione dominii per testamentum. " Esset," inquit auctor cit., " si testator fundum legasset alicui ea conditione, ut illo non utatur, nisi, v. g., post annum." Sed tunc vel aliquis alius commodum ex fundo reportaret propter restrictionem appositam vel non; in primo casu evidens est eum cui legatur fundus, dominio pleno, nisi post annum non potiri; in secundo casu restrictio videtur esse absurda, si nempe Caius fundum absolute legaret Julio, ea conditione ut eo ne uteretur nisi post annum, quamvis nullus alius interea ullum commodum ex eo reportare debeat. Sed si tale testamentum conficeretur, Julius nullius injustitiæ reus esset, fundo etiam durante primo anno utendo; non erga testatorem, qui dominii incapax est, neque erga ullum alium, quia nullus alius ullo jure quoad fundum potitur, et ideo verba nisi lege, pacto, vel testamento, restringatur absque explicatione in definitione dominii pleni poni non debent.

168. Dominium plenum definiri potest; *Potestas moralis pro libitu de re ipsa cujus aliquis dominus est disponendi, ea in proprium commodum utendi, omnesque alios et a re ipsa, et ab ejus usu excludendi sine injuria alterius, nisi illa potestas lege aliqua ex justitia obligante, absque translatione tamen ullius partis dominii in alium, restringatur.* Ex dictis fere satis exponitur hæc definitio. Solummodo restat ut explicemus quomodo potestas domini per legem ex justitia obligantem restringi possit, et tamen ejus dominium plenum dici possit. Pro qua nota verba *sine injuria alterius.* Quia etsi homo rebus suis jure dominii pleni potiatur, jure tamen naturali et divino his rebus uti prohibetur cum injuria proximi. Sic gladio suo uti nequit

ad proximum occidendum, neque pecunia sua, conducere Caium ad occidendum Sylvium. Sed hæc non sunt dominii pleni restrictiones, quia Deus nunquam tale dominium hominibus concessit, ut jura proximi injuste invadere possent. Et præterea quoniam qui dominio pleno potitur omnes alios a re sua excludere potest, utique ipse vicissim aliorum dominium invadere, sine injustitia, non potest. Equidem homo non habet plenum dominium suæ vitæ, quia Deus tale dominium non concessit, sed habet dominium exclusivum contra alios homines, quod illi sine injustitia invadere nequeunt.

169. Eodem modo ratiocinandum est de lege justa humana ex justitia obligante, qua potestas res suas ad libitum alienandi, iis in quoslibet usus non injustos utendi, et etiam alios ab *administratione* rerum suarum excludendi, a quibusdam personis ut minoribus et uxoribus aufertur. Quænam sint præscripta juris municipalis quoad has personas suo loco inquiremus. Sufficit hic dicere quando lex simpliciter eorum potestatem quoad res suas restringit, nulla parte potestatis dominii in alium translata, illos dominium plenum habere dici posse, quia perfectum dominium illarum rerum in aliquo vel aliquibus existit. Aliter enim aliqua ex parte essent nullius, et ad primum occupantem pertinerent. Sed nemo præter dominum potest res illas alienare, aut uti, vel administrare in proprium suum commodum, sed hæc omnia in quantum alicui permittuntur, in commodum solius domini facere tenetur. Itaque si dominus ad libitum de illis rebus disponere nequit, hoc non oritur ex defectu dominii, sed quia tales usus ad tempus ab illo, ob bonum publicum, et præcipue ob suum proprium commodum, aufertur. Si vero lex potestatem dominii restringit in commodum aliquod aut præsens aut futurum alterius, ob quod jus domini minuitur, dominus hujus rei dominio ejus pleno non potitur, ut recte contra Molinam et alios docet Lugo (*a*). Loquendo de dominio proprietatis quæ vi legis ad primogenitum descendit, declarat quod qui hujusmodi bonis potiuntur non sunt "veri domini earum rerum, ... si sermo sit de dominio pleno et in rigore accepto. Nam ejusmodi possessor majoratus non solum prohibitus est alienare, sed prohibetur ex titulo obligante ex justitia commutativa, adeo ut alienando inferat injuriam strictè et propriè successoribus, et teneatur ad restitutionem; ergo ipse non habet plenum jus justitiæ in illa re; *nam si esset plenum, nullus alius haberet jus ex justitia ad eamdem rem.*" Ad objectionem vero quod si possessor majoratus non sit vere dominus, sequeretur ea bona in nullius esse dominio, respondet:

(*a*) De Just. disp. 2. sect. 2. n. 6.

" Illa bona quoad dominium directum esse in dominio possessoris, et *totius familiæ*, quæ licet non existat, quoad omnes successores, est tamen quædam persona ficta a jure, sicut etiam hæreditas vacans, antequam nascatur, vel animetur fortasse posthumus in ventre matris, est persona ficta representans defunctum, in cujus dominio censentur conservari illa bona: ita etiam in præsenti" (*a*). Plura hujusmodi dominii divisi exempla in lege nostra municipali occurrunt, quæ infra ubi de *statibus taliatis* [*entailed estates*] agemus invenientur.

170. Diximus in definitione dominium plenum bene stare posse cum aliqua restrictione potestatis expeditæ domini, non solum lege, sed etiam alia dispositione ex justitia obligante, modo tamen res maneat sub exclusivo dominio domini, nullaque pars ejus in alterius commodum transferatur. Ut infra videbimus, et statim patebit ex doctrina S. Pauli, parvulus capax est dominii antequam capacitate res suas administrandi potitur. Ante usum rationis incapax est exercendi hanc potestatem ipso jure naturæ, sed ejus dominium non minuitur, quia quamvis hæc potestas ab aliis exercetur, attamen hoc non faciunt in nomine proprio, aut propter suum proprium commodum, sed nomine et in commodum solius domini. Sed etiam postquam dominus usum rationis attigerit, adhuc facile circumveniri posset, et defraudari, et ideo apud omnes gentes exultas ejus potestas res suas ad libitum alienandi, utendi, et administrandi, restringitur donec maturiorem ætatem attigerit. Eodem modo possunt ii qui res suas aliis transferunt aut dum vivunt aut per testamentum post mortem, potestatem eorum quibus hæc bona dantur, propter eorum teneram ætatem, animæ imbecillitatem, insaniam, &c., in eorum proprium commodum restringere ad tempus eorum dominio pleno non ablato. Dixi ad tempus, quia si potestas illa restringatur per totam vitam, ita ut ipsis mortuis descendere debeat proprietas ad eorum hæredes, non habent rei dominium directum omnino sed tantum utile. In hoc casu eorum dominium restringitur in commodum aliorum qui illis succedere debent. Equidem in casu stultitiæ aut insanitatis restrictio per totam vitam perdurare potest, sed tantum contingenter, i. e. ex hypothesi quod morbus usque ad mortem perdurabit, quia dominium eorum erit plenum, nisi cessante etiam morbo, restrictio eorum potestatis non cessabit. Hæc omnino consentanea sunt doctrinæ Apostoli (*b*). " Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a

(*a*) De Just. disp. 2. sect. 2. n. 7.
(*b*) Ad Galatas, c. iv. vv. 1. et 2.

servo, cum sit dominus omnium: sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre."

171. Dominium dividitur in plenum seu perfectum et non plenum seu imperfectum. Definitio dominii perfecti patet ex dictis: Dominium imperfectum *est potestas moralis disponendi de re aliqua in nostrum proprium commodum, sive ea utendi in nostrum proprium commodum, non vero omnes alios, et a re ipsa, et ab ejus usu, perfecte et in perpetuum excludendi, quoniam aliqua ex parte aliis alligatur in eorum proprium commodum.* Non requiritur ut res alteri hic et nunc alligetur in ejus proprium commodum, sufficit dominium plenum auferre jus successionis quamvis successor nondum existat. Sic si Caius agros suos ita legat Julio per vitam tenendos ut post ejus mortem perveniant ad filium primogenitum Pauli in *feudo simplici* habendi, Julius solummodo statum per vitam habet, jus vero ad dominium plenum post mortem Julii ad primogenitum Pauli pertinet, et dispositione juris municip. ipsi etiam in utero materno immediate adnectitur in suum proprium commodum. Jam monuimus quod quicumque aliquo jure in re, etiam in titulo solius possessionis legalis fundato, quoad aliquam rem potitur, jure municip. proprietatem qualificatam in illa re habere dicitur, et quod istæ dispositiones sunt juri naturali conformes.

172. Dominium *non plenum* dividitur in directum et utile. Qui dominio potitur ipsius rei substantiæ, non autem ejus fructuum aut commodorum, dominium directum habere dicitur. Si vero omnia rei commoda et emolumenta in perpetuum a dominio substantiæ alienarentur, dominium directum non esset verum dominium, quoniam nullum commodum in dominum directum conferret. Is ad quem ipsa substantia pertineret in tali casu non esset dominus rei, sed fidei commissarius ejus ad quem lucra et emolumenta in perpetuum pertinerent. In lege municip. qui statum hujusmodi possidet ejus dominus *legalis* appellatur, qui vero jure ad lucra et emolumenta omnia potitur dominus *æquitabilis* appellatur. Horum statuum natura infra exponetur. Deinde dominium plenum rerum tum immobilium tum mobilium a pluribus simul teneri potest, ut quando iidem agri indivisi ad plures pertinent, quod secundum jus municipale variis modis fieri potest, ut suo loco dicetur; aut quando eadem bona ad aliquam societatem [*company*] pertinent. In his casibus domini omnes simul sumpti, omnibus juribus dominii pleni potiuntur, possuntque rem ipsam pro nutu alienare, ea in suum proprium commodum uti, aliosque omnes ab ea excludere; singuli autem hæc facere nequeunt, sed habent dominium par-

tiale, quia dominium plenum omnium ex dominio singulorum partiali conflatur. Non hic loquimur de communitatibus religiosis, quarum membra per votum solemne paupertatis dominii incapacia redduntur, sed de corporibus civilibus quorum membra dominium partiale bonorum totius corporis retinent. Sed de his infra.

173. Dominium utile rerum et immobilium et mobilium innumeris fere modis potest dividi. Sic qui domum alienam aut agros alienos in annum conducit, dominium utile domus aut agrorum per annum habet, et dominium directum ipsarum rerum apud locatorem manet. Item qui conducit equum aut currum alienum istius rei dominio utili per tempus statutum potitur. In jure civili quædam erant species dominii semipleni vi quarum dominus directus obstringebatur aliquid in re sua pati aut non facere in alterius utilitatem, quæ ideo *servitutes* a jurisperitis dicebantur. Sicut enim qui operari in utilitatem alterius tenetur ei servire dicitur, ita metaphorice servire dicebatur *res* immobilis, quando alius præter dominum ab ea commodum percipere debet. Servitus hæc nunquam debita erat a persona sed semper a re aliqua juxta axioma, *prædium, non persona, servit.* Servitus *naturalis* dicitur, quando ex dispositione locorum derivata est, ut fundus in loco inferiore aquas affluentes a fundo in loco superiore recipere tenetur; *legalis*, quando præscripto legis, *conventionalis* quando per factum constituta est. Attamen hæc species dominii imperfecti non semper respicitur ex parte ejus qui incommodum sustinere tenetur, sed aliquando ex parte ejus qui commodum ex re aliena accipit. Tales sunt illæ species dominii imperfecti quæ nominibus *usus, usufructus, et habitationis* appellantur. *Usus* est jus re aliena *utendi* in quantum ipsi usuario, aut ipsi simul cum familia sua necessarium est, salva ejus substantia. Usufructus est jus *utendi* et *fruendi* re aliena salva ejus substantia. Unde latius patet quam usus; usufructuarius enim omnibus rei commodis et emolumentis potitur quamdiu ejus jus perdurat. Habitatio est jus ædes alienas habitandi, in quantum necessarium est ad sui ipsius suæque familiæ commoditatem. Est ergo species usus a quo non differt nisi quod ædificia respicit. Hæc omnia sunt res incorporales: servitutes ex obligationibus, usus, &c. ex juribus constant. Sed quoniam neque servitutes, neque usus, usufructus, aut habitatio, his nominibus in nostra lege inveniuntur, neque præscripta legis civilis et municipalis circa hanc materiam conveniunt, inutile est de iis plura dicere. In jure nostro hæc objecta semper respiciuntur ex parte ejus qui

jure potitur, et *hereditamenta* incorporalia appellantur. Hæc plerumque ex juribus in solo alieno constant. Dividuntur in emolumenta [*profits*] ut jus greges pascendi in solo alieno; et levamenta [*easements*], ut jus viæ per agros alienos. De his *hereditamentis* suo loco agemus.

174. Earum vero rerum quæ potestati hominis subjici possunt, non plenum redditur dominium ob duplicem causam: 1. Quia Deus aliquarum, ut vitæ et membrorum, plenum dominium hominibus non concessit; et 2. quia non raro aliqua pars dominii etiam earum rerum, quarum plenum dominium Deus hominibus concessit, inter plures dividitur. Hæc ex supra dictis satis intelligi possunt.

175. Dominium ordinarie dividitur in altum et humile. Posterius jam definivimus. Dominium altum est jus quod competit reipublicæ disponendi de bonis civium privatorum in quantum hoc necessarium est ad bonum commune promovendum. Respublica ut jam ostendimus non habet dominium bonorum civium, et ideo de illis *directe* disponere nequit, sed solummodo *indirecte* et in quantum necessarium est ad bonum publicum promovendum. Non solum enim potest respublica vectigalia aliaque onera necessaria in cives imponere, sed et ipsa bona privatorum auferre quando bonum commune hoc exigit. Et quoniam hoc jus non in titulo dominii sed necessitatis fundatur, non alia bona præter ea quæ sunt necessaria juste auferri possunt. Deinde in ordinariis circumstantiis tenetur respublica damna dominorum quorum bona aufert compensare. Sic quando eos cogit agros vendere aut ipsi reipublicæ propter usus publicos, aut etiam societatibus v. g. a quibus viæ ferreæ construuntur, omnino debitam compensationem dominis privatis præbere tenetur. Sed in gravi necessitate publica potest respublica bona privatorum arripere, nulla aut non adæquata compensatione data. Quando vero respublica bona privatorum arripit propter gravem necessitatem publicam, non potest hæc titulo dominii *absoluti* sibi vindicare, sed tantum in quantum necessaria sunt ob publicam necessitatem. Unde quando necessarium est ob bonum commune, tempore v. g. obsessionis urbis, potest respublica ædificia suburbana comburere, agros privatorum vendere ad arma et cibaria comparanda, eorum domos occupare; sed si transacta necessitate aliqua pars agrorum sic occupatorum aut aliqua ædificia penes rempublicam permanent, dominis pristinis restitui debent. "Hic est unus ex casibus," ait Lugo (*a*),

(*a*) De Just. Disp. 1. n. 10.

"in quibus ille qui non est dominus simpliciter rei potest vendere, et transferre in emptorem dominium simpliciter, et formale, quod ipse non habet : et ideo appellamus illud dominium eminentiale, seu causale, quatenus potest producere in emptore dominium formale et actuale. Ratio autem est, quia habens dominium altum, seu jus illud eminentiale, etiam non possit absolute convertere illam rem pro libitu in utilitatem propriam, sicut si esset sua ; potest tamen illa uti quatenus necesse est ad talem finem necessitatis præsentis ; unde sicut ad eum finem potest destruere domum vel comedere cibos, ... ita potest rem illam vendere. Non posset autem illam vendere, nisi dando emptori proprie et simpliciter dominium rei : quare licet venditor tunc non est formaliter dominus, potest tamen facere emptorem dominum proprie, et formaliter, quia totum id necessarium est ad necessitatem præsentem. . . . . Dixi tamen, illud non esse dominium proprium, quia non potest princeps usurpare in casu necessitatis domum subditi et uti illa pro suo libitu, sed solum potest eam accipere ad necessitatem : unde si antequam domus destruatur, vel alienetur, necessitas cesset, domus redit ad suum dominum" (*a*).

176. Respublica, et quando de bonis ecclesiæ agebatur, solus Summus Pontifex, hoc dominium altum exercuit, præsertim post magnas perturbationes, in quibus bona tum civium tum ecclesiæ injuste usurpata erant. In his enim rerum adjunctis quoniam bonorum injuste occupatorum restitutio sperari non potest, propter numerum, auctoritatem, et iniquitatem eorum a quibus usurpantur, potest respublica aut Pontifex uterque in suo foro propter pacem reipublicæ, et gravissimam publicam necessitatem, dominium istorum bonorum ab antiquis dominis auferre, et etiam ad injustos possessores transferre. Tenetur tamen uterque, in quantum fieri potest, cavere ut ii qui injuste bonis suis spoliati erant compensentur, exigendo reparationem ab ipsis injustis possessoribus, sive sint individui, sive sit ipsa respublica. Quando vero respublica ex justa necessitate aliquos individuos bonis suis privat, tenetur postea, in quantum potest, illos ex bonis communibus compensare quia iniquum esset ut illi soli totum onus perferre cogerentur. Sed sine dubio quando domini agrorum potestate abutuntur, et conductores [*tenants*] iniquis oneribus opprimunt, aut ex agris inhumane ejiciunt, non solum potest, sed omnino tenetur respublica hanc potestatem inter justos limites coarctare.

(*a*) De Just. Disp. 1. n. 9.

DISPUTATIO DECIMA.

DE DIVISIONE RERUM ET ORIGINE DOMINII.

§ I. *Deus ab initio dedit omnia bona terrena humanis usibus destinata omnibus hominibus in commune quoad usum, quo in statu bona in communitate negativa esse dicuntur: quando et quomodo ab exordio mundi facta sit divisio bonorum?*

177. Ex dictis patet quæstionem esse, quomodo fit, ut aliquis quasdam res habeat ita sibi in proprium commodum annexas, ut iis frui possit ad exclusionem omnium aliorum? Quædam autem ex bonis quæ ita homini adnectuntur in ipso homine posita sunt, quæ ideo a theologis interna nominantur; quædam non in ipso homine, sed extra hominem existunt, quæ bona externa seu fortunæ appellantur. Ex bonis internis quædam pertinent ad animam quædam ad corpus. Et hic quæstio esse nequit de bonis internis sive animi sive corporis, quia certum est apud omnes neminem posse alium vi, dolo, aliisve mediis injustis privare bonis animi sive supernaturalibus, ut gratia divina, fide, spe, aut caritate, vel naturalibus ut memoria, usu rationis, aut exercitio facultatum naturalium; nec bonis corporis ut vita, membris, fama, libertate, absque violatione justitiæ solo jure naturali spectato. Hæc enim bona certo modo certaque mensura, quod suo loco explicabimus, unicuique ab ipso Deo, ut auctore ordinis sive supernaturalis, sive naturalis, exclusive donantur. Exclusivum jus ergo quoad hæc bona ab ipso Deo derivatur. Non hic loquimur de servitute, seu quatenus unus homo, sive propria sponte, sive propter alias rationes, ad alterum hominem, tanquam ejus proprietas pertinere possit. Libertas humana hoc sub respectu postea investigabitur, sed tunc homo non respicietur ut subjectum dominii, sed ut ejus objectum, et quatenus ipse inter bona externa alterius hominis recenseri possit.

Hic ergo agimus de bonis externis seu fortunæ, et quæritur quomodo ab initio proprietas horum bonorum quibusdam personis ad exclusionem omnium aliorum adnexa sit.

178. Pulcherrime simul et simplicissime in initio libri Genesis

enarratur quanta munificentia Deus hunc mundum omnibus rebus ad hominis felicitatem necessariis impleverit atque ornârit, ipsumque hominem in eum tanquam dominum propter quem hæc omnia facta sint introduxerit. Deus enim propter homines mare piscibus implevit, terram fecit feracem, eamque arboribus, floribus, fructibus, animalibus ornavit atque ditavit; quinimo ipsum sinum terræ effecit magnum quasi receptaculum fodinarum, carbonum, ferri, argenti, auri, aliarumque rerum innumerabilium, hominis utilitati maxime accommodatarum. "Deus palatium hoc mundi," ait S. Gregorius Nyssenus (*a*), "quasi quoddam convivium, aut potius quasi splendidum triclinium, instruxit omnibus rebus, quæ ad usum, oblectationem, et scientiam erant opportuna; ac deinde ultimo in illud ita adornatum induxit creavitque hominem, quasi qui omnium esset vertex, finis et dominus." Hujus orbis terræ opibus repletæ dominium dedit Deus hominibus. Benedicens enim protoparentes ait (*b*): "Replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram. . . . Ecce dedi vobis omnem herbam, afferentem semen super terram, et universa ligna quæ habent in semetipsis sementem generis sui ut sint vobis in escam. Et iterum post diluvium hanc largitatem subjectionemque rerum terrenarum hominis dominio renovavit Deus" (*c*). Ideo vero introduxit Deus hominem in hunc mundum ditissimum ejusque dominium ei tradidit, ut esset ejus antistes, et sacerdotio pro omnibus creaturis fungeretur, et creatori gratias et laudes redderet pro beneficiis tam abundanter omnibus, ab ejus manu munifica collatis. "Sequitur ut ostendam," ait Lactantius, "cur hominem fecerit Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum, rerumque cœlestium" (*d*).

179. Hæc largitas est communis, omnibusque hominibus terram incolentibus æqualiter facta, et proinde vi divinæ concessionis, nulla bona externa ad unum potius quam ad alium pertinebant. Ille status rerum *communitas negativa* nominatur, quia in eo nihil ad aliquem in particulari ita pertinuit ut posset alios ab ea excludere, et omnes potuerunt res quascumque in eo statu existentes ad libitum in proprium commodum convertere. Status ille quoad omnia omnino bona, nonnisi in statu innocentiæ extitit,

(*a*) Lib. de opificio hominis ap. Alapide comment. in cap. 1. Genesis.
(*b*) Gen. 1. vv. 28. et 29.
(*c*) Ibid. c. ix. 1. 2. 3.
(*d*) Lib. de ira Dei ap. Alapide loc. cit.

quia statim post lapsum Adamus et Eva habuerunt vestimenta utrique propria et tunc verba illa *meum* et *tuum* in hunc mundum introducta erant. Deinde Cain cum esset agricola obtulit Deo munera ex fructibus terræ, sed Deus non respexit ad munera *illius;* Abel vero cum esset pastor ovium obtulit Domino de primogenitis gregis *sui.* Itaque Abel erat dominus gregis sui ad exclusionem Cain et omnium aliorum, et fructus terræ quos Cain proprio labore comparavit ad ipsum exclusive pertinebant. In ipso ergo exordio generis humani, quando quis proprio labore frumentum et alia ad sustentationem necessaria, lanam, vestes, greges, instrumenta ad agros colendos, et alia hujusmodi sibi comparavit, dominium exclusivum harum rerum ad ipsum pertinebat.

180. Sed quamvis communitas negativa ne in ipsa Adami familia quidem *quoad omnia* perseveravit, attamen diu extitit *quoad multa,* et præsertim quoad ipsam *permanentem* appropriationem *substantiæ* terræ. Dico permanentem appropriationem, quia quando aliquis seminavit semen suum in loco ab alio non occupato, sine dubio jus acquisivit ut ne quis alius hunc locum usque ad tempus messis occuparet. Sed quum segetes suas abstulisset, et locum occupare cessasset, potuit alius hunc locum ingredi eumque simili modo sibi appropriare. Item in communitate negativa permanserunt gramen, fructus arborum, et alia omnia actu non occupata, quæ aliquis *proprio labore sua* non fecit. Potuit itaque quis gregem suum in pascuum alteri non appropriatum agere, sed nisi hunc locum proprio labore suum fecisset, non potuit aliena pecora ab eo excludere. Sed si ipse hunc locum proprio labore suum effecisset, arbores eradicando, terram colendo, semen seminando, sepimenta circa eum faciendo, non potuit alius eum usurpare quamdiu ab eo qui illum ad meliorem statum perduxit, occuparetur. Si vero ipse jure suo exclusivo in alium non collato, locum illum deseruisset, tunc cuilibet alteri liceret eum occupare.

181. Attamen non sufficeret absentia mere physica ejus qui agros *suos* labore effecisset, ut alius illos ingredi posset; jus enim haberet alios, etiamsi per aliquod tempus hos agros neque per se neque per alium occuparet, ab ejus segetibus, domo, et agris sepimento inclusis excludendi, quamdiu animum haberet ibi revertendi, aut jus suum in alium conferendi. Hoc illustrari potest ex iis quæ in Australia in aurifodinis eveniunt. Quando enim quis fodinam aperuit, quamvis propter ægrotationem aliamve causam absens sit per aliquod tempus, propositum vero habet eam iterum occupandi, non potest alius hanc sibi vindicare; si vero fodinam deserat, cuilibet integrum erit eam ingredi.

Idem dicendum est de rebus mobilibus, si enim in eadem regione quis massam casu inveniret magna ex parte ex auro constantem, et eam quia ignoret quid sit projiceret, utique a quolibet alio occupari posset; si autem eam celaret, animo domum postea deferendi, is qui hoc sciens eam auferret, furti reus esset.

§ II. *Ipsa substantia rerum ab initio permanenter uni ad exclusionem omnium aliorum, per solam occupationem appropriata non erat, sed per industriam et laborem. Quomodo filii in jura parentum successerint?*

182. Ex dictis patet maximum esse discrimen inter eum qui simpliciter occupat aliquam rem, eumque qui rem sibi per suum laborem appropriat. Jus prioris intra spatium et tempus ejus physicæ possessionis coarctatur. Sic ille qui in loco ad neminem pertinente sub tegmine arboris recumbit, jus habet ut ne quis ipsum nolentem ab eo loco amoveat, sed jus non habet ne alii aliis in locis sub tegmine istius arboris recumbant: et quando ipsum locum quem occupat relinquit, alius potest eum statim occupare. Habet itaque *usum* istius loci quamdiu ibi manet, sed ipsa substantia (si ita loqui fas sit) loci nullatenus ad eum pertinet. Jus autem illius qui rem suo labore meliorem efficit, intra limites ejus physicæ possessionis neque quoad spatium, neque quoad tempus restringitur. Si enim ille qui sub tegmine arboris recubuit, amœnitate loci captus, ibi casam construxisset, totumque spatium circa arborem coluisset atque sepsisset, nemini liceret ipso nolente hunc locum invadere, quamdiu vellet eum retinere, atque in proprium commodum colere. Potuit ergo eum sibi per totam vitam appropriare, vel etiam alteri tradere. Sicut enim nulli fas esset ibi ipso nolente ingredi, ita ipso volente potest alius ibi habitare vel simul cum primo possessore, vel solus si primus possessor ad eum totum suum jus transferret.

183. Habet itaque titulo laboris non solum jus exclusivum utendi sua casa, terraque a se ipso exculta, sed etiam proprietatem in ipsa substantia istarum rerum, vi cujus potest durante vita sua illas res sibi retinere, aut aliis tradere. Neque etiam requiruntur verba expressa aut factum aliquod expressum ad aliquem in justam possessionem consociandum; namque consociatio illa ex variis circumstantiis secundum communem hominum intelligentiam efficaciter infertur. Sic paterfamilias liberos suos *secum viventes* consociat; et habitationi terræque ab ipso excultæ succedunt, non tantum jure primi occupantis, sed etiam propter consociationem virtualem. Aliter posset alienus horreum statim

post mortem patrisfamilias ingredi, et fruges ibi coacervatas ad propriæ familiæ sustentationem titulo primi occupantis auferre; posset hortum, et agros vicinos ubi crescerct frumentum patrisfamilias industria satum eodem titulo sibi vindicare, quoniam tempore mortis hæc omnia extra possessionem naturalem et physicam familiæ defuncti existere possunt. Deinde nisi aliqua consociatio admittatur, titulo meræ occupationis domestici æqualiter cum familia patrisfamilias defuncti ad ejus proprietatem succederent. Sed sensus quasi innatus omnium hominum extraneum qui se intruderet, aut servum domesticum qui bona patrisfamilias hoc modo usurparet injustitiæ reum declarat. Hic sensus innatus innuit hanc consociationem quodammodo ex naturæ legibus fieri. Namque in primordiis mundi liberi viventes cum patre res familiares et proprietatem simul cum illo possidebant, et si ille de rebus suis ante mortem non disposuisset, ejus jura et possessiones in illis naturaliter perseverabant. Temporis decursu mos ille antiquus ut filii in jura patris non aliter de rebus suis disponentis, quamvis tempore mortis ejus absentes fuissent succederent ad exclusionem extrancorum, consuetudine universali et jure gentium inductus fuit. Quando vero civitates constitutæ fuerant, et civilibus institutis temperatæ, hic mos auctoritate legum municipalium confirmatus est.

184. Hinc liquet quantum sit discrimen inter titulum qui ex mera rei occupatione oritur, et titulum qui in labore et industria fundatur. Sic qui videt arborem in deserto fructibus abundantem, eamque occupat animo suam faciendi, non ideo fit hujus arboris dominus, neque alios ab ejus fructibus avellendis arcere potest. Sed ab illa parte fructuum quos ille in proprium suum commodum avulserit juste potest omnes alios excludere. Per laborem enim homo rem a communitate negativa segregat, operis humani quasi signum ei imprimit, remque ipsam propriam facit. Sic qui primi regiones incognitas et desertas ingrediuntur, non ibi acquirunt proprietatem exclusivam aut permanentem, nisi per sudorem multum et magnum laborem. Proprietas enim quam homo labore suo et industria consequitur est velut insigne victoriæ quam per intelligentiam suam reportat ex iis rebus quæ non intelligunt sive animatæ sunt, sive inanimatæ. Arbores et alia impedimenta magno labore removere et locum contra incursiones ferarum defendere æque necessarium est atque ipsos agros colere, et serere, et metere. His autem factis labore suo tanquam sigillo illum locum consignat suumque facit (*a*).

(*a*) M. Troplong de la Prescription. n. 6. et 220. seq.; ap. Melanges Theologiques, 2. serie, p. 517.

185. Manifestum ergo est quamvis res externæ ab exordio mundi a Deo hominibus in commune concessæ erant, et nullius dominio in particulari ad exclusionem aliorum appropriatæ, ipso jure naturæ unicuique competere facultatem eas occupandi, proprias per suum laborem faciendi, per totam vitam retinendi, et etiam earum dominium in alios transferendi. Aliter enim finis in earum creatione a Deo ipso intentus attingi non posset, neque quisquam laboraret aut semen sereret, si alios a messe excludere non posset. Quis animalia aleret, si statim atque ex ejus occupatione physica aliquo casu errarent, quilibet alius ea sibi vindicare posset?

186. Proprietas quæ primo permanenter appropriata est haud dubie constabat ex vestibus unicuique propriis, deinde ex cibo, non tantum ad præsentem usum necessario, qui utique primum locum teneret, sed etiam in futuros usus asservato. Ad hos fines certo attingendos, prudens paterfamilias non soli venationi et piscationi confidebat sed semina serebat et animalia vel ad victum vel ad vestes conficiendas utilia alebat: domum etiam pro se suaque familia ædificabat et utensilia necessaria ad usus domesticos, ad venandum, et ad agros colendos conficiebat. Patre mortuo hæc bona ad familiam descendebant, et sic ipso jure naturali duce, divisio rerum facta est et proprietas in bonis tam mobilibus quam immobilibus acquisita et ad posteros transmissa.

187. Quamquam autem homines *permanentem* proprietatem in ipsa substantia terræ potuerunt stabilire, non dico hoc factum fuisse quoad aliquam quantitatem notabilem in primordiis mundi. Quamdiu enim homines erant pauci, et agri non occupati abundabant, graminibus et frugibus in uno loco consumptis in alium cum pecoribus transibant. Non dubitandum est tamen quin aliquæ res immobiles etiam a primis temporibus sint permanenter appropriatæ. Multiplicati siquidem posteri Adami omnes non potuerunt in eadem domo habitare, et verisimile est unamquamque familiam suam propriam habuisse habitationem: cui adnexus esset hortus in quo vineas et arbores fructiferas sereret. Sane Adam qui homo agricola erat (*a*) et vixerat in horto paradisi, non omitteret et verbo et exemplo filios suos hanc artem docere. Noe eandem quam Adam vitæ rationem post diluvium secutus est: "Cœpitque Noe, vir agricola exercere terram, et plantavit vineam" (*b*). Sed et Cain a ceteris hominibus ejectus, pro se suaque familia, fortasse

(*a*) Homo agricola ego sum, quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea. Zach. xiii. 5.

(*b*) Gen. ix. 20.

jam senex et quando ejus posteri numerosiores erant, civitatem ædificavit (*a*) in qua verisimile est unamquamque familiam suam propriam habuisse domum. Declaratur enim in eodem loco, nonnisi in sexta generatione a Cain apparuisse Jabel qui fuit pater habitantium in tentoriis et pastorum (*b*). Videtur ergo usque ad hoc tempus homines plerumque domos habuisse fixas quas incolebant cum suis familiis. In his enim temporibus quando homines pauciores erant in mundo, unusquisque pascua in locis suæ civitati atque habitationi vicinioribus facile obtinere poterat. Multiplicatis autem hominibus et gregibus, jam non omnes pascua in vicinitate urbis et suæ habitationis permanentis invenire potuerunt, et sic longius abire et in tentoriis habitare cogebantur. Sed quamdiu unicuique integrum erat pascua ubicumque libuisset quærere et in hæc agere pecora sua, satis patet maximam partem terræ adhuc in communitate negativa permansisse, et valde parvam portionem per laborem humanum fuisse appropriatam. Et videntur res ita permansisse non solum ante diluvium sed et per plura sæcula postea.

§ III. *De divisione et appropriatione terræ post confusionem linguarum et humani generis in varias regiones dispersionem.*

188. Circiter ducentis post diluvium annis facta est confusio linguarum, et dispersi sunt homines in varias partes orbis terrarum (*c*). Deinceps homines discesserunt in civitates distinctas, quarum unaquæque proprios habuit agros. Pascua et agri ab aliqua civitate occupata, quoad ipsius membra, antequam singulis sua portio appropriata erat, in communitate erant negativa, in quantum singulis membris licitum erat illis uti : quoad exteros vero erant in communitate positiva, quoniam membra alterius civitatis hos agros absque injustitia invadere non potuerunt. Dominium enim horum agrorum jam appropriatum erat, non quidem ab individuis, sed a tota civitate ad exclusionem omnium extrancorum. Titulus civitatis ad agros ipsi necessarios positus est imprimis in occupatione actuali territorii antea in communitate negativa existentis; si inde decedat, utique agri ab ea occupati ad communitatem negativam redeunt.

189. Si vero in aliquo territorio homines sedem suam figunt, si urbem condere incipiunt cum aliqui ex illis domos in aliis

(*a*) Gen. iv. 17. (*b*) Ibid. 20.

(*c*) Facta est divisio terræ in diebus Phaleg. Gen. x. 25. ex cujus genealogia tempus in quo divisio facta fuit computatur.

hujus territorii partibus ædificant, terram colunt, agros sepiunt, arbores plantant, certum est hoc territorium titulis occupationis et laboris, ad hanc communitatem ipso jure naturali pertinere, et jus ipsi competere omnes alienos ab eo excludendi. Et sicut hæc communitas territorium ab alia communitate jam occupatum, absque injustitia invadere non potest, ita nec potest alia hanc a suis agris jam pacifice possessis arcere. Absurdum esset dicere proprietatem hujus territorii huic communitati ex lege civili provenire, quia prius juste territorium possidere debet quam leges de ejus dispositione ferre possit. Sed territorio jam juste acquisito, communitas ferre potest leges de eo inter sua membra distribuendo. Et quoniam rerum divisio quamvis legi naturali et divinæ omnino consona, ab his legibus non præcipitur, possunt membra istius societatis inter se convenire ut omnia habeant in commune ad exclusionem tantum alienorum, quod factum est in primitiva Ecclesia Hierosolymis, et adhuc obtinet in communitatibus religiosorum apud quas nullus religiosus proprietatem ullam habet, sed hæc aut ad ipsam communitatem aut ad Summum Pontificem pertinet.

§ IV. *Post lapsum hominis non solum licita sed et necessaria est pro hominibus generatim sumptis bonorum divisio et proprietas. Socialismus ipsum jus naturale violat.*

190. Quamvis autem communitas positiva in primitiva ecclesia quibusdam in locis viguit, et adhuc in communitatibus religiosis viget, attamen divisio rerum et inter ipsas gentes, et inter ejusdem reipublicæ membra nunc, quum ratio habeatur perversitatis hominum, prorsus necessaria est. Et quidem in ipsa ecclesia primitiva, et in domibus religiosis, communitas negativa bonorum restituta non erat, neque alii præter membra istarum communitatum potuerunt absque injuria eorum bona invadere. Necesse autem non est in eo immorari ut probemus communitatem *negativam* bonorum inter varias orbis terrarum respublicas existere non posse, ut non eas propter hominum nequitiam cito in ruinam ducat. Tunc enim licitum esset uni reipublicæ aliam aggredi et omnem proprietatem tam in agris, quam in bonis mobilibus, a nullo physice et actu occupatis, sibi vindicare; et reipublicæ sic invasæ vice sua licitum esset aliam similiter deprædari. Itaque ad ipsam existentiam communitatis civilis requiritur ut *territorium* ejus, et alia proprietas et publica, et privata ejus civium, ad ipsam rempublicam ejusque membra ad exclusionem omnium alienorum pertineant.

191. Nec minus necessaria est divisio bonorum inter ejusdem etiam reipublicæ membra ut unicuique suum tribuatur. Quis enim coleret terram aut seminaret si alii metere liceret? Aut quis domum ædificaret, si ædificatam alius occupare posset; aut quis greges aleret si nullum jus proprium in eos acquireret? Licet ergo jure naturali et divino omnia sint communia, hoc in sensu quod nihil proprium cuiquam tribuunt, sed omnia omnibus sine discrimine, ita ut unicuique licitum esset in proprium usum et commodum convertere quæcumque vellet, modo ab alio præoccupata non fuissent; attamen neque lex naturalis, neque divina res in communitate negativa permanere præcipit. Quinimo, quoniam propter ignaviam et cupiditatem, homines desidia et negligentia torpescentes fructus laboris alieni arriperent, potiora omnia fortiores sibi vindicarent, debiles misere opprimerent, divisio rerum legi naturali non solum omnino consona est, sed quodammodo ab ea indirecte imperata. Hinc videmus Patriarchas (*a*) in vetere testamento multas habuisse possessiones, et ut bona dividantur et singuli sua habeant, expresse approbatur quarto et nono præceptis decalogi, quibus non solum furtum vetitum est, sed et concupiscentia bonorum proximi. Præceptum vero furtum non faciendi servandum esse in Nova Lege sub pœna exclusionis a vita æterna docet ipse Dominus noster (Mat. xix. 18). Quamvis ergo communitas positiva bonorum *voluntarie* servata erat in ecclesia primitiva Hierosolymitana, et etiam adhuc in communitatibus religiosis asservatur, omnia non permanserunt in communitate *negativa* etiam in familia ipsius humani generis parentis. Deinde etiam communitas positiva non diu permansit in ecclesia Hierosolymitana, "crescente enim multitudine fidelium, oportuit fideles dominia etiam rerum privata retinere" (*b*).

192. Quod si paucissimi homines qui ad christianam perfectionem contendentes et res humanas despicientes, a negotiis secularibus in domos religiosas secesserunt, possunt in communitate bonorum positiva vivere, quis inde inferret magnam rempublicam, in qua innumeri essent homines iniqui qui metu mortis aut exilii vix a rapinis coercentur, stare posse si omnia essent communia et cuilibet liceret quod vellet auferre. Inde bella,

(*a*) Erat autem (Abram) dives valde in possessione auri et argenti. . . . sed et Lot qui erat cum Abram fuerunt greges ovium et armenta, et tabernacula. Nec poterat eos capere terra ut habitarent simul; erat quippe substantia eorum multa. Gen. xiii.

(*b*) Lugo, Disp. 6. n. 1.

jurgia, cædes innumeræ nascerentur, omnibus rapientibus quæcumque invenirent, et potentioribus quæcumque meliora essent ad proprium usum usurpantibus. Hinc in omni republica furtum gravissime punitur. "Licet," ait Lugo, "in aliquibus circumstantiis et in aliqua congregatione, non esset obligatio faciendi divisionem, quia non esset necessitas ad pacem et quietem humanam, per hoc tamen non tollitur, quod ubi essent aliæ circumstantiæ diversæ, esset obligatio stricta illius, si in illis circumstantiis lumen naturale indicaret, illud esse medium moraliter necessarium ad finem: atqui post peccatum in tanta hominum multitudine illud erat medium non solum expediens, et utile, sed *omnino* necessarium ad finem pacis, et quietis. Ergo in circumstantiis præsentis status, et respectu totius multitudinis hominum jus ipsum naturale obligabat, secluso omni humano præcepto, ad divisionem faciendam. . . . Quando ergo dicitur, quod jure naturæ omnia communia erant, non debet ita intelligi, quod jus naturæ præciperet illam bonorum communitatem, et prohiberet proprietatem, ac divisionem; sed quod in ipsa prima rerum creatione nihil natura alicui in particulari applicuit, sed introduxit homines in mundum, quasi in domum opibus refertam, ut singuli acciperent et accipiendo facerent sua, ea quæ antea erant communia. . . . Appropriationem (bonorum communium) non prohibebat jus naturæ, imo in genere dictabat, et præcipiebat fieri supposita fragilitate et multitudine hominum, licet modum illum faciendi non omnino determinaret, sed cum dependentia semper aliqua a jure humano potente limitare, augere, decernere modum acquirendi, vel amittendi illam proprietatem" (*a*).

193. Ex his omnibus satis superque refutatur dogma illud nefandum quod ipsius societatis civilis et omnis cultus humani fundamenta penitus everteret Apostolicorum (*b*), Communistarum (*c*), Sansimoniensium (*d*), aliorumque (*e*), quod nempe nulla in mundo existere debet proprietas et omnia bona debent esse communia. Præcipuus assertor hujus doctrinæ erat auctor quidam Gallus nomine Proudhon, qui docuit *Proprietatem esse furtum.* Doctrinam Communistarum merito anathematizavit Pius IX. in prima sua Encyclica, declarans eam esse infandam ac vel ipsi juri naturali maxime adversam.

(*a*) Lugo, Disp. 6. n. sect. 1. n. 4. et 6.
(*b*) De quibus cf. Epiphanium, lib. 2. Hæres. 61. tom. 1. p. 506.
(*c*) Hist. du Commun. par Ludre, Paris, 1850.
(*d*) Cf. Carrière de Just. n. 22. et auctores ab eo citatos.
(*e*) Inter alios docuit in Galliis Proudhon "La proprieté c'est vol."

§ V. *Quo jure actu inductæ sint divisio rerum et proprietas ?*

194. Prima quæstio duplicem habere potest sensum, nempe primum quo jure facta aut præcepta sit *generalis* rerum divisio ? et secundum quo jure hoc regnum pertineat ad hunc principem potius quam ad alium ? quo jure hic liber sit Petri potius quam Pauli? hæc domus seu fundus sit illius domini aut illius ? Hoc est quo jure res suæ ad unumquemque in particulari pertineant ? De hoc § sequenti agemus.

Quæstio in primo sensu accepta ex jam dictis facile intelligi potest. Non enim per se et directe jure aut naturali aut divino præcepta est rerum divisio. In principio enim et per plura secula, maxima pars orbis terrarum in communitate negativa permansit, et multæ res adhuc, ut statim videbimus, in eadem communitate positæ sunt. Unde S. Clemens Papa in cap. *dilectissimis.* 12. quæst. 2. ait : " Communis usus omnium quæ sunt in hoc mundo, omnibus hominibus esse debuit : sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud : et sic inter mortales facta est divisio." Sed Clemens hic loquitur de causa propter quam divisio rerum necessaria facta est, quæ 1. est peccatum originale, quod si non præcessisset, non facta fuisset divisio ; singuli enim sine labore omnia ad vitam necessaria habuissent : et 2. peccata actualia ; quia nisi facta fuisset divisio, fortiores omnia meliora arripuissent. In communitate etiam positiva plura permanent, ut exemplo religiosorum constat. Sed in illo statu res vere appropriantur, et est una species dominii proprie dicti. Sicut autem per se et directe non præcipitur jure naturæ rerum divisio, multo minus talis divisio eodem jure prohibetur. Omnia enim communia sunt jure naturæ *permissivo*, in quantum jus unicuique competit ea occupandi et etiam appropriandi quæ ad neminem pertinent. Itaque divisio rerum in primis fundatur in jure naturæ permissivo, vi cujus unusquisque potest ea quæ ad neminem pertinent appropriare, et appropriatione facta idem jus præcipit ne res appropriatæ auferantur. Sic incepta est divisio rerum a lege ipsa naturali non quidem præcipiente sed permittente, et appropriatione semel facta eadem lex præcipit neminem in suis bonis lædendum esse. Jure etiam naturali potuit istarum rerum dominus aliis eas dare, et etiam in familiam suam, ut vidimus, per consociationem actualem aut virtualem transferre.

195. Quando familia ex pluribus filiis et domesticis constabat, et præsertim quando plures familiæ simul habitabant, aliqua

forma civilis regiminis, v. g. patriarchalis, ad vitam et proprietatem servandam necessario instituta fuit. Unaquæque autem familia et persona adhuc rerum suarum dominium ita retinebant, ut regimini constituto obedire deberent, et ad onera communia pro facultatibus conferre. Quando vero territorium nimis arctum factum erat, aliquæ familiæ in alias regiones transierunt. Quum primo post confusionem linguarum homines migrare cœpissent, et etiam per multa secula post, terras omnino incultas et desolatas ingrediebantur, neque limites eorum gentibus circumfusis coarctabantur. Ager vero adeo abundabat ut nulla opus esset divisione, sed unicuique licitum erat greges pascere et terram ubi vellet colere. Post aliquod tamen tempus evenit ut quæque familia suam habitationem haberet; ut pagi et oppida ædificarentur; et ut præter res mobiles, etiam in rebus immobilibus aliqua proprietas acquireretur. Totum vero territorium, sive a privatis membris appropriatum fuisset sive non, ad istam communitatem ad exclusionem cujusquam alterius communitatis, pertineret; et agri non appropriati in positiva communitate existerent, in quantum a membris istius communitatis ad exclusionem omnium aliorum occupari possent. Et sic totum territorium a communitate acquisitum erat ipso jure naturali 1^m^. appropriationem permittente, et deinde appropriatione facta præcipiente omnes alios illud non invadere.

196. Sed quamvis membra communitatis potuerunt sua bona aliis durante vita dare, vel etiam per consociationem jure solo naturali, aliis transmittere; attamen si cum parentes morerentur filii omnes in terris essent longinquis neque pater bona sua illis, durante vita dedisset, aut aliorum qui pro filiis tenerent fidei commisisset, quamvis æquitati consonum esset ut ipsi ad exclusionem alienorum in bona parentum succederent, attamen, ut cum communi docet Suarez (*a*) hoc a lege naturali non stricte præcipitur. Sed natura ipsa monente mos brevi tempore ubique fere prævaluit, ut nisi pater aliter de bonis suis disposuisset durante vita, filii etiam absentes et non consociati ad ea succederent. Et hic mos ita universalis evasit ut juris gentium nomine merito appellaretur. Ipsam vero successionem intelligimus, quia quoad *modum* successionis, v. g. utrum filii et filiæ æquales partes proprietatis acciperent an inæquales, &c., alius mos apud alios populos prævaluit. Modus itaque successionis decursu temporis per leges civiles variarum gentium ordinatus est. Postea mos conficiendi testamenti, vi cujus posset homo de bonis suis disponere, quod non valeret nisi post mortem testantis introductus est.

(*a*) De Legibus, lib. 2. cap. 14. n. 6. et 13.

Per mortem enim lege sola naturali spectata omne dominium bonorum suorum unusquisque amittit: sed huic legi omnino consona est potestas testamenti conficiendi: et mos disponendi de bonis per testamentum ita universalis est ut nomen juris gentium merito sibi vindicet. Sed forma quoque testamenti alia est apud alias gentes, et hæc a lege municipali uniuscujusque gentis constituta est.

197. Ex dictis constat non solum jure naturali et gentium, sed etiam jure civili aliquo modo factam fuisse rerum divisionem. Sed quæ hactenus obiter de jure humano diximus, potius respiciunt ejus partes in perpetuatione et transmissione proprietatis quam in ipsa appropriatione et divisione rerum. Sed æque certum est sæpe factam fuisse ipsam divisionem rerum, sive inter diversas communitates, sive inter ejusdem communitatis membra, per pacta vel auctoritate ipsius communitatis: sic si quando duæ communitates vel etiam familiæ independentes idem territorium ad utriusque sustentationem insufficiens occuparent, hoc ad neutram exclusive pertineret, et proinde quoniam neutri competeret jus alteram excludendi, deberent per sortes, aut voluntaria aliqua conventione statuere utra hoc territorium exclusive teneret, utra decederc teneretur. Simile aliquid accidisse vidimus inter Abraham et Lot (Gen. xiii.). Facta enim rixa inter eorum pastores eo quod propter multitudinem gregum utrosque simul terra illa capere nequibat, dixit Abraham ad Lot: "Ne quæso sit jurgium inter me et te, et inter pastores meos et pastores tuos; recede a me obsecro: si ad sinistram ieris ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam." Propter eandem rationem Esau a fratre suo Jacob decessit (Gen. xxxvi.). Insuper quamvis nullo pacto opus esset quando communitas in locum a nullo jam possessum decederet, attamen quando alia communitas sedes in propinquo collocaret sæpe ad conventionem humanam recurrendum esset ad fines utriusque determinandos.

198. In migrationibus, quæ multiplicatis jam hominibus frequentiores fiebant, permulti quorum sua quisque bona mobilia secum afferebat, antiquas deserebant sedes, et novum territorium aut occupatione aut, quod sæpius evenit, vi et armis acquirebant. In novo territorio sive juste sive injuste acquisito, nullus privatus adhuc ullos agros proprios possidebat, neque fieri potuit ut quisque quantum vellet haberet. Tunc ad pacem conservandam necessarium esset ut divisio auctoritate ipsius communitatis fieret, et ut unicuique sua pars aut sorte, aut ab ipso superiore tribueretur. Ita inter Israelitas Dei ipsius jussu novum territorium divisum est (Josue xiii., seq.). Juste quidem illi agros Chananæorum occuparunt, quia a Deo ipso concessi erant, sed alii invasores

terram alienam injuste arripiebant. Attamen decursu temporis, et ipsa communitas territorium, et ejus membra partem unicuique concessam sæpe juste acquirebant, ut agentes de præscriptione latius dicemus. In divisione territorii inter membra communitatis, terra illa ante divisionem non erat in communitate negativa sed positiva, quia jam erat a tota communitate appropriata, quamvis nullus privatus ulla parte tanquam sua potitus est.

199. Aliqui divisionem rerum a jure paterno (*a*) vel a pacto explicito sive implicito (*b*) vel a lege civili (*c*) deducunt. Sed neque Adam neque Noe videntur totum mundum distribuisse, aut ullum jus ita agendi habuisse, ita ut ab exordio mundi, aut a tempore Noe terra non occupata non esset in communitate negativa. Non videtur aut Adam aut Noe aut quenquam alium patremfamilias ullam habuisse proprietatem nisi quam modis supra expositis acquisivit. Potuerunt de bonis sic acquisitis disponere durante vita, sed soluto vinculo inter eos eorumque bona per mortem, nonnisi jure gentium de iis postea potuerunt disponere; atque exceptis bonis suis propriis nihil potuit ullus paterfamilias, nisi si quis potestate aliqua politica potiretur cui concessa fuisset auctoritas publica bona non appropriata communitatis inter ejus membra dividendi, et sui territorii et propinqui fines determinandi. Sed hæc potestas non est paterna sed politica et jurisdictionis. Neque divisio rerum facta est per pactum nisi eo modo quo supra indicavimus. Ipso enim jure naturali potuerunt homines agros non appropriatos occupare suosque facere, neque recursus ad pactum habitus erat, nisi quum ex duabus familiis aut communitatibus quæ eosdem agros occupabant alterutra decederet necesse esset, vel quum disceptatum esset de utriusque communitatis territorii terminis, vel quum agros inter ipsa communitatis membra necessarium esset distribuere. Ad hoc ultimum tamen pacifice peragendum fere semper necessarium esset potestatem totius communitatis exercere, et distributionem publica auctoritate facere, quoniam individui inter se de tali distributione haud facile convenirent.

200. Neque derivari potest divisio rerum a jure civili; quia lex civilis fundatur in jurisdictione quam habet tota communitas supra omnes sui partes individuas. Ultra fines ditionis hujus communitatis ejus leges obligare nequeunt. Nullo modo possunt Galli condere leges obligantes in Anglia, neque Angli in Gallia.

(*a*) Molina, L. 1. tr. 2. D. 20. n. q.
(*b*) Puffendorf. L. iv. c. 4. § 4. seq.
(*c*) Montesquieu. Bentham et alii.

Leges igitur civiles alicujus communitatis, quæ proprietatem disponendam respiciunt, necessario ad *proprium* ejus territorium restringuntur. Supponunt ergo hujusmodi leges territorium jam appropriatum vel occupatum, non quidem quoad ejus distributionem inter hujus communitatis membra, sed quoad hoc quod ad totam communitatem pertinet. Territorium autem acquisitum inter sua membra dividere potest communitas, agros largiendo aut vendendo, vel reditus annuos aut alia officia ob bonum communitatis necessaria exigendo ab iis quibus agri concessi sunt, vel potest etiam partem agrorum ad onera publica sustentanda sibimetipsi reservare.

201. Itaque divisio rerum primario in ipso jure naturali *concedente* unicuique jus res non occupatas appropriandi, et *præcipiente* ne quis bona jam appropriata invadat fundatur. Potestas vero qua dominus hæc bona etiam post mortem sive jure hæreditario sive per testamentum aliis transmittere possit a jure naturali et gentium, modo explicato, derivatur. Et quamvis lex civilis potest plura et quoad modum quo hæc bona transmitti possint, et quoad divisionem inter cives, ordinare, et etiam restringere potestatem testatoris, ne, v. g., omnia bona sua alienis relinquat propria familia neglecta; attamen totam potestatem testamentum conficiendi juste auferre nequit. Quamvis enim jus ita proprietatem transmittendi non sit naturale sed positivum, neque intrinsece malum esset talem potestatem denegare; attamen ita accedit ad legem naturalem, tam necessarium est ad bonum publicum promovendum, tam altis radicibus in moribus omnium gentium excultarum nititur, ut tantum absit ut lex illud omnino abrogans reipublicæ saluti et utilitati serviret, ut etiam maximo ei esset detrimento eamque penitusque everteret. Lex vero civilis in iis locis, ut in America et Australia, ubi totum territorium nondum est ab individuis appropriatum, statuere potest quem ad modum agri non appropriati distribui debeant: ubi vero totum territorium jam est appropriatum, nullius agros nisi propter crimina atrociora confiscare potest, sed solummodo onera necessaria in illorum dominos imponere; et ejus præcipuum officium quoad proprietatem est, præscripta justa pro ejus securitate et transmissione dare.

§ VI. *An in statu naturæ lapsæ præcepta sit rerum divisio et quo jure? An aliqua bona adhuc communia maneant?*

202. Hæc quæstio cum ea de qua in sectione præcedenti disputavimus sæpe confunditur, sed prorsus immerito; alia enim omnino quæstio est quo jure facta sit rerum divisio; qui enim libera

administratione suorum bonorum potitur, jure naturali, divino, et humano hæc bona inter quoslibet dividere potest; minime vero hanc divisionem facere præcipitur. Potest vir nullo impedimento adstrictus, jure naturali, divino, et humano uxorem ducere, sed ita facere nullo præcepto cogitur. Deinde quæstio esse potest quo jure facta sit divisio rerum *in genere*, vel quo jure res *particulares* ad dominos pertineant, v. g., quo jure imperium Angliæ ad hanc reginam pertineat, imperium Galliæ ad illum imperatorem: cur illa domus vel fundus sit illius domini; et in hoc ultimo sensu divisio rerum a jure humano deducitur. Certe neque jure naturali neque divino neque gentium concessum est regnum Angliæ aut Galliæ iis principibus qui in illis imperant: et idem dicendum est de jure quo privati res suas acquirunt. Rerum enim mobilium proprietas ab initio, aut proprio labore, aut per inventionem et detentionem animo has suas faciendi ab hominibus acquisita est: immobilium per occupationem et laborem, hoc permittente, non vero imperante jure naturali. Acquisitio per actus liberos facta est, neque lex naturalis jubet homines res aliquas sibimetipsis exclusive appropriare. Neque alicujus rei externæ dominium alicui hæc lex vindicat, donec res illa a communitate negativa fuerit segregata et ab ipso appropriata. Neque habet *unus* potius quam *alius* aliquam rem jure gentium. Sic qui in bona defuncti, jure hereditario aut per testamentum succedit, quamvis *hi modi* proprietatem transmittendi sint juris gentium, attamen quia ipsa *immediata* successio uniuscujusque *individui* a jure civili, aut a voluntate defuncti procedit, hæc bona non jure naturali nec gentium, sed humano acquirit. Non enim determinat jus gentium quomodo succedere debeant heredes in bona defuncti, an omnes æqualiter, an filii accipere debeant majorem partem quam filiæ, &c., quæ omnia per jus civile ordinantur. Jus vero quoad ea quæ per contractus, donationes, &c., acquiruntur, a voluntate eorum qui dominium suorum bonorum ad alios transferunt immediate deducitur (*a*).

203. Agentes vero de divisione rerum, quidam dicunt hanc divisionem præceptam esse in statu naturæ lapsæ ipso jure naturali. "Secundo," ait Lugo (*b*), "accipitur jus naturale pro lege

(*a*) Cf. Salmanticenses de Just. cap. 2. punct. 1. n. 8. Lessius, lib. 2. cap. 5. dub. 3. n. 11. *quarto*. "Hoc sensu dixit B. Augustinus tract. 6. in Joan. Unde quisque possidet quod possidet? nonne jure humano? Nam jure divino domini est terra et plenitudo ejus. Jure tamen dicit: Hæc villa mea est, hæc domus mea . . . Jure ergo humano, jure imperatorum. Quare? quia ipsa humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit generi humano."

(*b*) Loc. cit. n. 5.

obligante *independenter ab omni præcepto positivo superaddito. Et in hoc sensu est quidem de jure naturæ* divisio rerum et dominiorum *in genere loquendo,* quia naturalis ratio dictat, in circumstantiis præsentibus naturæ lapsæ, et hominum multitudinis necessariam esse divisionem: modus tamen illius non est completè de solo jure naturæ, sed pendet saltem negative a jure humano; non solum quia multi modi acquirendi, et perdendi ac transferendi dominium introduci possunt, et de facto introducti sunt jure merè humano, sed etiam quia illi alii modi acquirendi dominium, qui videntur naturæ jure introducti, adhuc saltem negative pendent a jure humano, quatenus potuerunt jure humano impediri, sicut de facto impeditur, ne thesauri dominium acquiratur inventori privato (*a*) et plures redduntur jure humano incapaces acquirendi dominium. Quando ergo dicitur jure gentium introductas esse rerum divisiones, sermo est de divisione *in genere* loquendo, præscindendo ab hoc et illo modo dividendi, et acquirendi dominium." Deinde dicit jus gentium idem omnino esse cum "jure naturæ, nimirum quod præscindit ab omni decreto positivo superaddito ipsi naturæ lumini."

204. Attamen theologi communiter docent cum Suarez (*b*), jus gentium a jure naturali distingui, "quia jus gentium non tantum est ostensivum malitiæ sed constitutivum: itaque non prohibet mala quia mala sunt, sed prohibendo facit esse mala." Et hac distinctione posita theologi communiter (*c*) negant divisionem rerum jure naturali fuisse præceptam. "Dico 2°," ait Lessius (*d*), "non est etiam facta proprie (hæc divisio) jure naturali. Probatur quia jus naturæ neque facit hanc divisionem, cum omnia reliquerit communia; neque etiam præcepit eam fieri." Docent vero post S. Thom. (*e*) divisionem rerum a jure gentium ordinari, non quod sit aliquod hujusmodi præceptum apud omnes obligatorium, sed quia commune omnium populorum judicium est, divisionem rerum expedire tum ad pacem, tum ad meliorem rerum administrationem; idque spectata mortalium conditione, quæ sui amans et alieni negligens cupiditati et ambitioni misere est subjecta. Itaque hoc jus gentium nihil est aliud quam commune hominum judicium et gentium consensus (*f*).

(*a*) Utrum hoc legis præscriptum obliget in conscientia inter nos ante sententiam judicis suo loco dicemus.

(*b*) De Legibus, lib. 2. cap. 19.

(*c*) Sotus, lib. 4. de Just. q. 3. a. 1; Bannez præambulo ad quæst. 62. de dominio q. 3; Lessius, lib. 2. cap. 5. d. 3.; Dicastillo, lib. 2. t. 1. disp. 1. dub. 10.; Salmant. cap. 2. punct. 1. n. 2.

(*d*) Loc. cit. n. 8. (*e*) 2. 2. q. 66. a. 2. ad 1. (*f*) Lessius loc. cit. n. 9.

205. Facile videri potest opiniones relatas inter se vere non discrepare. Lex enim naturalis duplici modo respici potest, 1° ut hæc sola ad legem naturalem pertinere dicantur quæ sunt in se bona aut mala; et hoc modo divisio rerum non præcipitur, aliter enim Christiani Hierosolymitani legem naturalem violassent et etiam nunc religiosi qui ex amore Dei omnia bona communia habent eandem legem violarent. Ea quidem sola quæ in se sunt bona aut mala directe a lege naturali præcipiuntur aut prohibentur, sed lex naturalis sæpe indirecte præcipit aut prohibet res in se indifferentes, propter periculum peccandi quod ex his rebus oritur; sic multi sunt qui non possunt bibere vinum moderate, qui misera experientia docti sciunt futurum esse ut si bibere incipiant, in ebrietatem incidant; et his omnimodam abstinentiam a vino ratione periculi proximi ebrietatis præcipit lex naturalis. Alius certam domum frequentare non potest ut non blasphemia aut impudicitia se inquinet; adire hanc domum, quamvis aliter omnino licitum, propter proximum peccandi periculum ab ipso jure naturali ei interdicitur. Ita et in præsenti materia; quamvis enim divisio bonorum non ita præcipitur a lege naturali, ut habere ea in commune sit in se malum seu illicitum, attamen in præsenti statu naturæ lapsæ ita necessaria est ad ea observanda aut evitanda quæ in se sunt bona vel mala, ut in republica civili, ab ipso jure naturali secundo sensu supra exposito intellecto, præcipi dici possit. Et nihil aliud vult Lugo, loco citato, quando dicit divisionem rerum ab ipsa lege naturali esse præceptam.

206. Quamquam autem divisio rerum introducta est jure gentium, id est quia omnes gentes communi fere consensu judicarunt eam divisionem esse necessariam, plura tamen adhuc manent in communitate negativa, quorum usus est apud omnes, et dominium apud nullos: talia sunt lux cœli, aër, imber, mare, aqua profluens, feræ quamdiu manent in statu libertatis naturalis, pisces in oceano, et gemmæ quæ dominum nunquam habuerunt. Quoad lumen, aëra, imbrem, mare et aquam profluentem, nemo jus habere potest nisi ad usum. De dominio quod in his haberi possit postea dicemus. Feræ et gemmæ utpote nullum dominum habentes ad primum occupantem pertinent. Alia ut viæ publicæ in communitate positiva constituuntur, in quantum ad unam rempublicam ad exclusionem omnium aliarum pertinent, sed earum usus communis est omnibus civibus.

DISPUTATIO UNDECIMA.

QUO SENSU INTELLIGATUR VERBUM OBJECTUM IN PRÆSENTI MATERIA. DE DOMINIO HOMINIS QUOAD BONA INTERNA.

§ 1. *Quo sensu intelligatur objectum dominii et ipsum dominium in præsenti disputatione? De divisione bonorum quæ possint esse objectum dominii humani in interna et externa?*

207. Antequam ad varias dominii species procedamus, necessarium erit ea quæ dominio humano subjici possunt exponere. *Objectum* dominii non eodem sensu apud scriptores de lege municipali, neque etiam communiter in lingua anglicana, quo apud theologos accipitur. Verbum enim nostrum *object* ex communi usu primum significat quicquid aut sensibus aut menti ita objicitur ut sensum sui faciat. Sic dicimus objectum pulchrum aut horridum. Deinde designat finem quem quis sibi proponit in aliqua actione; et in hoc sensu verbum *object* simpliciter positum communissime accipitur. Apud theologos ea omnia quæ alicui vel aliquibus in proprium commodum adnecti possunt objecta dominii dicuntur. Hæc apud nostros jurisperitos subjecta [*subjects*] dominii seu proprietatis nominantur (*a*). Quamquam de vocibus disputare nolumus, quando res ipsa intelligitur, attamen res quæ alicui adnecti possunt titulo dominii, longe clarius et melius objecta quam subjecta dominii nominantur. In dominio enim in concreto sumpto et subjectum et objectum necessario inveniuntur; quia ille est rei dominus cui res illa titulo dominii adnectitur, sed sane qui rem illam habet est *subjectum*, et ipsa res *objectum* dominii, et sic has voces accipiemus in iis quæ posthac disputabimus.

208. Objecta quæ ad nos jure dominii pertinere possunt, *res* vel communius *bona* a theologis appellantur. In jure vero municipali per bona [*goods*] quæ etiam *catalla* [*chattels*, et *goods and chattels*], appellantur, res tantum mobiles significantur; dum *res* [*things*] proprietatem tam immobilem quam mobilem complectun-

(*a*) Ita post Blackstone, Stephen. Introd. tom. 1. p. 172.

tur. Unde res in immobiles et mobiles dividuntur [*things real and personal*]. Per *bona* tamen et *res* nos post theologos ea omnia quæ objectum dominii humani esse possunt, intelligimus. Bona itaque hoc in sensu in *interna* et *externa* dividuntur.

209. In præsenti quæstione necessarium non est rationem habere distinctionis inter jus *in re* et jus *ad rem*, quoniam diversa objecta materialia non habent; quia jus ad rem habere non possumus ad quidquam quod jure in re seu dominii ad nos pertinere non possit, sed necessarium est distinguere inter dominium perfectum et imperfectum; quia plura dantur bona ut v. g. vita et membra, quorum dominium utile, non vero directum habemus, et insuper quoad ea quorum dominio pleno potiri possumus, ut agros, unus dominio directo, alius vero usu seu usufructu potiri potest.

210. Objectum dominii sensu exposito accepti sunt ea omnia quæ Deus hominibus in eorum commodum et usum largitus est. Deus solus est supremus omnium Dominus. Namque, "Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo" (*a*). De hac quæstione statim plura dicemus. Interim quæstio est de dominio inferiore quod a supremo Dei dominio omnino dependet, eique prorsus subordinatur. Bona vero quæ fieri possunt objectum dominii humani rite a theologis in bona interna et externa dividuntur. Namque distinctio inter diversa objecta dominii humani, rite et vere deducitur ex diversitate nexus quo hæc bona nobiscum in nostrum proprium commodum conjunguntur. Nexus ille quoad quædam bona est internus, quoad alia externus, ut jam exposuimus.

2. *De bonis animi et corporis, quæ possunt esse objectum dominii humani. Utrum homo habeat dominium directum vitæ et membrorum.*

211. Bona hominis interna sunt bona animi et corporis. De bonis animi, si loquimur de dominio quod eorum possessori in ea competit, non est necessarium multa dicere; præcipua enim quæstio est quomodo jus ejus quoad hæc bona ab aliis lædi possit, de qua non hic agimus. Bona animi sunt aut supernaturalia, ut fides, spes, caritas, gratia sanctificans, &c.; aut naturalia, ut usus rationis, memoria, scientia, ars, libertas a necessitate, &c.

212. De bonis supernaturalibus dicendum est ea quæ ab ipso homine cum Dei gratia libere co-operante acquirantur, ad ipsum

(*a*) Psalm. 23. 1.

proprie et vere pertinere. Ipsius vero gratiæ habitualis et aliorum habituum infusorum, in tantum dici potest dominus, in quantum pro sua libertate potest iis uti vel non uti, eos Deo adjuvante retinere vel amittere (*a*) per peccatum.

213. Homo est verus dominus eorum animi bonorum quæ propria ejus industria acquiruntur, ut scientia, artes, &c. : quoad ipsum vero usum rationis, et alias animi facultates naturales, quæ ei a Deo ut auctore naturæ conceduntur, quamvis non sit eorum dominus eo in sensu, quod ipse possit hæc propria industria obtinere, quod rationi repugnaret, quia prius est facultates habere quam exercere, attamen potest illa multo promovere artes et studia colendo, vel per ignaviam deteriora reddere, et his sub respectibus est eorum dominus. Quoniam vero destruere potest non solum ea quæ per seipsum comparavit, sed ipsas facultates a Deo concessas, v. g. usum rationis per ebrietatem, quæstio esse potest utrum hoc peccatum sit non solum contra temperantiam, sed etiam contra justitiam erga Deum, qui utique non dedit homini jus seipsum usu rationis privandi. De hoc infra dicemus.

214. Hominem non habere dominium directum vitæ suæ et membrorum certum est; Deus enim, ut statim probabitur, tale dominium illi non concessit. Alia vero omnino quæstio est utrum homo seipsum aut alium hominem occidendo, effective violet justitiam commutativam erga Deum. Reus quidem est atrocis injustitiæ erga proximum vitam eripiendo, sed quamvis Deus solus est dominus vitæ, fieri potest ut infinitum Dei dominium a creatura nullo modo effective invadi possit.

215. Dico 1°, hominem non habere dominium absolutum vitæ suæ et membrorum sed esse tantummodo custodem eorum et usuarium. Prob. 1°. Ex SS. Scripturis. Homo non habet dominium ullius rei nisi quod ipsi a Deo summo omnium domino concessum est aut mediate aut immediate. Dominium enim quarumdam rerum a Deo immediate concessum est, ut usus rationis, appetituum, saltem in quantum necessarium est ad peccatum evitandum, sicut dixit ad Cain : "Sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius" (*b*), et etiam dominium utile vitæ et membrorum ut infra dicetur; aliarum vero rerum dominium non immediate concessum est, sed unicuique jus conceditur has propria industria et labore acquirendi. Sic acquiruntur plura bona interna, ut, linguarum et litterarum scientia, variarum artium notitia, &c., ut supra explicavimus, et ita quoque appropriatæ erant res externæ quas

(*a*) Billuart de Justitia dissert. 2. ; Carriere de Just. sect. 1. cap. 3. n. 30.
(*b*) Gen. iv. 6.

Deus nemini in particulari sed omnibus in commune immediate concessit. Jamvero Deus neque immediate neque *mediate* homini dominium directum vitæ et membrorum concessit. Non mediate, quia absurdum est dicere hominem per actus suos proprios vitam aut membra acquirere posse, prius est enim esse quam agere. Deinde ut ita dominium vitæ et membrorum acquirere possit, debent esse inter ea quæ Deus omnibus concessit. Sed hæc nullatenus inter ea computantur quorum dominium Deus dedit hominibus in commune. "Crescite," ait, "et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli, et universis animantibus quæ moventur super terram." In his ergo homines per laborem et industriam acquirere possunt dominium plenum, non autem quoad vitam et membra. Neque etiam immediate homini concessit dominium directum et plenum in suam vitam et membra; namque in sacris literis expresse declaratur Deum hoc dominium sibi soli reservasse. Etenim post diluvium cum denuo hominibus concessum est dominium super omnia animalia, volucres, et pisces, sic subjungit: "Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo." Nos autem non minus quam proximus ad imaginem Dei facti sumus, et proinde Deus quando aliarum rerum dominium hominibus concessit, hoc dominium directum vitæ humanæ expresse sibi reservavit. Iterum dicit (*a*): "Videte quod ego sim solus et non sit alius Deus præter me; ego occidam et ego vivere faciam;" et Sapientia de eo declarat (*b*): "Tu es domine qui vitæ et mortis habes potestatem."

216. Hanc doctrinam sic a priore adstruit Card. de Lugo (*c*): "Hominem non esse dominum suæ vitæ probari potest, quia licet homo potuerit accipere dominium aliarum rerum, quæ sunt extra ipsum, vel quæ ab ipso distinguuntur; non tamen potuit accipere dominium sui ipsius, quia ut ex ipso conceptu, et definitione constat, dominus est aliquid relativum, sicut pater et magister; quare sicut nemo potest esse pater vel magister sui ipsius, ita nec potest esse sui ipsius dominus; nam dominus semper dicit superioritatem respectu illius cujus est dominus. Unde nec Deus ipse potest esse Dominus sui ipsius, quamvis possideat perfectissime se ipsum. Non potuit ergo homo fieri dominus sui ipsius:

(*a*) Deuter. 32. 39. (*b*) 16. 13.

(*c*) De Just. Disp. x. sect. 1. n. 9. et 10.; cf. etiam S. Thos. 22. q. 64. a. 5. in corp.; Molina de Just. tom. iv. tr. 3. disp. 9. n. 2.; Lessius, lib. 2. c. 9. dub. 6.; Salmant. de Just. cap. 2. punct. 5. n. 42.; Billuart de Just. dissert. 2 a. 2. Dico 2°.; Carriere, sect. 1. cap. 3. n. 30.

potest quidem esse dominus suarum operationum, et ideo potest vendere seipsum, et tunc dicitur improprie dare alteri dominium sui ipsius; sed revera non dat proprie dominium sui simpliciter, sed solum in ordine ad aliquas suas operationes : nam nec dominus potest disponere de servo quoad ejus vitam, et licet olim id de facto sibi usurpaverint, erat tamen solum quoad punitionem justam propter delicta, quando dignus esset servus pœnâ capitali : solum ergo potest homo disponere de suis operationibus, quarum dominus est, non de seipso, vel (quod idem est) de vita sua, cujus dominus non est nec esse potest."

217. Non ideo tamen putandum est hominem non posse, imo non teneri seipsum occidere, si Deus hoc præciperet, "quia posita dispensatione vel præcepto Dei, jam homo non se occideret propriâ auctoritate, sed ut minister, et instrumentum Dei, qui est proprie dominus illius vitæ. Sicut ergo possum projicere in mare vel comburere libros Petri, ipso Petro jubente, absque eo quod ego ullum jus acquiram in eos libros, imo et absque licentia mei Prælati, quamvis religiosus sim, quia tunc solum operor ut minister et instrumentum Petri, qui dominus est; ita potest homo absque ullo jure in suam vitam se occidere ex præcepto Dei, quia tunc non disponit ex jure suo, sed ut instrumentum Dei, qui habet jus perfectissimi dominii in eam vitam, eamque destruit opera ejusdem hominis.

"Unde constat differentia inter peccata homicidii et mutilationis, et alia peccata, v. g. furtum vel quid simile. Cætera enim omnia præter vitam et membra dedit Deus hominibus, ita ut essent eorum domini, et licet facta postea divisione inter homines, singuli peccent peccato injustitiæ usurpando quæ non sunt sua : hæc tamen injustitia est in ordine ad hominem, cujus sunt ea bona, qui habet dominium adversus alios, non vero in ordine ad Deum, qui jam ex parte sua abstulit impedimentum sui dominii : divisio enim facta inter homines non præjudicavit facultati concessæ a Deo, sed solum ligat in ordine ad alios homines, quorum consensus requiritur ad utendum rebus, quæ adjudicatæ sunt illis. At vero vitam et membra Deus non dedit dominio singulorum, neque etiam totius communitatis : ideo in his peccari poterit peccato injustitiæ in Deum, licet in aliis non peccetur tali genere peccati, sed contra alias virtutes, ex quarum motivo ejusmodi objecta prohibet Deus" (*a*).

Quod autem dictum est de vita dicendum est de ipsis membris corporis; homo enim ex his omnibus conficitur, et proinde quoniam non est perfectus dominus sui, ita non est dominus suorum mem-

(*a*) Lugo, de Just. disp. 10 sect. 1. n. 19.

brorum. Sicut ergo non potest de se ad libitum disponere, sic nec de suis membris, quæ suum esse componunt et integrant. Attamen quoniam est administrator et gubernator sui ipsius, ideo non solum est dominus *usus* suorum membrorum, sed quando abscissio alicujus membri necessaria est ad conservationem vitæ, potest etiam illud abscindere, cum partes ad totius bonum ordinari debeant. Imo quando medici abscissionem necessariam ad vitam conservandam declarant, tenetur hanc permittere quando sine magno dolore fieri potest, non autem aliter ; quia homo non tenetur media extraordinaria et difficillima, sed ordinaria, ad vitam conservandam adhibere.

§ III. *Utrum homo per peccatum, et signanter, vitam propriam aut alienam auferendo, effective reus sit injustitiæ erga Deum?*

218. Asserit Suarez (*a*) hominem per omne peccatum reum esse veræ et stricte dictæ justitiæ erga Deum violatæ. Vasquez (*b*) e contrario tenet nullam creaturam posse violare effective supremum Dei dominium, neque proinde posse strictam justitiam inter ipsam et Deum intercedere. Lugo primò (*c*) doctrinam Vasquez quoad substantiam amplexus est, sed postea videtur primam sententiam retractasse, quia dicit : "Quidquid autem de fama et honore sit, circa vitam et membra, quæ Deus non reliquit sub dominio nostro satis probabiliter dici potest, quod ita maneant sub dominio Dei, ut sine ejus injuria lædi non possint, quia nullus homo licentiam dare potest ad talem læsionem, neque ea bona relicta sunt nostræ liberæ potestati, sicut cætera bona inferiora" (*d*).

Si quæstio esset de justitia legali omnino dicendum foret hominem per omne peccatum hanc justitiam in Deum violare. Si vero loquimur de justitia commutativa quæstio est, saltem magna ex parte, de nomine. Suarez (*e*) enim expresse probat justitiam quæ inter nos et Deum intercedere potest non esse ejusdem rationis, ac justitia commutativa inter nos et proximum : quia justitia stricta inter nos et proximum omnimodam exigit æqualitatem ; inter nos vero et Deum infinitum talis æqualitas est impossibilis, quia creatura nunquam potest Deum ad æqualitatem, seu quantum meretur, colere et amare, nec pro peccatis quantum merentur

(*a*) In opusculo de Justitia Dei, sect. 2. n. 9. et de Incarnatione, disp. 4. sect. 5.
(*b*) De Incarnat. disp. 7. per totum, et in 1. Part. disp. 85. c. 4. n. 24.
(*c*) De Incarnat. disp. 3. sect. 3.
(*d*) De Justitia, disp. 10. sect. 1. n. 20.
(*e*) Locis citatis, et de Relig. tom. 1. lib. 3. c. 7. n. 12.

dolere. Deinde Lugo (*a*) quamquam propugnat hominem posse violare justitiam commutativam erga Deum, expresse tamen affirmat hominem nunquam teneri ad restitutionem erga Deum, sed tantum pœnitentiam agere. "Quare," ait, "sicut non tenebor ex justitia recompensare damnum quod Petro intuli aliqua injusta actione, si ipse Petrus curam habeat totius substantiæ, et pecuniarum mearum, et possit pro libitu meis sumptibus rem suam recuperare; sic etiam non teneor ex justitia ad resarciendum damnum gloriæ extrinsecæ Dei injusté illatum, quia ipse Deus habet in sua potestate melius, quam ego ipse, meam voluntatem, et potest facile ab ipsa, et ejus actibus elicere tantam, vel etiam majorem gloriam suam, et resarcire damnum præteritum." Jamvero justitia in qua non datur æqualitas et ex cujus violatione non oritur obligatio restitutionis, non est justitia stricte dicta seu commutativa; namque justitiæ obligatio juxta omnes in his duobus consistit, 1. in abstinendo a læsione juris alieni et 2. in reparatione juris læsi ad æqualitatem. Prætera si idcirco non tenemur restitutionem facere Deo propter injuriam ipsi illatam, quod ipse habeat in sua potestate nostras voluntates et actus, et suam gloriam læsam pro libitu reparare potest, sane eadem ratio probat nos jus ejus lædere non posse; sicut enim justitia inclinat ad reparandum jus alienum quando violatum est, sic etiam "inclinat ad servandum illæsum jus illud domini, quod a nobis lædi potest; alioquin si lædi non potest, dabitur effectus similis justitiæ, non tamen verus effectus justitiæ; ideo enim Angelus non habet virtutem castitatis, quia in ipso non potest esse motus, nec objectum intemperantiæ: jus autem Dei circa nostra opera tale est ut a nobis lædi non possit; nostra enim voluntas magis est in Dei potestate, quam in nostra; nec possumus impedire Deum, ne utatur nostris operibus pro suo libitu, potest enim quoties voluerit, movere nos efficaciter ad quemlibet actum, et si productus fuerit ipsum destruere, et iterum reproducere; ergo jus divinum non potest esse objectum nostræ justitiæ: semper enim manet Deo facultas simpliciter expedita ad nostra opera ponenda, vel auferenda" (*b*).

219. Itaque videtur hominem non posse reum esse injustitiæ erga Deum effective, sed affective tantum, quia impossibile est aliquid a dominio Dei supremo et omnipotenti eripere. Sic si quis vellet alterum occidere, aut ejus equum furari, sed opportu-

(*a*) De Incarnat. disp. 3. n. 59.

(*b*) Lugo, de Incarnat. disp. 3. sect. 4. n. 65. cui rationi frustra conatur ibidem respondere, quia est ipsum argumentum quo ipse probat creaturam nunquam posse obligari ad restitutionem erga Deum.

nitatem nunquam inveniret alterutrum efficiendi, reus esset injustitiæ affectivè, non vero effectivè. Hoc a fortiori de Deo dicendum est; quia nemo potest seipsum, aut quidquam aliud de Dei dominio auferre. Quicquid existit in rerum universitate essentialiter Deo subditum est, et si destruatur, v. g. vita hominis, non aufertur de Dei dominio, quia ab eo pro nutu restitui potest. Nam re vera non videtur stare posse cum notione supremi dominii quod Deus habet super nos et omnia quæ habere vel agere possumus, ut creatura possit ab ejus dominio supremo aliquid auferre. Et hoc omnino necessarium est ut justitia stricta erga Deum violetur. Etsi enim notio dominii stare potest cum voluntate domini permittentis ut, v. g. domesticus librum ex ipsius bibliotheca furetur ut crimen detegatur, attamen injustitia effective consummata non est priusquam liber ab ejus dominio physico aufertur. Quamvis enim domesticus librum animo ipsum postea facilius furandi ab uno loco bibliothecæ in alium transferat, attamen si dominus hoc cognoscit, et illum cum vult habere potest, existit quidem intentio furandi, sed furtum peractum non est. Jamvero creatura non magis potest quidquam ex Dei dominio physico auferre, quam solem in cœlo extinguere; semper æque manet in ejus dominio ac liber in bibliotheca domini sui.

220. Quando ergo Patres et theologi dicunt peccatum esse injuriam in Deum, injuriam non accipiunt stricte, quasi peccator ulla re Dei uti possit, Deo invito *quâ* domino, sed sensu latiore in quantum utitur re Dei, Deo invito qua superiore, et etiam in quibusdam præsertim peccatis ut homicidio, quia in quantum potest, et affective, injustitiam contra Deum committit. Attamen ipsum præceptum non occidendi per modum legis obligat; eodem enim modo præcipitur non occidere et nomen Dei non blasphemare, et Deus non magis præcipit ex virtute justitiæ in uno casu quam in alio. "Tertio objiciunt," ait Lugo (*a*), "quia in omni peccato, peccator utitur re aliena invito domino; utitur enim se ipso, et suis operationibus contra voluntatem domini, qui est Deus. Idem argumentum fieri potest de homicidio, v. g., homicida enim destruit rem alienam, nempe Dei, contra voluntatem ipsius Dei; ergo committit injuriam strictam contra jus Dei. Respondeo, peccatorem non uti re aliena invito domino formaliter, ut domino proprietatis, sed ut superiore. . . . Ad aliud vero, quod additur de homicidio, respondeo neque illud esse injuriam Dei, quia non ita tollitur homo a Dei potestate, ut non maneat moraliter in ejus bonis: cum facile possit Deus eum quoties

(*a*) De Incarnat. disp. 3. sect. 7. n. 113. et 114.

voluerit reproducere; quod in communi prudentum æstimatione, idem est, ac illum in bonis habere sicut antea. Unde infero, multo minus esse injuriam Dei comburere domum, vel occidere, aut furari equum alienum, quia licet illa actio sit injuria proximi, et sit etiam contra præceptum Dei, non est tamen contra jus Dei, ut domini; sed contra præceptum Dei, ut superioris prohibentis injuriam proximi; sicut furtum rei alterius concivis factum contra legem principis, non est injuria sed inobedientia respectu principis. Dices, domus illa, vel equus non solum est hominis, sed Dei, a quo illam habet homo; ergo sicut fur peccat in hominem contra justitiam, quia eo non cedente jure suo illam destruit, sic etiam contra Deum ob eandem rationem. Resp. negando consequentiam; quia in primis homo natura sua uti potest rebus omnibus sublunaribus, nisi impediatur jure aliquo peculiari alterius hominis, et licet Deus ut gubernator universi velit tueri peculiare jus unius hominis adversus alium; id tamen præstat per solam jurisdictionem, ut dictum est, et ideo fur non facit contra jus Dei, sed contra jus solius hominis. Sicut Principe projiciente pecunias in populum, si aliquis per vim auferat "pecuniam ab eo, qui prius acceperat, non infert injuriam Principi, sed ei soli, cui aufertur; licet peccet etiam peccato inobedientiæ contra principem, qui prohibet generaliter omnes injurias inter cives. Sic nec Deo fit injuria contra justitiam furando homini, quia Deus producendo aliquid in hoc mundo habet se sicut projiciens pecuniam in populum. Deinde domus, vel equus ita auferentur, ut maneant adhuc in Dei potestate; quare illa ablatio non potest esse Deo injuriosa, sed soli homini."

Itaque quamquam neque ipse homo habet dominium plenum et directum vitæ et membrorum, neque societas, et de his, utpote rebus non suis, sed Dei solius, ad libitum disponere nequeunt, et quamquam homo seipsum occidendo, et societas vitam innocentis auferendo, injustitiæ erga Deum affective rei sunt, quia rem alienam, in quantum possunt, absque consensu domni usurpant; attamen dominium hujus vitæ a Deo non auferunt, quia hoc vires creaturæ omnino excedit.

§ 4. *Utrum homo dominium habeat utile propriæ vitæ et membrorum? Quatenus homini liceat seipsum indirecte occidere?*

221. Homo habet dominium utile vitæ et membrorum; potest enim illis uti in proprium commodum, quia hoc jus ipsi a Deo concessum est. Potest enim vitam suam maximo periculo expo-

nere propter sufficientem causam. Sic nautæ, mercatores, &c., se licite exponunt periculo longæ navigationis; milites vitam licite exponunt in defensione patriæ; sacerdotes et medici peste infectos visitant, cum imminenti periculo vitam amittendi; et hoc non solum nullo modo justitiam erga Deum violat, sed quando hæc officia ex contractu debentur, ex virtute justitiæ erga proximum præcipiuntur. Hoc autem dominium a fortiore homini competit circa propria ejus membra. Potest enim prout supra vidimus membrum abscindere ad vitam servandam. Imo potest quis in carcere a tyranno injuste detentus, ut se ex ejus potestate eripiat, manum quæ catena ligatur abscindere, et etiam hoc facere jussu tyranni si aliter mortem evitare nequeat. Sed mortem sibi directe inferre non licet nisi jussu solius Dei, qui solus ejus plenum dominium possidet. Judex vero, aut Princeps aut aliquis alius mortem juste præcipere non potest nisi in pœnam criminis. Talis punitio est semper actus justitiæ vindicativæ, quam non potest reus exercere erga seipsum, quoniam justitia essentialiter est ad alium. Unde communiter docent auctores reum non posse accipere venenum, etiam ex præcepto judicis, ad se occidendum; quia nihil interest, utrum gladio an veneno seipsum occidat (*a*). Neque ad effugiendam ignominiam, vel oppressionem violentam licet se occidere: hæc enim minora mala sunt quam mors, neque ii, qui propter hæc mala seipsos occidunt, ut fortes, vel magnanimi laudandi sunt, sed vituperandi ut timidi atque ignavi quia ejusmodi molestias ferre non possint (*b*). Mutilatio etiam sui ipsius per castrationem, ut facilius tentationes vincantur, et ad utilitatem spiritualem promovendam, illicita decretis Ecclesiæ declaratur; ex quo colligitur a fortiore hanc permitti non posse ad vocis suavitatem conservandam (*c*).

222. E contrario non peccant ii, qui desiderio majoris perfectionis et securitatis religionem ingrediuntur, licet sciant valetudinem non ita firmam ipsis in religione futuram, "sed periculum fore brevioris vitæ occasione vitæ religiosæ, in quo aliqui magis medice, quam theologicè, vel christianè loquentes scrupulum immerito injiciunt personis delicatis, quæ religiosam vitam volunt amplecti, ii tamen et intra terminos medicinæ frequenter decipiuntur, et juxta regulas theologiæ frequentius errant. Nam loquendo etiam intra medicinæ terminos, verissima est doctrina illa,

(*a*) Lessius, de Just., sect. 2. cap. 9. dub. 6. n. 26. Lugo, de Justitia, disp. 10. sect. 1. n. 25.

(*b*) Ita ex Aristotele et Augustino Molina de Justitia, t. 4. disp. 9. n. 3.

(*c*) Lugo, loc. cit. n. 13.

quam a sanctis patribus acceptam viri doctissimi late comprobarunt, vitam religiosam, omnibus pensatis, magis prodesse, quam obesse, ad protrahendam longius vitam, propter regularem vivendi modum, propter continentiam, quietem cum moderata exercitatione, et quod multum refert, propter pauciores animi perturbationes, quæ quamplures in sæculo brevissimè conficiunt: quare experientia compertum est, plures senes intra, quam extra claustra religiosa inveniri"(*a*). Neque illicitum est ei qui crimen capitale commisit, hoc manifestare magistratibus ut debita pœna plectatur, quia ipse non est causa suæ mortis, sed justo societatis judicio se submittit. Imo videtur eum petere posse ut morte puniatur; hoc enim non est se occidere, sed petere a judice ut actum honestum et laudabilem justitiæ faciat (*b*). Potest etiam ex justa causa innocens se offerre et manifestare tyranno qui eum injuste occisurus est. Debet tamen habere justam causarus dandi tyranno occasionem innocentis occidendi. Causa autem justa esse potest, ut liberet alios innocentes, qui ipso non apparente occiderentur. Sed licitum non esset innocenti consulere tyranno aut ab eo petere ut ipsum occideret, quia nunquam licet ab alio petere, quod ipse sine peccato facere non possit: "nisi forte quando decrevisset aliud gravius malum, ad quod impediendum posses ei consulere, ut te occideret, quia hoc consilium est implicite conditionatum ut si unum ex duobus peccatis perpetraret, faciat potius hoc minus grave te occidendo, quam illud aliud gravius"(*c*).

223. Hinc exemplo martyrum potest aliquis se tyranno manifestare, et fidem suam profiteri coram illo, a quo occidetur, quando ea de causa non secutura sint majora incommoda, v. g. persecutio nova aut crudelior contra Christianam religionem. Hoc enim ex ipso Christo didicerunt martyres, qui etsi aliquando fugerit, et se absconderit, ut suo exemplo doceret licitam etiam esse fugam, tempore tamen opportuno non fugit, sed sese sponte quærentibus obtulit. Quamvis enim non licet occasionem alteri dare ex intentione ut male agat, licebit tamen ex causa justa occasionem illam ponere, licet scias alterum ea abusurum ad inique agendum. Itaque martyres non intendebant directe ut tyrannus ipsos occideret, neque ad hoc eum provocabant, sed utebantur jure suo confitendi et prædicandi fidem, vel non se abscondendi, quando id necessarium, vel saltem expediens erat ad Dei gloriam promovendam. Hoc tamen illicitum foret si in magnum religi-

(*a*) Lugo, de Justit. disp. 10. sect. 1. n. 33.
(*b*) Id. ibid. n. 38.
(*c*) Id. ibid. n. 39.

onis detrimentum cederet, ut si presbyter qui necessarius esset ad fidem populi servandam, aut ad sacramenta administranda, sese proderet, quum convenienter latere posset, vel si inopportune se offerendo, et fidem confitendo, tyrannum irritaret et ad persecutionem incitaret (*a*).

224. In extrema necessitate quispiam cedere potest panem quem habet ne proximus in eadem necessitate constitutus moriatur, licet sciat se ex hac causa fame moriturum; et in naufragio dare potest alteri tabulam duobus non sufficientem, licet sciat fore ut ipse submergatur; hoc enim non est seipsum occidere, sed periculo certæ mortis relinquere, quam non tenetur impedire cum jactura tanti boni, et per medium adeo difficile, quale est relinquere proximum certæ morti et ei non subvenire. Non tamen tenetur, qui prior ea habet, panem aut tabulam cedere alteri in illa necessitate, neque potest alter hæc possessori nolenti auferre ad propriam vitam servandam. Item potest quis se telo objicere ne principem aut amicum feriat: quia tunc non se occidit, neque tenetur propriam vitam pretio vitæ principis aut amici conservare. Innocens tamen non potest se offerre judici loco amici juste ad mortem damnati, quia judex non potest sine injustitia innocentem punire; si vero amicus quoque innocens esset, potest alter innocens se offerre judici ejus loco occidendum, quia judex non magis peccat unum quam alterum morte multando. Item potest aliquis reus criminis capitalis se offerre judici loco amici juste ad mortem damnati. Non tamen homini liceret *propter mandatum* tyranni se præcipitare ex turri altissima, quamvis minaretur eum lente comburere nisi obediret, quia hoc esset seipsum directe occidere; sed si jam eum comburere incipiat potest se præcipitare ut manus tyranni et incendium effugiat, quia tunc hoc non eligitur ut modus seipsum interficiendi sed a majore malo evadendi. Similiter videtur hominem posse se ex loco alto cum certo periculo mortis præcipitare, ut incendium in quo certo periret effugiat; quia non intendit se occidere sed dira tormenta evadere (*b*). Eodem modo licitum esse videtur ob bonum publicum gravissimum, militi ignem in receptaculum pulveris pyrii injicere ad evertendam turrim hostium, ex quo propria ejus mors certo secutura sit. Item quando magnopere ad bonum reipublicæ conduceret, non autem ad seipsos a captivitate aut ab alio malo servandos, licitum foret nautis ignem pulveri injicere, ne navis cum magno reipublicæ damno in manus hostium incideret. Sed hoc non liceret nisi quando occupatio hujus navis multum hostibus prodesset; vel

(*a*) Lugo, de Justit. disp. 10. sect. 1. n. 46. (*b*) Lessius, loc. cit. n. 35.

nisi ea vi pulveris nitrati eversa hostes ab ingressu aliarum navium deterrerentur. Quamquam enim nunquam licet vitam propriam directe auferre, quoniam ejus domini non sumus, potest aliquid fieri directe tendens ad occidendos et debilitandos hostes, licet indirecte et præter intentionem ex eadem causa propria mors certo sequatur. Hoc modo Samson (*a*), indirecte se interemit, evertendo domum in qua erat, quia aliter stragem illam ingentem hostibus populi Israelitici inferre non potuit. "Ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim." Similiter Eleazar (*b*) dedit se ut liberaret populum suum, et ivit sub pedes elephantis super quem visum est ei regem sedere, et supposuit se ei et occidit eum: et cecidit in terram super illum et mortuus est illic. Directe voluit regem occidere, indirecte vero permisit propriam mortem quam certo eventuram prævidit.

§ V. *Respublica non habet dominium directum in vitam et membra civium. Habet vero dominium aliquod indirectum ob bonum commune.*

224. Quoniam solus Deus est dominus vitæ et membrorum hominum, tale dominium ad rempublicam pertinere nequit. Itaque nunquam potest respublica innocentem directe occidere aut mutilare, ne ut universa quidem ipsa conservetur. Est enim universale præceptum: Insontem et justum non occides: quia aversor impium (*c*). Non ergo liceret hominem qui solus peste gravissima infectus esset occidere, quamvis per ejus occisionem clades luctuosa evitaretur. Item certum est non posse rempublicam innocentem occidere ut obediatur tyranni mandato, quamvis ex hoc totius reipublicæ salus pendeat. Sed si respublica non possit, aut nonnisi cum gravi damno et periculo, seipsam contra tyrannum defendere, potest imperare huic civi ut se tyranno propter bonum commune tradat, et si renuat eum nunc sontem propter inobedientiam tyranno tradere potest, vel saltem ei præcipere ut sponte e republica exeat et renuentem expellere, quoniam non tenetur eum cum tanto damno defendere (*d*). Respublica enim non vult mortem innocentis sed sui conservationem, et proinde tota malitia se habet ex parte tyranni exigentis innocentem ut eum occidat.

225. Si vero tyrannus non mortem sed mutilationem, v. g. abscissionem manus innocentis exigeret, vel ille innocens majus

(*a*) Judic. xvi. (*b*) 1 Machab. vi. (*c*) Exod. xxiii. 7.
(*d*) Lugo, disp. x. sect. 4. n. 113.; Molina, tom. 4. disp. 10. n. 4., &c.

malum, nempe mortem cum aliis civibus subiret nisi mandato obediret : vel non. In primo casu sicut ipse membrum amputare potest ad vitam conservandam, poterit eum ad hoc respublica obligare, et si adhuc resistat, poterit ipsa manum abscindere, quia hoc non solum in bonum publicum sed et in bonum proprium istius civis ordinatur ; neque hoc excedit dominium reipublicæ ut alicui ex suis civibus præcipiat et seipsum et totam communitatem per amputationem membri conservare. In secundo casu non potest ille innocens membrum suum amputare, neque respublica ei ut hoc faciat directe præcipere ; quia neque ipse innocens neque respublica dominium directum ejus membrorum habet. Potest vero respublica eum tradere tyranno non ut mutiletur, sed ut ipsa respublica incolumis servetur.

Quando vero respublica potest civem innocentem defendere, tenetur hoc facere quamvis in illo defendendo multi ex utraque parte perituri sint, quia hæc est obligatio totius ad singulas partes ; et defensio singulorum civium, quamvis ad hoc necessarium sit ceteros cives in discrimen adducere, bonum commune promovet, quia aliter nulla esset in illa republica securitas. Hinc gubernator civitatis, et ejus ministri, etiam cum periculo vitæ, ex stricta justitia cives a violentia et insidiis grassatorum liberare tenentur : ad hoc enim stipendia accipiunt, ut cives etiam cum propriæ vitæ periculo defendant (*a*).

226. Supra de justitia vindicativa agentes vidimus rempublicam non solum posse sed etiam obligari malefactores punire. Pœna vero illa crimini adæquari debet ; et Deus ipse statim post diluvium declaravit homicidam necandum esse. "Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum : de manu hominis, de manu viri et fratris ejus, requiram animam hominis. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo" (*b*). Ipsa ratio ostendit jus et obligationem nefarios malefactores morte multandi ad societatem pertinere ; quia consensus fere unanimus omnium gentium ostendit, sceleratos aliter a flagitiis maximis, et præsertim ab occisione eorum quos odio prosequuntur, deterreri non posse. Hæc autem potestas malefactores puniendi nullatenus privatis competit, sed ad solam rempublicam aut principem pertinet. Neque etiam a privatis derivatur hæc potestas, namque dare non possunt id quod non habent. Quamvis enim homines extra societatem viventes possent cum debito moderamine res eorum, sive compensationem ex

(*a*) Molina, tom. 3. disp. 10. n. 6. (*b*) Gen. ix. 5, 6.

justitia debitam exigere, et eodem modo damnum imminens avertere; non posset tamen unus homo alium in meram pœnam delicti, v. g. propter homicidium filii sui occidere. Hoc enim non licet nisi ob bonum publicum, et ad deterrendos malefactores ab hujusmodi criminibus perpetrandis. Hinc nullus privatus jus haberet, etiam extra societatem, alios propter flagitia publica et atrocissima, sibi non injuriosa, puniendi. Itaque auctoritas quam habet respublica ad puniendos malefactores, a subditis non confertur; ipsi enim cum privati sint, non habent hanc potestatem, sed hominibus libere convenientibus in societatem et in corpus politicum, Deus ut auctor naturæ, et proinde ipsum jus naturale, communitati hanc concedit auctoritatem, quæ necessaria omnino est ad hominum bonam gubernationem, in eo statu vitæ politicæ, qui naturæ rationali maxime convenit.

227. Regula certa et universalis est, quod extra casum defensionis, privatus homo alterum nunquam occidere potest; et hoc verum est quamvis (quod tamen falsum est) talis potestas singulis personis sive familiis extra communitatem viventibus concederetur. Etenim eo ipso quod conveniunt ad communitatem efficiendam, hanc potestatem retinere non possunt: quia communitas illa, quæ est persona politica, jus habet ea omnia præcipiendi et prohibendi quæ necessaria sunt ad suum pacem procurandam. Hoc vero potissimum statuendum est quod neque cives privati neque familiæ potestatem habent non modo occidendi propria auctoritate, sed ne percutiendi quidem proximum. Hoc enim semel admisso omnia passim perturbarentur. Imo theologi communiter docent ipsam rempublicam facultatem generalem sceleratos ante sententiam occidendi cuilibet privato concedere non posse(*a*). In aliquo tamen casu particulari, quando magnum et imminens damnum contra rempublicam moliretur aliquis sceleratus, neque potest aliter capi, talis potestas eum occidendi omnibus privatis concedi potest. Item militibus et aliis missis ad eos qui a lege proscripti sunt capiendos, potestas concedi potest illos occidendi si recusent se auctoritati reipublicæ tradere. Sed etiam si quis morte damnatus e carcere eva-

(*a*) Atrox hujusmodi lex vi cujus cuilibet privato non solum concessum erat sacerdotes Catholicos trucidare; sed præmium propositum erat, ad iniquos excitandos ad hoc flagitium perpetrandum, in Hibernia diu viguit. Even yet an outlawry for treason or felony is equal to a conviction; and such person was said to have a caput lupinum, so that he might be knocked on the head by every one who met him. But now no man may kill an outlaw but only in an endeavour to arrest him, for any one may arrest him. Stephen, lib. vi. c. 19., tom. 4., p. 468.

serit ordinarie concedi non potest omnibus privatis potestas eum interimendi, quia etiam hoc ad maximam perturbationem duceret. Potest tamen talis potestas concedi contra nocentissimum grassatorem reipublicæque infensissimum, qui aliter comprehendi non possit. Neque illicitum esset hunc occidere quamvis sit in peccato lethali. Hoc enim soli malefactori imputandum est qui desistere a maleficiis et ad pœnitentiam converti recusat. Sic etiam unusquisque potest injustum aggressorem qui sine dubio in peccato lethali est occidere, quando hoc necessarium est ad propriam innocentis vitam servandam, nam totum malum tam temporale quam spirituale quod aggressor patitur ex ipsius malitia provenit. Quando vero malefactor a tribunalibus modo ordinario ad mortem damnatur, debet Christianus judex curare quantum potest, ut consulatur saluti ejus spirituali, et ad hunc finem, moderatum intervallum ante sumptum supplicium ei concedere. Sed si peccatorum suorum eum non pœniteat non ideo ab extremo supplicio abstinendum est, quia ejus impœnitentia sibi soli imputanda est; et pœna non infligitur propter bonum sontis sed reipublicæ, quæ maximum nocumentum pateretur si scelerati prætextu impœnitentiæ pœnam debitam evadere possent.

228. Non solum suos subditos sed et alienos in suo territorio delinquentes potest unaquæque respublica punire; et etiam morte illos afficere, quando crimina tanta pœna digna commiserint. Evidens enim est quod nulla respublica tranquillitatem suam servare posset, si exteri in ea degentes, ejus leges et pacem impune violare possent. Quinimo si cives unius reipublicæ injuriam in aliam rempublicam aut in ejus subditos inferant, ea cujus cives damna passi sunt restitutionem ab altera exigere potest, et si denegetur, bellum juste contra illam denunciare.

§ VI. *Utrum homo habeat dominium plenum propriæ famæ et honoris?*

229. Supra rationem dedimus quare fama et honor inter bona interna recenseantur. Fama enim bona in nostris bonis qualitatibus et honor in aliqua excellentia nostra fundatur; proindeque *radicaliter* sunt in nobis ipsis, *formaliter* vero in aliis, qui bene de nobis opinantur et loquuntur nosque honorant. Ideo hæc quasi medium tenent inter bona interna et externa (*a*). Quæstio itaque esset de nomine disputare utrum inter bona interna an externa collocanda sint. Quoad rem ipsam vero, homo perfectum habet dominium supra suam famam et honorem, eodem modo ac supra

(*a*) Cf. Lugo de Just. disp. xiv. in procem.

bona fortunæ. "Infamare seipsum," ait Lugo (*a*), "per se loquendo, nisi adsit alia peculiaris circumstantia, non est peccatum contra justitiam. Hæc est communis, et probatur, quia homo est dominus suæ famæ, sicut est dominus suæ pecuniæ: ergo sicut prodigere, et projicere suas facultates non est contra justitiam; sic neque erit contra justitiam projicere suam famam, sive id fiat publicando vera, sive falsa crimina de se." Quatenus autem teneri possit aliquis erga alios ex justitia suam famam conservare vel injuste ablatam repetere, et quatenus ipsi injusti infamatores aliorum famam restituere teneantur, de restitutione agentes dicemus.

Interim sufficit dicere hominem sicut teneri potest ex justitia pecuniam suam non projicere in mare, quando ea indiget ad debita justa solvenda; sic teneri posse ex quasi contractu, et proinde ex justitia famam suam conservare. Sic fama episcopi necessaria est, ut officia quæ proximo stricto jure debentur implere possit. Sed non tenetur ex justitia erga alios famam servare nisi quamdiu officium retinet, quia si officio renunciat, non amplius existit quasi contractus vi cujus ex justitia famam conservare tenebatur.

230. Hæc obligatio intelligenda est, quando infamia in damnum subditorum redundat. Si enim aliquis novis virtutibus defectum famæ compensare possit, ita ut infamia ipsum ineptum ad suum munus obeundum non reddat, ad humilitatem obtinendam, ad fugiendam vanam gloriam, præsumptionem, superbiam, potest non solum juste sed etiam licite et laudabiliter se privare fama, et proprios defectus et crimina manifestare, ut ab Augustino, Anselmo, aliisque sanctis viris factum est. Qui autem se infamat sine causa rationabili per se loquendo reus non est injustitiæ neque quoad seipsum quod repugnat, neque quoad proximos, neque quoad societatem, neque quoad Deum, sed reus erit peccati saltem venialis contra aliam virtutem. Quia sibi imputare crimen falsum erit mendacium, sed secluso gravi scandalo, aut alia ratione extranea, hoc peccatum per se erit veniale, quoniam tale mendacium non est injuriosum neque perniciosum. Si autem crimen sit verum, erit quædam prodigalitas, sicut est prodigalitas saltem venialiter culpabilis, pecuniam absque ulla rationabili causa expendere. Præter casum vero injustitiæ erga alios potest aliquando graviter peccare seipsum infamando. Peccaret enim graviter contra caritatem si prodendo suum crimen alios graviter scandalizaret, illisque occasionem peccandi præ-

(*a*) Lugo, ibid. sect. 10. n. 153.

beret. Item graviter violaret caritatem erga seipsum si absque justa causa delicta sua manifestando periculo mortis, aut mutilationis se exponeret. Item gravis peccati se reum constitueret, jactando vel complacendo de gravibus peccatis, ut si occidisset suum inimicum in duello, vel falsum crimen sibi cum juramento imputando, in quo casu graviter contra religionem peccaret. Per se autem patet, neminem, seclusa aliqua speciali obligatione, ex justitia erga proximum teneri sua propria crimina non patefacere, neque jus habet Petrus ut Paulus sua crimina ne prodat (*a*).

231. Neque etiam qui se infamat reus est injustitiæ erga rempublicam; aliter enim qui Petrum infamavit, condonante ipso Petro injuriam, non liberaretur ab onere restituendi, sed debet reipublicæ satisfacere, quod nemo concedet. "Ratio est," ait Lugo (*b*), "quia sicut homo potest suas facultates, licet sit pars reipublicæ in mare projicere, absque ulla reipublicæ utilitate, et hoc absque injuria in rempublicam, vel obligatione ei restituendi: sic potest propriam famam projicere, absque reipublicæ injuria, cum non minus, sed magis sit dominus suæ famæ, quam suæ pecuniæ: nam circa pecuniam habet saltem respublica dominium altum per quod potest in certis casibus pecunia illa uti ad communes necessitates; quamvis ergo subditus sit pars reipublicæ, cui commodum est habere cives, vel subditos bonæ, et integræ famæ, ad hoc tamen bonum communitatis procurandum nullo justitiæ titulo cives se obligarunt." Utrum vero quando alicujus infamia in aliorum infamiam redundaret propter connexionem quam habet cum illis, ipse non solum ex caritate quod manifestum est, sed insuper ex justitia erga illos, famam servare teneatur, ad tractatum de restitutione pertinet.

232. Neque quis etiam affective justitiam erga Deum lædit seipsum aut alios infamando. "Major difficultas," ait Lugo (*c*), "esse posset de injuriis circa famam, et honorem proximi, an eodem modo contineant etiam injustitiam propriam contra Deum. Nam licet Deus singulis dederit dominium circa famam, et honorem proprium; non tamen dedit singulis dominium circa famam, et honorem aliorum omnium; neque hoc oritur ex divisione dominii facta ab hominibus, sed ex ipsa rei natura, quia fama propria est in dominio uniuscujusque: quare cum Deus etiam sit dominus tuæ famæ, et nunquam dederit aliis hominibus jus ex parte sua ad disponendum de illa, sicut dedit jus ex parte sua ad utendum rebus aliis; consequens videtur, quod si famam tuam

(*a*) Cf. Lugo de Just. disp. 14. sect. 10. n. 154. seq. (*b*) Ibid. n. 153.
(*c*) De Just. disp. 10. sect. 1. n. 20.

lædant, peccent injustitia, non solum contra te, sed etiam contra Deum, sine cujus consensu, rem illam destruunt, quæ est sub dominio ipsius Dei. Cæterum facile dici potest, in ejusmodi peccatis contra famam, et honorem proximi, non magis intercedere injuriam in Deum, quam in furtis circa bona fortunæ : quia eo ipso quod Deus singulis hominibus dedit dominium suæ famæ, et honoris, videtur ex parte sua cessisse, et concessisse usum circa famam, et honorem, sicut si non essent sub dominio Dei. Nam sicut eo ipso, quod res aliæ inferiores, quia ex natura sua ordinantur ad usum hominum, censentur relictæ a Deo in eorum dominio; sicut si ipse non esset dominus, ita ut absque alia licentia Dei, possunt de illis disponere, et solum peccent contra justitiam in ordine ad alios homines, qui peculiare jus in eas habent; sic quia fama, et honor ex se ordinantur ad utilitatem, et usum hominum, et possunt esse materia contractum, et commercii humani, censeri potest Deus hæc etiam reliquisse in hominum dominio, et dispositivè absque necessitate alterius licentiæ Dei, quia hæc humano modo haberi non poterat, atque adeo sic se habent homines circa hæc bona, sicut si non essent sub Dei dominio, sed solum sub dominio ejus ad quem peculiariter pertinent, contra quem solum peccant peccato injustitiæ, si ea injuste lædunt, quia ejus solius licentia necessaria erat, et sufficiebat ad hæc bona auferenda."

233. Hinc homo juste et etiam licite de sua fama sicut de sua pecunia libere disponere potest: proprio labore acquiritur, et si ab aliis lædatur potest eum in judicio tanquam rem suam repetere, aut ejus restitutionem condonare. Potest eam per se loquendo absque injustitia dissipare, et hoc etiam licitum erit, ut vidimus, ex justa causa. Nihil revera magis proprium est quam fama, quæ non solum in se est pretiosa, sed etiam respectu commercii humani et bonorum fortunæ maximi est momenti. Qui enim famam ob artem aliquam, scientiam, negotiationem, vel propter excellentiam librorum a se scriptorum, acquisivit, magnum lucrum inde plerumque percipiet. Ipsum nomen sic acquisitum non raro magno pretio emitur; ejusque usurpatio ab aliis sine injustitia fieri nequit, et ab ipso jure municipali graviter prohibetur. Quoniam itaque domini sumus nostræ famæ, ejus læsionem libere condonare possumus; non ita vero est de vita et membris. Sicut enim eorum dominium plenum non habemus, eorum læsionem condonare non possemus, si læsor ea restituere posset. Hoc enim soli Deo competit. Damna vero temporalia quæ ex hujusmodi injuriis sequuntur, condonare possumus, ut suo loco explicabitur.

DISPUTATIO DUODECIMA.

DE BONIS EXTERNIS QUÆ POSSINT ESSE OBJECTUM DOMINII HUMANI. ETIAM AN HOMO DOMINIUM HABERE POSSIT IN ALIUM HOMINEM, UBI DE SERVITUTE AGITUR.

§ I. *Quæ bona externa cadere possint sub dominio hominis ?*

234. Ex dictis satis constat Deum quamvis nequaquam supremo dominio ullius rei cedere possit, dominium plenum etsi subordinatum bonorum externorum hominibus largitum esse, ita ut ii qui hæc injuste usurpent, divinum mandatum violent, non vero justitiam commutativam nisi contra proximum cujus bona injuste surripiant. "Solet autem," ait Lugo (*a*), "ab aliquibus disputari, an homo non solum habeat dominium rerum sublunarium, et inferiorum, sed etiam ipsorum corporum cœlestium . . . Hæc est quæstio de vocibus; nam de re omnes fatentur hominem non posse destruere, vel acquirere cœlum, solem, lunam, &c., posse tamen iis uti, et condita hæc esse in hominis utilitatem. Controversia est quid significatur per vocabulum *dominii?* Et quidem si stricte accipiatur, non est dominus horum corporum cœlestium; minus enim juris, vel potestatis in illa habet, quam in membra sua, et tamen eorum non dicitur dominus, sed usuarius. Quia tamen usuarius jus aliquod habet, licet minus perfectum ad rem qua utitur, quod potest dici dominium aliquod imperfectum; posset extenso dominii vocabulo, ad cœlos etiam applicari, quibus homo etiam utendi facultatem habet, ad suam utilitatem et commodum."

235. Juxta Puffendorf (*b*), Heineccium (*c*), Schwarz (*d*), et alios, tres requiruntur conditiones ex parte cujuscumque rei, ut objectum dominii humani stricte dicti fieri possit: scilicet 1. ut subjici possit potestati hominis; 2. ut non sit usus inexhausti, i. e. ut omnibus simul inservire nequeat quin unius usus alterius

(*a*) De Just. Disp. 6. s. 1. n. 7. et 8.
(*b*) De Jure Naturæ et Gentium, lib. 4. c. 5.
(*c*) Prælectiones in Puffendorff, lib. 1. c. 12.
(*d*) Institutiones Juris, pars 2. tit. 2. § 2. Cf. Op. Carriere de Just. n. 35.

usum impediat; 3. ut alicui usui humano inservire possit. Defectu primæ conditionis homo dominium habere nequit ipsius substantiæ solis, lunæ, aliorumque corporum cœlestium; et ideo theologi communiter docent solas res sublunares objectum dominii humani efformare dicente Psalmista: *cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*"(*a*). Attamen jus strictum habemus ad usum rerum cœlestium, et qui nos eorum usu privaret, v. g. luminis solis, nostræ domus fenestras inædificando, reus esset injustitiæ. Deficiente tamen prima conditione ipsius rei substantia dominio humano subjici nequit.

236. Quoad alias vero res mundanas quæ non sunt usus inexhausti, ut prædia, domus, vestimenta, fodinæ, frumentum, pecora, et alia innumera quæ usibus humanis inserviunt, jam probavimus eas non solum posse sub dominio sive communitatum sive hominum individuatim sumptorum constitui; sed insuper in statu naturæ lapsæ ita constitui debere, quando quæstio est non de quibusdam familiis religiosorum sed de tota multitudine generis humani. Hæc itaque omnia sunt objecta dominii humani.

237. Tertia conditio est ut res alicui usui humano inservire possit. Ideo enim divisio rerum facta est, quia ita humanæ utilitati melius deserviunt. Itaque quæ nullo modo usibus humanis inservire ossunt, inter objecta dominii enumerari non debent. In hac tamen materia disputant auctores. Juxta Heineccium (*b*) muscæ, mures, aranеæ, non sunt objectum dominii, quia nulli usui inservire possunt. E contra Barbeyrac (*c*) asserit nullam fere rem existere, quæ non possit alicui usui deservire, præsertim si ex ejus possessione aliqua voluptas derivari possit. Nobis videtur dicendum quamvis potestas *utendi* re in proprium commodum, sensu supra in dominii definitione exposito, sit de essentia dominii, attamen nullatenus requiri ut objectum dominii sit utile in communi hominum æstimatione. Cur non posset quis habere dominium soricis mansuefacti, quamvis eum plurimi homines non solum putent inutilem, sed etiam abhorreant? Sane omnes uterentur verbis *meum* et *tuum* circa hunc soricem eodem modo ac circa objecta ad commercium maxime utilia. Itaque nulla fere res ex objectis dominii humani excludi potest eo quod nullius sit utilitatis.

238. Juxta legem nostram communem municipalem, ex animalibus feræ naturæ, in quibus, ut videbimus, homo qualificatum

(*a*) Psalm 113. 16. (*b*) Ap. Carriere, loc. cit. n. 35. 2.
(*c*) Ap. eund. ibid.

dominium habere potest, quædam sunt quæ aut ad vescendum, aut alii usui humano inservire possunt, alia quæ nisi ob voluptatem, curiositatem, aut levitatem non servantur; ut canes, ursus, feles, simiæ, psittaci, viverræ, et volucres canoræ. Quoad priora, si sint mansuefacta, ut apes, columbæ, &c., et hoc furi cognitum sit; aut si sint ita inclusa, ut cervi in vivario, ut ea dominus capere possit quandocumque velit, qui hæc furatur feloniæ reus est. Qui vero aliquod ex posterioribus furatur ne furti minoris quidem [*larceny*] reus est; quia in æstimatione legis communis nullum habent valorem nisi quem ex levitate domini accipiunt (*a*). Recentissime vero lata est lex ad puniendum furtum horum animalium, quorum furtum ex jure commune non est felonia; nam secundum 24 & 25 Vict. c. 96, sect. 21, Quicumque furabitur, aut scienter occidet animo furandi ullam volucrem, bestiam, aut aliud animal, quod in loco ex quo evadere nequit continetur, quod furari ex jure communi non est felonia, convictus coram magistratu aut in carcerem haud amplius sex menses conjici potest, vel adjuncta pœna laborum gravium vel non: aut si magistratui visum fuerit damnare reum licebit ad multam aliquam, quæ tamen præter valorem animalis viginti libras anglicanas nunquam excedere debeat. Si autem ejusdem criminis iterum convictus fuerit, in carcerem aliquod tempus anno non amplius adjuncta gravium laborum pœna conjici poterit. Propter furtum vero canis, fur coram duobus magistratibus convictus, aut ipsius furti, aut possidendi canem quem scit surreptum esse, post primam convictionem pœnis supradictis obnoxius erit; post secundam vero delicti quod *misdemeanour* dicitur reus erit, propter quod in carcere octodecim menses pœna laborum adjuncta includi poterit. Quamquam autem lex municipalis communis furtum quorundam animalium non puniebat, sine dubio fures injustitiæ rei erant, et non solum res ipsas ablatas, aut earum valorem dominis restituere tenebantur, sed et omne damnum resarcire quod ex hoc furto eventurum prævidere potuerunt et debuerunt. Itaque sufficiunt duæ primæ conditiones, ut aliquid inter objecta externa quæ dominio humano subjici possint recenseatur.

(*a*) Inter antiquos, vero, Britannos felis ut animal utile respiciebatur, et ejus occisor multæ subjiciebatur, præsertim si pertinebat ad regem; tunc enim custos horrei regii dicebatur. Multa ob occisionem hujus felis hæc erat; Felis summa cauda suspendatur, capite aream attingente, et in eam grana tritici effundantur, usque dum summitas caudæ tritico cooperiatur. Similis multa propter furtum cygni, qui a rostro suspensus erat, imponebatur. Furtum accipitris mansuefacti felonia erat. Cf. Stephen, Comm. on Laws of England, lib. 2. pars 2. tom. 2., p. 7. n. S. et T.

239. Ex his solvi potest quæstio utrum mare sit objectum dominii humani? Oceanus et maria magna non sunt dominii capacia, namque usui humano inserviunt maxime ad navigandum et piscandum. Jamvero ad hæc sunt usus inexhausti, et insuper humanæ potestati subjici nequeunt, eo in modo qui necessarius est ut inter objecta dominii humani recenseantur. Hoc ex supradictis de appropriatione alicujus territorii statim patebit. Nulla enim respublica permanenter occupare potest oceanum neque ullam partem a terra longe dissitam; et multo minus possunt singuli cives certas et definitas oceani magni partes occupare ubi ipsis solis ceteris exclusis licitum erit navigare et piscari. Unusquisque jus habet navigandi et piscandi in partibus oceani ab aliis non actu occupatis, quæ statim ac deseruntur ad communitatem negativam redeunt.

240. Dominium vero proprietatis confundi non debet cum dominio jurisdictionis quod jure gentium et municipali super oceanum exerceri potest. Possunt enim leges præscribi navigantibus, et delinquentes in oceano puniri possunt. Leges hujusmodi partim sunt municipales, partim ad jus gentium pertinent. Legibus enim municipalibus cujusque gentis puniuntur crimina quæ in navibus sive ipsius reipublicæ sive ejus civium privatorum commissa sunt, quia navis Britannica, Hibernica, Gallica tanquam solum Britannicum, &c., habetur. Piratæ utpote hostes humani generis qui omni imperio, societate et legibus renuntiarunt a qualibet republica judicari et puniri possunt.

241. Sinus, portus, freta, et flumina etiam navigabilia, quæ intra fines alicujus reipublicæ continentur, ejus jurisdictioni subjici possunt, quatenus hoc necessarium est ad ipsam tuendam ejusve bonum promovendum, ita tamen ut consilia Dei in his rebus hominibus largiendis non pervertantur. Insuper hæc omnia quando latum ambitum non habent partem ipsius territorii constituunt. Sed præter hæc quæ intra fines sui territorii continentur unaquæque respublica sibi vindicat titulo jurisdictionis partes propinquiores ipsius oceani, sinus, flumina, et freta quæ latum ambitum habent, qui titulus non ex jure naturali sed ex jure gentium derivatur. Tempore quidem belli aut quando sui territorii invasionem timet, potest respublica solo jure naturali spectato prohibere ne naves exterarum gentium ad portus suos et litora appropinquent, et si quæ ibi inveniantur etiam vi arcere; quia hoc ad suam defensionem necessarium esse potest. Sed necessitate desinente, desinit et jus navigationem aut piscationem in his locis prohibendi solo jure naturali spectato, et si tunc aliquam navem vi arceret ipsa injustitiæ rea esset. Hodie vero

ex jure gentium territorium cujusque reipublicæ maritimæ partes maris quæ oris suis adjacent inter tria millia geographicæ sub ejus jurisdictione permanenter complectitur. Sed etiam intra hos limites tempore pacis omnis gens exculta navibus ceterarum gentium facultatem præbet, non solum circa suas oras maritimas navigandi, sed et suos portus ingrediendi, solutis tamen portoriis, aliisque conditionibus servatis, quæ aut legibus municipalibus, aut pactis inter diversas gentes initis determinatur.

242. Sed alii dantur usus ut piscandi, margaritas exquirendi, qui intra spatium supradictum et in sinibus et fretis magis stricte et omni tempore interdici possunt, quamvis pisces, margaritæ, &c., quæ ibi inveniri possunt sub nullius dominio constituuntur, et proinde ad primum occupantem pertinent. Attamen quoniam in partibus prædictis non sunt usus inexhausti, possunt alieni ab his quærendis prohiberi, et si decedere recusent etiam vi arceri, si vero ipsi resistant, aut rempublicam ad quam hæc litora pertinent, a jure suo exercendo prohibeant, injustitiæ rei sunt et omnia damna inde provenientia resarcire tenentur; et ipsis nolentibus ad idem tenetur eorum respublica, si eos hæc agentes sustinuerat. Sed multæ difficiles controversiæ de his rebus versantur, et hoc ipso tempore inter Anglos et civitates fœderatas Americæ septentrionalis de jure piscationis acriter disceptatur (*a*). Hæc autem et alia bene multa, ut v. g. agendi ratio qua violetur pax ab iis qui tempore belli neutri parti se adjungunt, ad jus gentium spectantia innumeras movent lites quæ nisi per fœdera quæ diversæ gentes inter se faciunt dirimi non possunt. Jus enim gentium circa has res non satis determinatum est, et potentiores illud in suum proprium commodum interpretantur.

(*a*) By a convention made in 1818, between England and America, the subjects of the United States were not permitted to fish within three miles of the British coasts, except on the southern coasts of Newfoundland and Labrador. But disputes soon arose as to the interpretation of the treaty, the Americans insisting that they could enter the Bay of Fundy, and fish everywhere in its waters, if they did not cast their nets or lines within three miles of the shore, whilst the Colonial Government insist that the line should be drawn from headland to headland, which would exclude the Americans from the entire bay. The dispute was stopped for a time by the reciprocity treaty of 1854; but, the Americans having declared that treaty at an end, the dispute is revived.

§ II. *De servitute seu an unus homo alterum titulo dominii proprietatis possidere possit ?*

243. Servitus stricte dicta est *status subjectionis perpetuus quo unus homo pro vestibus, alimentis, et habitatione omnes suas operas licitas alteri homini præstare tenetur.* Multi possunt esse gradus illius subjectionis, sed potestas domini extendi non potest ad res illicitas. Domino itaque competere non potest jus cogendi servum suum ad mat. ineundum, aut ad divortium inter se et uxorem suam faciendum, aut ad religionem quam falsam esse credit complectendam. Solummodo a servo exigere potest dominus opera imprimis corporis et servilia, ut fodere, serere, iter facere, venari ; deinde etiam liberalia si ad hæc peragenda aptus sit, ut scribere, legere, et alia hujusmodi. Jamvero quoniam homo habet dominium suæ libertatis suorumque operum, valide et juste res suas in alterius dominium tradere potest, quo facto ille alter earum dominus efficitur. Potest itaque homo disponere de sua libertate valide, et etiam licite si justam ita agendi rationem habeat. In societate civili omnia membra aliquam partem libertatis naturalis legibus cedunt, ut ab iis protegantur ; domestici eam magna ex parte cedunt dominis, milites et nautæ suis præfectis propter stipendia, et religiosi superioribus suis propter amorem Dei. Hi omnes non solum licite sed et laudabiliter agunt, quid ergo vetat ne quis jure naturali spectato omnia sua opera alteri cedat ? Hic utique loquimur de jure naturali non præceptivo sed permissivo ; quamvis enim non sit contra jus naturale ut quis ex justa causa servum se faciat, attamen solo jure naturali spectato nullus homo dominium in alium habet. Hoc vero non obstante potest quis in statu servitutis nasci, ut infra dicemus.

244. Quoniam dominus nonnisi dominium licitum in servum habere potest, manifestum est potestatem vitæ et necis a privatis dominis exerceri propria auctoritate non posse. Neque potest respublica in dominos conferre jus servos suos ad arbitrium necandi ; sunt enim homines ad imaginem Dei facti, et ne ipsa quidem societas jus habet eos morte puniendi nisi propter atrociora quædam crimina. Aliqui putant si servitus esset pœna vice pœnæ mortis imposita, ut in rebelles aut homicidas, eorum dominis privatis concedi posse facultatem eos ad arbitrium morte puniendi. Sed hoc esset nimis crudele ; eo enim ipso quod ipsis condonatur vita, ea privari non possunt nisi ob novum crimen quod tantam pœnam promeretur. Aliis visum est potestatem suos servos necandi dominis privatis a republica concedi posse, ob quædam

crimina a legibus definita; sed et hoc crudele, injustum, et proinde contra jus naturale esset, quia si dominis daretur potestas servos suos judicandi, et eos absque recursu ad aliud tribunal morte afficiendi, eorum vitæ levitati et crudelitati dominorum omnino concederentur. Ob easdem rationes dominis concedi non potest potestas servos suos mutilandi; pœnæ enim hujusmodi gravissimæ nisi a magistratibus ad hoc munus obeundum a republica constitutis infligi non debent. Aliqua tamen potestas intra debitos limites coarctata, pœnas corporales in servos inferendi, ut ad opera debita perficienda cogi possint, dominis privatis a republica concedi potest; aliter enim ut ex eorum indole notum est, nulla aut fere nulla opera perficerent.

245. Ex his ergo patet quantum in hac materia a jure naturæ aberrarint Græci, præsertim Lacedæmonii, et Romani, apud quos in recentioribus istarum rerumpublicarum temporibus servi immanissimis sævitiis et etiam pœnæ capitis levissimis ex causis obnoxii erant. Nec recursum habere potuerunt ad publicam auctoritatem quæ eos non curabat; quin et ipsæ leges eos tanquam alienos habebant, et diram crudelitatem contra eos spirabant. Apud Lacedæmonios non solum ad singulos dominos sed et ad ipsam rempublicam pertinebant. Apud hunc populum servi Εἵλωτες appellabantur, ut vulgo fertur ab urbe Ἕλος, cujus incolas in servitutem redegerunt. Sed Theopompus (*a*), discipulus Socratis et historicus fide dignus, asserit Lacedæmonios ad servitutem redegisse omnes priores incolas regionis quam postea incolebant, eosque Eilotas appellasse; et insuper incolæ Helos non Εἵλωτες sed Ἑλείοι (*b*), seu Ἑλεᾶται (*c*), appellabantur. De modo agendi Lacedæmoniorum erga hos servos sic scribit Athenæus (*d*): "Contumeliosos admodum erga suos Eilotas acerbosque fuisse Lacedæmonios, testatur Myron Prienensis libro secundo Messeniacorum his verbis: Elotibus quidquid est probrosæ et indignæ operæ mandant, et quidquid est ignominiosum. Pileum e canina pelle gestare necessarium illis erat: deinde pelliccam vestem induere: et citra noxam maleficiumve præfinitum plagarum numerum quotannis pati, ne se unquam servos esse obliviscerentur. Præterea, si qui supra servilem conditionem ac speciem robore et animo vigerent, morte afficiebant, dominis vero multam irrogabant, si non mutilarent indole habituque virili eos adolescentes."

Apud Romanos primis reipublicæ exordiis servi benigne ab

(*a*) Ap. Athenæum, lib. vi., p. 265. c.
(*b*) Strabo, viii., p. 365.
(*c*) Athenæus, ibid., p. 272. A. ex Theopompo.
(*d*) Athen. xiv., p. 657 D. Floruit Myron circiter tria sæcula ante Christum natum.

heris tractabantur, decursu vero temporis non solum heri sed et ipsæ leges summam crudelitatem contra eos exercuerunt, ita ut in proverbio esset *in servum nihil non domino licere*. A heris tanquam hostes domestici respiciebantur, unde aliud proverbium *quot servi tot hostes*. Hinc institutum erat, servis dure loqui oportere, et ita brutis animalibus æquiparati erant, ut quando male ab aliis tractabantur, injuria non contra servum sed contra dominum illata haberetur. Propter culpam levissimam suspensi cum pondere centum librorum pedibus annexo, durissime flagellabantur, et etiam morti tradebantur a heris qui durante republica et in prioribus imperii temporibus potestate vitæ et necis in servos potiebantur (*a*). Sed sedulo distinguenda est hæc servitus crudelis et injusta ab ea quæ apud Judæos et Christianos vigebat.

246. In ipsis enim primævis temporibus Abrahamus habuit vernaculos, id est servos seu domesticos in domo sua natos (*b*), ad bellum instructos, trecentos decem et octo. In lege Mosaica abrogata non erat servitus, cum in decalogo prohibeatur servum aut ancillam proximi concupiscere (*c*), attamen ejus durities multum ab ea temperabatur. Heri enim privati inter Judæos potestatem vitæ et necis super servos suos non habebant. "Qui enim," ait Moyses (*d*), "percusserit servum suum vel ancillam virga et mortui fuerint in manibus ejus criminis [homicidii] reus erit;" et consequenter pœnæ mortis obnoxius erat. "Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ [mortis], quia pecunia illius est." Quamvis autem servus ex percussione non mortuus sit, aliis pœnis subditus erat herus; "si (enim) percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos, pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit servi aut ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos" (*e*).

(*a*) The offences of slaves were punished with severity, and frequently the utmost barbarity. One of the mildest punishments was the removal from the familia urbana to the rustica, where they were obliged to work in chains (Plaut. *Most.* i., 1. 16). They were frequently beaten with sticks, or scourged with the whip; but these were such every-day punishments, that many slaves ceased almost to care for them.* Thus Chrysalus says (Plaut. Bacchid. ii., 3., 131.), Si illi sunt virgæ ruri, at mihi tergum est domi. . . . Female slaves were often barbarously punished for the slightest mistake in the arrangement of the hair, or a part of the dress. (Ovid *Am.* i., 14, 15.; Mart. ii., 66.; Juv. vi., 498, &c.; Smith's Greek and Roman Antiquities, London, 1859, p. 1042.

(*b*) Gen. xiv. 14. Sic verti potest textus Hebraicus, "in prœlium disposuit servos suos, natos in domo sua."

(*c*) Exod. xx. 17. (*d*) Ibid. xxi. 20, 21. (*e*) Ibid. v. 26, 27.

* "When the (masters) have called for warm water, if a slave has been tardy in his obedience, he is instantly chastised with three hundred lashes." Gibbon, "History of Decline and Fall," chap. 31, citing the words of Ammianus Marcellinus.

247. Cum itaque servitus non solum apud gentiles sed etiam apud Judæos viguerit, quæri potest quomodo quis ad statum servitutis licite reduci possit? Resp. Hoc fieri potest 1°. per pactum. Cum enim homo sit dominus suæ libertatis, nulla est ratio quare se ea privare non possit, si aliter, v. g. sibi suæque familiæ providere non possit. Et quidem hic modus expresse approbatur in lege Mosaica, ubi dicitur (*a*): "Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non eum opprimes servitute famulorum," &c. Hic modus servitutis apud Judæos sic ordinatus erat. Judæus qui se alteri Judæo in servum vendidisset, poterat anno septimo, qui erat sabbaticus, liber e domo heri sui egredi: sed si hoc anno non egrederetur, libertatem suam vindicare non potuit ante annum jubilæi, ultra quem in servitute detineri non potuit. Si vero servo Judæo herus Judæus ancillam gentilem in matrimonio dedisset (non enim potuit herus servo suo dare ancillam Hebræam emptam, sed ipse, vel filius ejus eam ducere tenebatur), et ipsa filios peperisset, servus, si ita volebat, anno septimo liber egredi poterat, sed mater cum liberis in servitute manebat. Si vero servus propter amorem uxoris et liberorum nollet solus egredi, debebat usque ad annum jubilæi servire, et tunc secum uxorem et filios educebat. Itaque Deus prohibuit ne Judæi ad perpetuam servitutem redigerentur, et servum et ancillam, qui servituti perpetuæ addicerentur, nisi ex gentilibus desumere non licebat. Omnis servus gentilis Judæorum proselytus fieri tenebatur, et masculi circumcidebantur. Gentiles qui servituti inter Judæos addicebantur, sive per pactum voluntarium, sive jure belli, sive quia filii erant servorum gentilium, perpetuo servi manebant. "De advenis," ait Deus (*b*), "qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis famulos: et hæreditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in æternum." Si vero advena gentilis proselytus, factus dives et potens, Judæum paupertate oppressum emerit, Judæus non potuit liber egredi anno septimo, sed, nisi libertatem recuperasset solvendo pretium quo emptus esset, usque ad jubilæum servire tenebatur, et tunc liber erat (*c*).

2°. Poterat quis ad servitutem reduci jure belli. Hoc præcipue titulo servitus, secundum auctores, in mundum introducta est. Quamvis autem theologi et juris publici gentium periti consentiunt hunc esse justum titulum, in modo tamen eum explicandi valde inter se discrepant. Advertendum est bellum de-

(*a*) Lev. xxv. a. ver. 39.; cf. etiam Exod. xxi. a. ver. 2.
(*b*) Lev. xxv. v. 45. 46.
(*c*) Cf. Cor. A Lapide in cap. xxv. Levit.

bere esse certo justum; aliter manifestum est captos ad servitutem, absque summa iniquitate, reduci non posse. Juxta plures itaque ii qui in bello justo capiuntur possunt occidi, et ideo a fortiore ad servitutem reduci, unde nomen *servi*, a *servando*, vitam nempe, deducitur, et inde etiam *mancipia* nominantur, quia ab hostibus manu capti erant. "Servi," ait Justinianus (*a*), "ex eo appellati sunt, quod imperatores captivos vendere, ac per hoc *servare*, nec *occidere* solent: qui etiam mancipia dicti sunt, eo quod ab hostibus manu capiuntur." Sed omissa illa quæstione, scilicet quatenus liceat victoribus in bello justo captivos occidere, certum videtur quamdiu jus gentium aliter non statuisset, licuisse eos ad servitutem redigere. Si enim ipsi scienter et libere in bello injusto pugnaverint, sine dubio morte, et a fortiore, servitute puniri possent. Si vero solummodo propriæ reipublicæ mandatis obtemperabant, adhuc possent ad servitutem redigi non quidem ad ipsos puniendos, sed ut saluti prospiciatur populi qui injuste impugnatus erat, et ad rempublicam hostilem puniendam. "Extenditur hic titulus," ait Lugo (*b*), "etiam ad infantes captos in bello, qui licet juste occidi non possunt, possunt fieri servi. Suppono enim posse in eis bonis externis, et fortunæ puniri etiam aliquos, propter delicta aliorum ad quos pertinent; sic filii eorum qui committunt crimen læsæ majestatis, patiuntur infamiam (et etiam honoribus et hæreditate privantur), propter crimen parentum. Potest ergo victor punire rempublicam hostilem victam, reddendo eam servam, et puniendo eam etiam in infantibus qui ad eam pertinent. Sicut ergo possunt infantes spoliari opibus a victoribus, qui sunt pars reipub. hostilis, sic possunt libertate privari."

3°. Propter delictum, ut per se patet; sicut enim propter delictum atrox potest delinquens necari, ita propter delictum satis grave servitute puniri potest.

4°. Juxta plerosque auctores status servitutis ex ipsa nativitate induci potest, quatenus servi sunt qui ex servis in domo heri nascuntur, et ita Abraham vernaculos, seu servos domo sua natos, habuisse dicitur; et hoc expresse sancitum videtur in textu supra citato ex Levit. ubi Judæis non permittitur fratres suos in perpetuam servitutem reducere, sed advenas et qui ex his nati fuerint in terra eorum. Et quidem si servitus parentum ex delicto orta sit, videtur, sicut infamiam, amissionem bonorum, et alias pœnas temporales, sic etiam reipublicæ auctoritate, servitu-

(*a*) Institut. 1, 3. ap. Carriere, n. 45. Cf. Lugo, Disp. 6. sect. 2. n. 11.
(*b*) Loc. cit. n. 12.

tem ad filios extendi posse. Idem dicendum est quando servitus jure belli infligitur; quia tunc imponitur per modum pœnæ vel in parentes, vel saltem in rempublicam cujus erant membra et partes. Si vero servitus oriatur ex pacto, probabile est parentes posse prolem ad eundem statum obligare, quando hoc necessarium esset ad vitam parentum aut ipsius prolis servandam; quia communiter docent auctores posse parentes filios in extrema necessitate vendere. Sed quicquid est de hoc, videtur rempublicam in qua servitus vigeat, sancire posse, ut qui ex servis nascantur in statu servitutis constituantur. In his omnibus supponimus servitutem non esse nimis gravem, neque a legibus humanitatis abhorrentem; et cibum, vestimenta, libertatem matrimonium contrahendi, et leges Dei et Ecclesiæ observandi, servis (si Christiani sint) concedi. Si enim hæc illis non præberentur, aut si in servitutem viis injustis adducerentur, lex naturalis et divina manifeste violarentur.

248. Alia quæstio est quatenus servis fugere licitum sit? R. certum esse 1°. illos qui mediis injustis servi facti sunt, non solum posse fugere, sed et eos qui ab illis libertatem injuste eripuerint teneri damna quæ inde passi sunt resarcire. Certum est 2°. illos qui per pactum voluntarium servi facti sunt generatim loquendo fugere non posse, quia hoc esset contractum justum violare. Si tamen herus crudeliter servum tractaret, vel victum et vestimenta ei denegaret, vel ad peccatum periculose solicitaret, servus fugere posset; quia tunc ipse herus contractum saltem implicitum ipsum inter et servum existentem violaret, et servus ipso jure naturali posset per fugam sibi consulere. Sed 3°. dubitatur utrum servi juste ad servitutem damnati fugere possint. Videtur dicendum cum Lugo (*a*) leges humanas obligationem imponere non posse a servitute calamitosa non fugiendi, "ab hac enim probabile est fugere posse, oblata occasione commoda: contrarium enim esset nimis durum et superans humanam conditionem, præsertim talium hominum. Et quidem cum ipse Lessius, Corduba, Bannez, Ledesma, et alii, quos affert et sequitur Sanchez, lib, 6., de Decalog. cap. 8. n. 16., dicunt, posse licite fugere a triremibus eum, qui juste ad eam pœnam damnatus est; consequenter idem debent dicere de eo, qui ad talem pœnam damnatus esset, quæ a prædicta triremium pœna parum distat." Deinde iis qui ad servitutem etiam mitiorem condemnantur, respublica fugam non prohibet ex justitia sed ex obedientia.

(*a*) Disp. 6. s. 3. n. 28.

249. Quando mos erat innocentes etiam cives reipublicæ quæ injustam gerebat bellum ad servitutem redigere ad punienda crimina reipublicæ cujus erant cives, illis fugere omnino licitum fuit, neque potuit victor juste ab illis promissionem non fugiendi exigere. Quoad illos vero qui damnari possent ad mortem, propter suam injustam aggressionem, et voluntariam cooperationem in bello quod injustum esse cognoverunt, et qui proinde solo jure naturali spectato, utpote cooperantes ad crimina atrocissima, latrocinii, incendii, homicidii, &c., juste ad mortem damnari possent; utique pœna mortis in servitutem perpetuam commutari posset, pacto addito ut illis fugere nunquam liceret, et ut si fugere attentarent morte aut mutilatione punirentur. Attamen videtur jure gentium statutum esse, ut etiam captivi damnati ad servitutem propter iniquam cooperationem in bello quod cognoscebant esse injustum, nacti opportunitatem fugere semper possent. Neque dicatur cum Molina (*a*), hunc servum fugiendo herum suum privare re quam titulo dominii legitime possidebat. Bene enim respondit Lugo (*b*), herum hujus servi "fuisse ejus legitimum dominum, dominio non omnino inamissibili, sed amissibili per reditum servi ad suos, sic enim ferarum domini sumus, quamdiu ipsæ pristinum statum per fugam non recuperant; sic servorum captorum in bello; quare fuga illa non est furtum, cum per ipsammet fugam fiat, quod ille, qui invitus est, non sit amplius dominus, stat ergo bene, quod habeat servus obligationem serviendi, quamdiu non fugit; quia tamdiu durat servitus, quæ obligat ad serviendum; dissoluta autem servitute per licitam fugam, cessat tota obligatio serviendi; sic etiam dum victor prædam et captivos secum defert, jus habet ad illos captivos deferendos, nemo tamen dicet, si ipsi tunc fugiant, antequam provinciæ suæ fines egrediantur, furtum eos committere, quia totum domini jus erat sub conditione quod non fugerent." Et tandem concludit quod damnatio captivorum in bello justo ad servitutem a republica facta jure gentium innititur; et proinde quod noluit respublica, "deterioris conditionis in hoc esse homines et in hoc differre captos a feris et volucribus captis, quæ semper retinent jus redeundi ad propria per fugam, et recuperandi pristinam libertatem: esset enim durissimum hoc a captivis auferre, et supra communem hominum conditionem."

250. Hinc sequitur licitum fore captivis servituti subjectis fugere 1°. quamvis aliis heris a victore venditi fuissent: nam emptor plus juris in illos non acquisivit, quam ipse venditor ha-

(*a*) De Just. t. 3. Disp. 37. (*b*) De Just. Disp. 6. sect. 3. n. 25. et 28.

buisset, si apud ipsum mansissent; 2°. quamvis nati fuissent in domo heri ex matribus in bello captis: quia cum filius totam suam servitutem ex servitute matris contrahat, majorem obligationem quam ipsa mater manendi apud dominum habere non potest. Sequitur quoque illos non peccare qui ejusmodi servis fugam consulerent; esset enim consilium de re licita.

251. Hæc sufficiunt de quæstione quæ hodie haud multum spectat ad usum, quoniam nunc apud omnes fere gentes excultas servitus abrogata sit. Adhuc quidem capti in bello in carcere detineri possunt, sed quantumvis injustum sit bellum, jus gentium nunc eos ad servitutem redigi prohibet; et servitus ad quam quis hodie propter crimina damnari potest, omnino a servitute proprie dicta discrepat; quia non subjicitur dominio privatorum a quo vendi et emi possit, et ejus liberi minime servituti subjiciuntur. Et quidem nemo cordatus non gaudet quod extincta est servitus. Quamvis enim ille status in se non est illicitus, qualis tamen de facto extitit ante religionem Christianam (nisi apud solos Judæos), erat prorsus legi naturali repugnans, et ipsas respublicas in quibus vigebat, per frequentes servorum rebelliones, ut apud Spartiatas, Romanos, Siculos, aliasque nationes, fere ad interitum adduxit. Numerus vero servorum erat fere incredibilis. In parva insula Ægina numerati sunt 470,000; Athenis in censu Demetrii Phalerei (ante Christum natum 309) 400,000, quamvis erant solummodo 21,000 cives liberi et 10,000 *metœci* seu alieni ibi habitantes (*a*). Corinthi dicuntur fuisse servi 460,000 (*b*). Romæ teste Plinio tanta turba mancipiorum in domos injecta erat, ut solum officium unius servi qui nomenclator dicebatur esset nomina ceterorum domino indicare. De numero servorum tam Romæ quam in aliis regionibus ante Christum natum sufficiet referre verba Athenæi (*c*), "Agatharcides scribit e Dardanis aliquem servos mille possedisse, quendam etiam plures. . . . . Hic Laurentius interfatus, Atqui, o bone Massuri, probe nosti Romanos, inquit, quamplurimos servos possedisse, ex illisque permultos habuisse mancipiorum decem millia . . . . atque etiam plura. . . . . Servorum quidem Atticorum tot myriades vinctis pedibus in metallorum fodinis exercebantur." Affert Mohler (*d*) ex Actis Sanctorum Bollandi, ad diem 28 Aug. t. vi., p. 147, exemplum Hermetis, "qui a S. Alexandro papa conversus et baptizatus fuit

(*a*) Ctesicles ap. Athen. vi., p. 272. c. Aliqui tamen ut Niebuhr suspicantur textum esse corruptum, sed nullo alio nititur fundamento hæc opinio præter ipsum numerum servorum, et numerus æque incredibilis Corinthi, Æginæ, et in aliis locis extitit.

(*b*) Athen. ibid. (*c*) Loc. cit. d. e. (*d*) Ap. Carriere de Just. n. 53.

cum 1250 servis suis, uxoribus quoque, et filiis eorum, quos omnes in die S. Paschæ prius fecit fieri ingenuos, et ita baptizari." Item S. Chromatii, qui suscepit baptismum, "et cum eo ex familia ejus promiscui sexus 1400 animæ, quos omnes prius manumissionis gratia a servitutis nodo exsolvit" (*a*). Tandem juxta Boyer (*b*), secundum computationem modicissimam tam numerosi erant servi ut nonnisi tertia pars populi in toto imperio Romano liberi essent.

252. Promulgata religione Christiana servitus nullomodo illicita declarata est; sed e contra scripta inspirata Apostolorum et modus agendi ecclesiæ ostendunt eam fuisse in se licitam; et ipsæ ecclesiæ, virique ecclesiastici et monasteria, suos habuere servos, quos tamen summa benignitate regebant, et sæpissime etiam libertate donabant: sic verbo et exemplo laicos et humanitatem erga suos servos exercere et etiam manumittere docuere. Ita non docendo hunc statum esse contra legem naturalem, neque subito omnes servos aliquarum regionum dimittendo, ut ab Anglia factum est in Indiis occidentalibus, neque violenter ut in statibus fœderatis Americæ septentrionalis, servitutem abrogavit Ecclesia Catholica. Abrogatio enim his modis facta in principio valde perniciosa erat ipsis servis. Ecclesia autem sapientissime effecit ut servorum conditio paulatim commutaretur. Primo enim curavit ut servi tanquam homines et non tanquam pecora respicerentur. Deinde plures libertate donavit, et omnem distinctionem generis inter incolas ejusdem regionis abrogavit, et hos omnes in unum populum unamque societatem conjunxit. His fundamentis solidis positis jugum servitutis prorsus sustulit. Et postquam diversi populi Europæ, Lusitani, Hispani, Galli, Angli, imperia sua in Africa et in Indiis occidentalibus stabilierunt, primo summa iniquitate ipsos aborigines servituti subjicientes, et postea nefandum commercium nigritarum instituentes Romani Pontifices longa serie hæc crimina reprobaverunt. A Pio enim II. (Ænea Sylvio Piccolimini), qui litteris datis die 7 Octob. 1462, in eos qui nigritas Guineæ in servitutem redegerant graviter animadvertit, usque ad Greg. XVI., qui literis Apostolicis die 3 Dec. 1839, commercium nigritarum, "quo nigritæ tanquam si non homines sed pura putaque animalia forent contra justitiæ et humanitatis jura emuntur et venduntur," hæc crimina vehementer et Apostolica libertate insectati sunt.

(*a*) Ex Actis Sanctorum Bollandi ad diem 11 Aug. t. 2., p. 622.
(*b*) Ap. Carriere, loc. cit.

DISPUTATIO TERTIA DECIMA.

DE DIVISIONE RERUM QUÆ OBJECTUM DOMINII HUMANI CONSTITUUNT IN MOBILES ET IMMOBILES, CORPORALES ET INCORPORALES. DE SIGNIFICATIONE LEGALI VERBORUM, AGRI, TENEMENTI, ET HEREDITAMENTI [LANDS, TENEMENTS, AND HEREDITAMENTS].

253. Res immobiles sunt tum eæ quæ vel nullo modo moveri possunt ut agri, vel non salva earum substantia ut ædificium, tum jura et emolumenta quæ ex iis derivantur. Res mobiles sunt tum eæ quæ de loco in locum salva earum substantia moveri possunt, sive virtute propria ut entia animata, sive per vim externam, ut entia inanimata, tum jura et commoda quæ ex iis derivantur.

254. Ex his definitionibus patet quod res incorporales habentur ut immobiles quando ex rebus corporalibus immobilibus, et ut mobiles quando ex rebus corporalibus mobilibus derivantur. Sedulo quoque notandum est quod hic non loquimur de *quantitate* emolumenti seu commodi [*the amount of interest*] quod quis ex ipsis rebus sive immobilibus sive mobilibus derivat. Hoc enim sub respectu datur in jure nostro celebris divisio eorum statuum [*of those estates*] qui in solis rebus immobilibus haberi possunt, in *libera tenementa* [*freeholds*] et *catalla realia* [*chattels real*]. Per *statum* juxta legalem ejus significationem intelligitur totum lucrum et emolumentum quod quis ex rebus sive mobilibus sive immobilibus derivat. Emolumentum autem consideratum quoad suam durationem, fundamentum suppeditat divisionis statuum in libera tenementa et in illos qui minoris æstimantur quam libera tenementa [*estates that are less than freehold*].

255. Liberum tenementum est status qui habetur in agris aut tenementis liberæ tenuræ, aut in perpetuum aut in vitam propriam tenentis aut alterius personæ. Hæc definitio infra evolvetur, sed hic sufficit observare statum qui etiam post mille annos terminari debet non esse liberum tenementum. *Res* quidem ipsa seu ager est immobilis, sed *status* non est immobilis sed mobilis [*the estate is not real, but personal*], et proprietas

quæ statum personalem constituit apud nos nomine *catallorum* [*chattels*] appellatur. Liberum tenementum et status immobilis [*freehold and real estate*] idem omnino significant. Quoniam status etiam in rebus immobilibus qui neque hereditarius est neque in vitam tenetur inter catalla numeratur, catalla in immobilia et personalia [*chattels real and personal*] dividuntur. Nomine catallorum immobilium appellatur status qui habetur in agris aut in lucris ex iis derivatis, qui neque hereditarius est, neque in vitam tenetur. Status qui habetur in rebus mobilibus aut in emolumentis ex iis derivatis catallum personale appellatur. Ager ergo est objectum catallorum immobilium, res mobilis catallorum personalium.

256. Quoniam verba *agri, tenementa, hereditamenta* [*lands, tenements, hereditaments*], ubique in jure nostro occurrunt, omnino necessarium est eorum significationem legalem exponere. Ager secundum legalem significationem, non solum ipsam terram, sed et arbores et sylvas, ædificia, fodinas, et ipsam aquam designat. Et proinde si aliquis omnes suos *agros* alicui concedat, omnia prædicta in alterius dominium transeunt. Non hic loquimur de solemnitatibus quæ in his rebus abalienandis observari debent, sed solummodo de vi et significatione vocis *agri*. Arbores quidem, sylvæ, domus, fodinæ, &c., propriis nominibus concedi possunt, sed tum nihil aliud nisi quod his vocibus stricte intelligitur abalienatur. Imo quando quæstio est de *aqua*, lex exigit ut nomine *agri* [*land*] designetur. Itaque non potest quisquam actionem instituere ad certam aquæ superficiem, aut ad stagnum vel aquæ ductum vel rivulum recuperandum; sed de agro qui in fundo jacet actio intendenda est, v. g. de viginti jugeribus agri aquâ coopertis. Eodem modo si *certa aqua* alteri concedatur, jus quidem piscandi acquirit, sed ager in fundo apud priorem dominum manet. Verbum autem *land* includit ea omnia quæ cum ipso aut naturaliter, ut arbores, aqua, aut per industriam humanam, ut domus, ædificia, &c., *permanenter* connectuntur, et etiam ea quæ infra eum in *situ proprio* (*a*), ut fodinæ, inveniuntur. Axioma juris est quod cujus est solum, ejus est usque ad cœlum; unde lex vetat ne quis ædificium etiam in proprio fundo erigat quod super alienos agros emineat.

257. Quamvis vero vox *land* latissime patet, non solum non includit res mobiles, sed ne lucra quidem et emolumenta, quæ ex agris derivantur, etsi hæc inter res immobiles numerantur. Vox *land* igitur omnes significat res corporales quæ ex natura sua, aut

(*a*) De rebus ibi absconditis, ut thesauro, suo loco dicemus.

ex *connexione cum agro*, ut arbores, sylvæ, &c., immobiles habentur, sive status quem quis in illis habet est liberum tenementum, sive inter catalla realia numeratur (*a*). *Tenementum* vero includit non solum omnia objecta *corporalia* quæ nomine *land* designantur, sed et *jura incorporalia*, ut *reditus*, *pascua communia* [*rents*, *commons*], &c., quæ cum agris connectuntur; item jus præsentandi ad beneficium [*advowson*], officia ut judicis, magistratus, &c., quæ sunt res incorporales, quoniam *in jure* quædam negotia exercendi consistunt; privilegia subditis concessa quæ ad regiam prerogativam pertinent [*franchises*], ut jus nundinas habendi; optimatum dignitates [*peerages*], &c. Omnis itaque *res permanens et immobilis*, sive sit corporalis sive incorporalis, quæ ab aliquo in suum proprium commodum haberi potest tenementum dicitur (*b*). Unde qui possidet agros vel domum *tenens* appellatur; ipsi agri vel domus *tenementum*; et modus tenendi *tenura* [*tenure*]. *Hereditamentum* non solum agros et tenementa sed et res omnes alias, immobiles et mobiles, corporales et incorporales quæ jure hereditario transmitti possunt, includit. Sic res mobilis quæ ad heredem simul cum domo ex consuetudine transmittitur [*an heir-loom*] tenementum appellatur. Ita etiam dignitas aut commodum, quod ab antecessore ad posteros jure hereditario descendit, quamvis nullam habeat cum agris connexionem est hereditamentum. Sed in memoria tenendum est hic tantum agi *de rebus* quæ secundum legis municip. dispositiones jure hereditario transmitti possunt. Non hic agitur de emolumento quod quis ex iis percipit. Sic si Petrus statum habeat ex agris in mille annos perduraturum, hic status non est hereditarius, sed quoniam ager est *res* quæ ex sua natura jure hereditario transmitti possit, est hereditamentum. Similiter officia inter hereditamenta incorporalia numerantur, quamvis nonnisi in vitam aut in certum numerum annorum concedantur; quia etsi status ejus qui tenet talia officia non est hereditarius, ipsa officia sunt res quæ ex sua natura jure hereditario transmitti possunt. Quoniam vero excepta aliqua re mobili speciali quæ ex consue-

(*a*) In quibusdam statutis vox *land* latiorem etiam accipit significationem. Sic in 3 et 4 Guliel. IV., c. 106 [*The Inheritance Act*] declaratur: "That, so far as the enactment of that statute is concerned, land shall comprise every interest, real or *personal*, *capable of being inherited*, and also *money* to be laid out in the purchase of land."

(*b*) "Tenement, although in its vulgar acceptation it is only applied to houses and other buildings, yet in its original, proper, and legal sense, it signifies every thing that may be holden, provided it be of a *permanent* nature (that is, provided it be not a mere personal chattel), whether it be of a substantial and sensible, or of an unsubstantial, ideal kind." Blackstone, vol. ii., p. 17.

tudine jure hereditario transmittitur [*an heir-loom*] res mobiles jure hereditario non descendunt, hereditamenta corporalia sunt plane eadem atque agri sensu exposito intellecti.

258. Hereditamenta sunt vel corporalia, vel incorporalia. Corporalia sunt ea quæ sensibus percipi, et ideo videri atque tangi possunt; incorporalia sunt ea quæ nec videri nec tangi nec sensibus percipi possunt. Sic *reditus* [*rent*] quem tenens domino agrorum quotannis solvere tenetur, est hereditamentum incorporale, quia jus domini neque videri neque tangi potest; objectum vero hujus juris est pecunia, aut alia res corporalis, et hæc pecunia non est hereditamentum sed res mobilis quæ jure hereditario transmitti nequit. Hæc autem divisio rerum in corporales et incorporales ad *hereditamenta* nullatenus restringitur, nam res etiam mobiles complectitur. Sic pecunia est res corporalis mobilis, et jus mutuantis ad pecuniam suam mutuo datam, est res incorporalis mobilis; et ita dicendum est de omni alia re mobili corporali, ipsa res est corporalis, jura quæ ex ea derivantur sunt res incorporales.

259. Apud nostros jurisperitos (*a*) *Hereditamentum* incorporale est jus aliquod seu commodum, sive immobile [*real*] sive personale, quod sensibus percipi nequit, heredibus vero transmitti potest: sed quia res *personales* sive corporales sive incorporales plerumque non ad *heredes* sed ad executores descendunt, ideo ordinarie *hereditamenta* non constituunt. Dico *ordinarie*, quia jus percipiendi censum annuum [*an annuity*] ex persona, quod jus ita constitui potest ut ad heredes descendat (*b*), est res personalis et hereditamentum incorporale. Pensio concedi potest homini ejusque heredibus, et non raro a republica ita conceditur propter merita præclara absque ullo respectu ad res immobiles. Ita etiam officia et dignitates quæ ad heredes transmittuntur sunt hereditamenta incorporalia, quamvis hæc jura nullam habent connexionem cum rebus corporalibus sive mobilibus sive immobilibus. Quando ergo dicit Stephen. (*c*) hereditamenta incorporalia de facto a rebus immobilibus derivari, aut iis adnecti, nimis coarctat definitionem. Itaque *hereditamentum incorporale est jus aliquod seu commodum quod sensibus percipi nequit, et ex dispositionibus legum municip.*

(*a*) Cf. Steph. vol. 1., p. 655., et seq.

(*b*) Hæc dispositio juris a Steph. abnormis [*an anomaly*] quæ aliquando confusionem producit, appellatur. Vol. 1., p. 684.

(*c*) Loc. cit. p. 655. "The term incorporeal hereditament is in effect exclusively applied to the class of things *real*; and may in such case be defined as a right annexed to, or issuing out of, or exercisable within, an hereditament corporeal of that class."

heredibus transmitti potest. Non tamen negamus quin sæpissime hereditamenta incorporalia rebus immobilibus adnectantur, aut ex iis deriventur. Hæc hereditamenta generatim constant ex juribus quæ solum alienum respiciunt; et dividuntur in lucra [*profits*], ut jus pascendi pecora in alienis agris, jus piscandi in alienis aquis; et levamenta [*easements*] ut jus viæ per agros alienos, quod non lucrum sed commodum præstat.

In rebus omnibus incorporalibus sive sunt hereditamenta sive non sunt, res ipsa incorporalis utpote in jure constans non est objectum sensus corporei, sed solo intellectu percipitur, quamvis objectum istius juris est res corporalis. Sic Petri jus pecora sua in agris Caii pascendi est aliquid incorporale, quod sensibus percipi nequit, ipsum vero pascuum, gramina, herbæ, &c., quæ objectum hujus juris constituunt sunt res corporales. Ita etiam jus viæ per agros alienos est quid incorporale, sed ipsa via est res corporalis. Jus reditus ex agris percipiendi est quid incorporale, sed ipsi reditus sive ex pecunia sive ex servitiis constant sunt res corporales. De hereditamentis incorporalibus in specie infra agetur.

DISPUTATIO QUARTA DECIMA.

DE SYSTEMATE FEUDALI, ET DE SIGNIFICATIONE LEGALI VERBORUM TENURÆ [TENURE], TENENTIS [TENANT], TENEMENTI [TENEMENT].

260. Quoniam tituli per quos agri a dominis suis, quemadmodum nunc fere fit in Europa, possidentur, in systemate feudali ortum habuere, necessarium est de hoc systemate aliqua dicere : et hoc præsertim nobis incumbit, quoniam modus *tenendi* hereditamenta corporalia, hoc systemate inductus, adhuc magna ex parte apud nos viget. Ipsum vero systema introductum est a barbaris gentibus, quibus eversum erat imperium Romanum. Simul atque aliquam provinciam subegerunt, agros inter se milites sorte diviserunt; pars tamen non parva Regi aut Duci reservata erat. Hi omnes agros titulo omnino independenti tenebant, ea tamen conditione, ut arma ferrent, quando hoc ad ipsam communitatem defendendam necessarium foret. Rex vero seu Princeps gentis magnam partem agrorum ad ipsum pertinentium inter suos milites et præcipue inter suos comites [*companions or courtiers*] distribuebat. Princeps ipse proprietatem soli retinebat, cujus tamen usufructus seu beneficium comitibus concessum erat, propter servitia præcipue militaria quæ Principi tanquam domino reddere tenebantur. Primò hi agri revocari potuerunt ad arbitrium domini et tunc *munera* dicebantur (*a*); postea in annum aut in aliud breve tempus concessi erant et tunc *beneficia* vocabantur (*b*); denique concessi erant in vitam tenentis, et paulatim jus hereditarium in iis acquirebatur; et a tempore quo jus eos tenendi in vitam aut in perpetuum acquisitum erat, *feuda* appellabantur (*c*). Nullatenus vero constat has voces *beneficium* et *feudum* ab initio significasse diversos status, quia feudum sicut beneficium statum stipendiarium [*a stipendiary estate*] significat : opponitur enim

(*a*) Cf. Stephen. tom. 1. p. 178., et auctores citatos in notis.

(*b*) Ita Spelman ap. Stephen. loc. cit.

(*c*) *Feudum* seu ut sæpe scribitur *feodum* derivari dicitur a *feo*, *wages*, *pay*, et *od*, *possession*. Cf. Stephen. loc. cit. in notis.

allodio (*a*), quo nomine proprietas independens significabatur. A seculo vero saltem decimo aut etiam prius agri qui non independenter, sed ab alio domino aut in vitam tenebantur, aut jure hereditario transmitti potuerunt, *feuda* dicebantur.

261. Ex quo tempore feuda hereditaria esse cœperunt, feudatarii seipsos tanquam dominos agrorum quos possidebant habere cœperunt, et ipsi partem istorum agrorum aliis, iisdem conditionibus impositis quibus ipsi ad suos dominos adstringebantur, concedebant. Hæc *sub-infeudatio* dicebatur; et quoniam ipsi illi qui agros per modum sub-infeudationis acquirebant, partem horum agrorum aliis qui ab ipsis tenerent iisdem conditionibus dederunt, hinc factum est ut omnes feudatarii seu *vassalli* ad suum quisque dominum immediate constringerentur continua velut serie inter se connexi. Sicut autem vassallus domino suo servire tenebatur, ita et dominus protectionem vassallo debebat, et hæc mutua officia quibus inter se conjungebantur magna commoda utrique mediævis temporibus attulerunt: domino enim præsto fuerunt fideles milites, et vassallo patrocinium et tutela potentis domini. Interim aliqui ex antiquis incolis quibus tempore victoriæ concessum erat agros suos retinere independenter ab ullo domino superiore, sed sola obligatione novam rempublicam armis defendendi, et ad publica onera debitam portionem contribuendi, et milites qui sorte agros suos iisdem conditionibus obtinuerant, maximis incommodis obnoxii erant: neque enim vassallos neque dominum qui ipsos contra injustos aggressores defenderent habuere. Itaque ad obtinendam protectionem alicujus domini potentis, seipsos ejus vassallos agnoscebant, agrosque suos in modum *feudi* tanquam ab ipso acceptos tenere volebant. Sic maxima pars agrorum qui ab initio in modum *allodii* possessi erant, pedetentim in feuda convertebantur. Hic modus agros ab aliis possidendi tenura [*tenure*] dicitur; qui eos possidet tenens [*tenant*], et ipsi agri tenementa [*tenements*] appellantur.

262. *Feudum* in aliquem conferebatur per *verba* puræ donationis, *dedi* nempe et *concessi* huic homini; et per ritum quemdam publicum quo possessio feudi dabatur [*livery of seisin*]. Eo enim tempore quo paucissimi homines manu scribere sciebant, necessarium erat ut titulus quo quis agros suos tenebat per viciniam publicè divulgaretur. Vassallus semper se juramento fidelitatis

(*a*) *Allodium* componi dicitur ex verbo Germanico *an* [*land*] et *lot*, et significat agros sorte obtentos; juxta probabiliorem etymologiam componitur ex *all* [tota] et *odh* (quod in linguis septentrionalibus *proprietatem* significat. Stephen. loc. cit.

domino obstringebat, et plerumque *homagium* præstabat; humiliter, et publicè in genua procumbens, discinctus, detecto capite, tenens manus junctas inter manus domini, professus est: *devenio vester homo ex hac die quoad vitam, membra, et honorem terrenum;* quibus factis osculatus est eum dominus. Sed præter juramentum fidelitatis et homagium quatuor alia quæ incidentia [*incidents*] dicebantur, quia ex relationibus inter dominum et vassallum sponte oriri censebantur, vassallus domino præstare tenebatur. 1. *Auxilia* [*aids*] quæ ab initio omnino voluntariæ erant donationes quas domino in adversis rebus tenens libere præstabat, sed progressu temporis tanquam stricte debita exigebantur. 2. *Relevia* [*reliefs*] quæ ortum habuere cum feuda nonnisi in vitam tenentis concedebantur; tunc enim heres multam domino persolvebat ad feudum obtinendum. Ideo autem hæc *relevia* dicebantur quia "incertam et caducam hereditatem relevant" (*a*). Quando vero feuda hereditaria fiebant, hæ multæ, mortuo tenente, adhuc ab herede exigebantur. 3. *Multæ* [*fines*], quæ a tenente solvi debebant domino, si agros suos venderet aut alio modo aliis traderet: propter mutuas enim obligationes quæ inter dominum et vassallum intercedebant, neque potuit vassallus alium pro se substituere, nolente domino; neque dominus vassallum suum, absque ejus consensu, sub alterius domini potestate constituere. 4. *Eschæta* et *feudi amissio* [*escheat and forfeiture*]; quibus modis feuda ad dominum revertebantur. Priore modo, quum tenens non reliquisset heredem cui descenderet feudum secundum conditiones concessionis; v. g. si concessum erat viro ejusque heredibus masculis, his deficientibus non descendebat ad heredes femineas sed ad dominum redibat. Posteriore modo, quum tenens fidelitatem domino debitam violâsset.

263. Etsi ab initio feuda nonnisi in vitam ipsius tenentis concedebantur, progressu tamen temporis factum est ut ad *filios* aut ad *alios* etiam *heredes* hereditario jure transmitterentur. In his casibus forma donationis strictè servabatur; si enim feudum viro ejusque *filiis* concessum erat, hereditas inter omnes filios æqualiter divisa est; et quando aliquis ex illis mortuus est, pars ejus neque ad fratres neque etiam ad ejus liberos pervenit, sed ad dominum revertebatur. Quando vero feudum viro ejusque *heredibus* concessum erat, heredes ejus *masculi* in infinitum ad hereditatem successerunt; neque ad dominum feudi revertebatur quamdiu extiterunt masculi qui originem suam a primo feudatario traxerunt; nullus enim alius ad hereditatem admissus est. In principio quando hereditas nonnisi ad masculos descendebat, non coarctaba-

(*a*) Cf. Stephen. tom. 1. p. 182.

tur ad primogenitos solos, sed omnes qui erant in eodem gradu consanguinitatis, v. g. omnes filii ad partes æquales hereditatis pervenerunt. Sed postquam tituli nobilitatis introducti erant, qui nonnisi ad primogenitos pertinebant, feuda quoque militaria in plerisque locis ad solos primogenitos descendebant.

264. Sed quoniam feudatarii, magna ex parte militaribus occupati muneribus agros suos per se colere non potuerunt, ideo maximam partem agrorum suorum tenentibus inferioribus concessere, a quibus reditus [*rents*] in frumento pecoribus aut pecunia accepere. Feudatarii isti inferiores etiam juramento fidelitatis dominis suis obligabantur, sed a militia immunes erant, et sic ipsa ratio principalis qua velut fundamento continebantur feuda subducta est. Progressu temporis venalia esse cœperunt. Propter has innovationes feuda in *propria* et *impropria* divisa erant. Propria ex dictis satis intelliguntur; impropria erant tum ea quæ empta erant, tum quæ alienari poterant absque mutuo consensu domini et feudatarii; aut quæ propter reditus solvendos, vel alia munera minus honorifica obeunda, et non propter munera belli tenebantur; aut quæ non solum ad mares sed ad feminas quoque hereditario jure transmitti poterant. Sed hæc omnia in creatione feudi exprimi debebant; aliter enim conditionibus feudi proprie dicti tenebantur.

265. Quamquam in Anglia non desunt vestigia systematis feudalis ante victoriam Normannorum [A.D. 1066], attamen post hoc tempus ubique et adjuncta vi integra et potestate quam in Normandia habuit introductum est. Vigesimo enim anno regni Gulielmi, "omnes prædia tenentes quotquot essent notæ melioris per totam Angliam *ejus homines* facti sunt, et omnes se illi subdidere, ejusque facti sunt *vassalli*, ac ei fidelitatis juramenta præstiterunt, se contra alios quoscunque illi fidos futuros" (*a*). Jam inde ab hoc tempore habebatur tanquam firmissime institutum in Anglia, et deinceps in Hibernia, quod omnis subditus agros suos vel *immediate* vel *mediate* a principe teneret. Quo factum est ut ii qui agros habent *tenentes* vocentur, agri *tenementa* et ipse tenendi modus *tenura*. Ille tenens qui nullo interveniente agros immediate a rege tenebat dicebatur esse *in capite* [*in chief*]; qui autem a domino inferiore immediate tenebat, tenens infimus [*tenant paravail*] appellabatur; et quoad hunc tenentem rex dominus supremus [*lord paramount*], et ille a quo immediate tenebat, dominus medius [*mense or middle lord*], dicebantur. Jam vero hæc distinctio inter tenuram mediatam et immediatam obtinuit in omnibus tenurarum speciebus de quibus nunc loquendum est.

(*a*) Chron. S. A.D. 1086, ap. Steph. vol. 1., p. 187

DISPUTATIO QUINTA DECIMA.

DE VARIIS SPECIEBUS TENURÆ QUIBUS AGRI OLIM APUD NOS TENEBANTUR.

266. Ad quatuor species revocari possunt tenuræ *communes* et *generales*, quibus addenda est quinta quæ solam ecclesiam hominesque ecclesiasticos respiciebat. Discrimen inter illas situm est in diversis *servitiis* et *reditibus* quæ tenentes dominis præstare tenebantur. Hæc servitia erant aut *libera* [*free*] aut *vilia* [*base*]; et ratione quantitatis et temporis quo exigi poterant, erant aut *certa* aut *incerta*. *Servitia libera* ea erant quæ sine dedecore a libero homine præstari poterant, ut militare, pecuniam domino solvere, et alia hujusmodi: *vilia* erant ea quæ nonnisi rusticis et servis conveniebant, ut arare et stercorare agros domini, facere sepimenta, &c. *Servitia libera certa* fixa erant et determinata, ut tenere *per fidelitatem* et reditum annuum viginti solidorum, aut per *solam fidelitatem*, aut per *fidelitatem et homagium*, aut per *fidelitatem, homagium*, et *reditum annuum* viginti solidorum. Hæc tenura liberum socagium [*free socage*] aut *commune socagium* nominabatur (*a*). *Servitia libera incerta* ea erant quibus tenentes per certum tempus militare tenebantur, quum nempe hoc a domino exigeretur, et proinde incerta erant quia a domino exigi poterant vel non, et quandocumque ipsi placeret. Hæc species tenuræ, quæ et communissima erat et in maximo honore habebatur, servitium militare [*knight service*] appellabatur, sive lingua Normannorum *service de chivaler* [*chivalry*]. *Servitia vilia certa* ea erant in quibus reditus quamvis vilis erat tamen determinatus, ut arare agros domini per decem dies, quod *villenagium privilegiatum* appellabatur: *incerta* ea erant quæ et vilia erant, et præstari debebant a *villanis* quandocumque a domino exigerentur, et hoc *villenagium purum* dicebatur.

(*a*) De etymologia vocis *socagii* disputatur. Cf. Stephen. vol. 1., p. 210, n. m.

§ 1. *De tenura per servitium militare.*

267. *Tenura* per servitium militare ejusdem erat rationis ac feudum proprie dictum; tenens seu vassallus eodem ritu inaugurali agros accepit, et iisdem obligationibus erga dominum tenebatur. Agri hereditario jure non solum ad masculos sed plerumque ad feminas etiam transmittebantur; quod vero attinet ad ordinem succedendi omnes filii ante filias, et inter filios majores natu ante minores ad hereditatem pervenerunt. Sed vassallus non solum servitium militare erga dominum præstare tenebatur; varia enim erant *incidentia* [*incidents*] cum hac tenura connexa vi quorum onera gravissima et fere intolerabilia in tenentem imponebantur. Sed quoniam ipsa tenura cum omnibus his incidentibus jam abrogata est, necessarium non est hæc enumerare. Aliæ erant species servitii militaris impropriæ tamen dictæ, quæ magnum servitium [*grand sergeanty*] et *cornagium* [*cornage*] nominabantur. Tenens per magnum servitium, regi *generaliter* in bello servire non adstringebatur, sed servitium liberum et incertum quoad tempus in quo præstari debebat ipsi *regis personæ* reddere tenebatur; ut vexillum aut gladium regis portare; aut agere tanquam ejus vini dispensator [*butler*], aut pugil [*champion*], aut alius officialis die quo rex diadema accepit. Incidentia quamvis non omnino eadem ejusdem tamen erant generis atque in servitio militari, sed etsi hæc tenura adhuc manet quoad servitium honorabile, incidentia abrogata sunt. Tenura per cornagium in hoc constabat quod tenens cornu cancre obligabatur quum Scoti aut alii hostes regnum invasissent, ut subditi regis de periculo monerentur. Hæc tenura non amplius existit.

268. Decursu vero temporis fiebat ut ipsi tenentes regem ad bella gerenda non sequerentur, sed primo alios in locum sui substituerent; et postea ut soluta pecunia ipsi a militia immunes essent, quæ demum sic imposita erat ut certa summa propter singula feuda militaria [*for each knight's fee—that is, lands to the value of* £20 *per an.*] exigeretur. Hæc tenura scutagium [*escuage*] seu scuti servitium nominabatur, ex eo quod *scutum* tunc erat nummus quidam in communi usu. A tempore quo servitium militare mutatum erat in scutagium, hæc tenura revera erat pecuniaria, cujus ope principes milites mercenarios conducebant. Ab initio etiam summa solvenda ex arbitrio pendebat principis, qua prærogativa ita abusi sunt, ut Joannes Angliæ rex coactus esset per Magnam Chartam statuere ne ullum scutagium nisi de consensu Parlamenti imponeretur. Hoc tamen omissum est in Magna

Charta qualis ab Hen. III. Joan. filio accepta et probata est, in qua solummodo cautum erat ut scutagium foret rationabile; sed per 25 Edv. I., cc. 5 et 6, ex quo tempore inter leges regni immobiles reputabatur, statutum est ne rex ullum tributum imponere posset *sine consensu communi regni;* ex quo scriptores jurisperiti antiquiores inferebant scutagium a principe exigi non potuisse sine consensu Parlamenti. His tamen non obstantibus reges aliis nominibus, ut mutui, benevolentiæ, &c., sine consensu Parlamenti varia tributa imposuerunt. Alia etiam onera gravissima quæ nomine incidentium titulo militari annexa erant, in pleno vigore perseverabant fere ad medium seculum septimum decimum. Quando vero Olivarus Cromwell rempublicam administrabat in desuetudinem abierunt, et paulo post ejus mortem, per 12. Car. II., c. 24, tenura servitii militaris cum omnibus suis incidentibus abrogata est; et omnes aliæ tenuræ, nisi in libera eleemosyna [*in frankalmoign*] et per copiam rotuli [*copyhold*], et per magnum servitium [*grand sergeanty*] quoad officia honoraria personalia quæ regi præstari debent, in *liberum et commune socagium* conversæ sunt. Variis etiam statutis ut 14 Edv. III., st. 2, c. 1; 3 Car. I. [*the petition of right*] imponere ullum tributum sine consensu Parlamenti declaratur esse contra leges et jura regni. Insuper per 1. Guliel. et Mar. st. 2, c. 2, statuitur vectigalia imponere sine consensu Parlamenti, aut in tempus diuturnius quam a Parlamento concedebatur contra leges regni esse.

§. 2. *De tenura Liberi Socagii.*

269. Socagium generaliter sumptum est tenura in qua servitium debitum est *certum* et determinatum. Si servitium debitum sit tale quale hominem liberum decet, tenura Liberum Socagium appellatur. Quoniam omnes qui agros per hanc tenuram possederunt juramentum fidelitatis [*fealty*] erga dominum a quo agros tenebant emittere obligabantur, servitium fidelitatis a tenente ad dominum agrorum semper debebatur. Insuper vassallus seu tenens quando dominus agros in ejus possessionem publice tradidit [*upon investiture*] plerumque homagium ei præstitit. Aliquando agri solo servitio fidelitatis, aut fidelitatis et homagii, sine ullo reditu aut alia mercede tenebantur. Aliquando fidelitas cum reditu certo, vel fidelitas, homagium, et reditus determinatus debebantur. Si vero servitium erat certum sed vile, quale nonnisi servo aut rustico conveniret, ut si tenens ad fidelitatem et ad arandos agros domini per triduum quotannis, aut ad alia opera rustica obligaretur, tenura *privilegiatum villenagium*, aut *socagium villanum*

[*villein socage*] appellabatur. Qui priore titulo agros possidebant Liberi Sokmanni [*tenants in free socage*] nominabantur. Quoniam agri hac tenura accepti per modum feudi dabantur, eorum abalienatio feudatario a domino effecta est per verba puræ donationis, "dedi et concessi," et per possessionem publice collatam [*livery of seisin*] eodem modo ac feuda militaria collata erant; tenens autem, etiam cum nihil aliud per modum reditus exigeretur, fidelitatis saltem jurejurando erga dominum se obstringeret necesse erat; et iisdem incidentibus quæ feudis communiter annexa erant subjiciebatur.

270. Jura et leges hereditatis eadem erant in socagio quæ valebant in tenura propter servitium militare, et iisdem fere incidentibus obnoxium erat. Sed quoniam omnia alia incidentia abrogantur præter relevia, quæ per 12 Car. II. expresse reservantur, de his solis dicendum est. Quum tenens in socagio reditibus solvendis obnoxius erat, heres quando in hereditatem successit, unius anni reditum per modum relevii solvere tenebatur. Proinde factum est ut etiam nunc quicumque jure hereditario succedit ad agrorum possessionem qui per modum feudi simplicis tenentur, si agri reditui sint obnoxii, primo anno suæ successionis reditum duplicem solvere obligatur. Tenens in socagio adhuc eschætæ et feudi amissioni [*to escheat and forfeiture*] obnoxius est, cum multis tamen temperamentis sicut infra, ubi de titulis agemus, exponetur. Hæc tenura liberi socagii qua præsertim possessiones immobiles in his regionibus tenentur communius nunc liberum tenementum [*freehold*] appellatur. Olim quidem liberum tenementum tenuram per servitium militare complectebatur, sed post hanc abrogatam, tenuram per liberum socagium solum, in quo reditus sunt et certi et honorifici, respicit.

271. Tenuram liberi socagii qualis vulgo obtinebat supra exposuimus, sed illius variæ quædam species erant, *parvum* nempe *servitium* regis [*petit sergeanty*], *tenura in burgagio* [*burgage*], et species illa quæ anglice *Gavelkind* vocatur. Parvum servitium regis erat tenura qua quis agros a rege tenebat ea conditione ut singulis annis ei aliquod belli instrumentum parvum, ut arcum, gladium, lanceam, aut aliquid simile tribueret. In hoc cum magno servitio conveniebat quod tenens aliquid reddidit personam regis immediate respiciens, sed in hoc discrepabat quod in magno servitio munus fungendum per quasdam actiones expleri debet, ut portare regis gladium, in servitio autem parvo per rem aliquam dandam, ut arcum regi dare. Quoniam reditus parvi servitii sunt et liberi et certi, hæc tenura est verum liberum socagium et proinde adhuc permanet.

Idem dicendum est de tenura in burgagio, quæ in hoc consistit quod rex aut alius dominus antiqui municipii [*of an ancient borough*] tenementa propter certum reditum tenentibus concedit; neque aliter discrepat a socagio communi, nisi quod hoc respicit fere agros et rus; illud vero domos et oppidum. Multa ex tenementis quæ hac tenura possidentur, specialibus consuetudinibus reguntur, quarum præcipua *Borough-English* nominatur, vi cujus, mortuo patre, non maximus natu filius sed minimus, in hereditatem succedit. Hæc consuetudo in quibusdam Angliæ partibus (*a*) adhuc viget. Gavelkind (*b*) quæ præcipue in Cantia, sed etiam in aliis quibusdam Angliæ partibus adhuc viget, est tenura vi cujus omnes filii ad æqualem partem agrorum hereditario jure succedunt, agri propter feloniam patris ab herede non amittuntur et tenens agros suos per modum abalienationis qui feoffamentum [*feoffment*] appellatur, statim ac quintum decimum compleverit annum, alienare potest.

§ 3. *De tenura puri villenagii, ubi de maneriis et servis qui villani appellabantur agitur.*

272. Ut hæc tenura intelligatur annotandum est *manerium* [*a manor*] fuisse territorium Baronis, aut alterius viri principis. Ipse partem hujus territorii in proprium suum usum reservabat, quæ pars *terras dominicales* [*the demesne lands*] efformabat; reliquum vero territorium inter suos tenentes ab ipsis eorumque heredibus perpetuo tenendum distribuit, certis obligationibus quæ homines liberos non dedecebant impositis. Illi autem liberi tenentes esse dicebantur manerii [*the freeholders of the manor*]. Ex terris vero dominicalibus una pars in actuali occupatione domini retenta erat, ad mensam ejus supplendam; alia pars villanis concedebatur, a quibus reditus solvendus erat arare agros dominicales, et alia opera vilia et laboriosa ipsi domino præstare; alia denique pars inculta relinquebatur quæ pro viis publicis inserviebat, et etiam pascua communia domino et tenentibus suppeditabat. Ex territorio sic

(*a*) "The land is held in socage, but according to the custom it descends to the youngest son. In some places this peculiar rule of descent is confined to children, in others the custom extends to brothers and other male collaterals. It governs the descent of copyhold land in various manors." Cf. Steph. vol. 1., p. 216. n. t.

(*b*) De etymologia hujus vocis disputatur, sed probabiliter derivatur a verbis Anglo-Saxonicis, *gif* (gift), *eal* (all), et *kynd* (offspring), quia omnes filii ad æquales partes agrorum succedebant.

distributo *manerium* seu *baronatus* constabat; et unusquisque baronum a rege facultatem accepit curiam baronis [*a court baron*] tenendi, in qua crimina minora et *nocumenta* [*misdemeanours and nuisances*] judicabantur, et lites de proprietate dirimebantur. Maneria olim in Anglia nomine baronatus [*barony*] appellabantur, ubi tamen nunc nomen dominatus [*lordship*] obtinent. In Hibernia nomen baronatus adhuc retinetur. Olim unusquisque baronatus territorium principis indigenæ efformasse perhibetur. Nunc 252 baronatus in Hibernia numerantur. Quando plura maneria, ut sæpe accidit, ab uno domino possidebantur, is vocabatur dominus summus [*lord paramount*] non quidem absolute, quia hoc modo solus rex est summus dominus, sed comparatus cum aliis dominis inferioribus, et ejus ditio *honor* [*an honour*].

Ipsum nomen villani a verbo vilis derivari putatur, et ipsi villani qui præcipue ad dominos maneriorum pertinebant, duplicis erant generis, nempe ii qui manerio vel agris erant annexi, qui *regardant* appellabantur, et ii qui neque agris neque manerio sed personæ domini annexi erant, qui per factum [*by deed*] ab uno domino in alium transferri potuerunt; et hi villani *in gross* nominabantur. Liberi villanorum in eodem statu servitutis atque eorum parentes constituti erant, unde *nativi* dicebantur, ex quo nomen *neife* quo feminæ quæ in servitute natæ erant designabantur derivatur.

273. Quamdiu reges Anglo-Saxonici qui vocantur in Anglia imperium obtinebant, et per plura secula post victoriam Normannorum, magna pars incolarum servituti subjecta erat. Non solum nulla bona propria iis habere licebat, sed insuper ipsi homines et liberi sui ad dominum eodem quo bruta animalia titulo pertinebant, et illos per actionem sicut alia sua animalia recuperare poterat. Insuper si quis servam sine licentia domini duxisset actioni obnoxius erat propter rem domini ablatam. Qualibet pœna morte excepta illos afficere poterat dominus. "Illud erat a natura abhorrens" ait Gulielmus Malmsburiensis, p. 101, "quod multi ancillas suas ex se gravidas, ubi libidini satisfecissent, aut ad publicam prostibulum, aut ad æternum obsequium vendicabant." In canone 28 Conc. Londiniensis sub S. Anselmo, A. D. 1102 habiti statuitur: "Ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus homines in Anglia solebant, veluti bruta animalia venumdari, deinceps ulla tenus facere præsumat" (*a*). Et in Conc. nationali Hiberniæ Ardmachæ habita A. D. 1171, declaratur invasionem Normannorum tam Angliæ quam Hiberniæ effectam fuisse a Deo ad puniendum

(*a*) Ap. Wilkins. Concilia, tom. 1., p. 383.

iniquissimum commercium hominum: quia Hiberni olim Anglos non solum a mercatoribus, prædonibus, et piratis, sed etiam ab eorum parentibus, qui *integro eorum regno, communi gentis vitio*, filios proprios et cognatos in Hiberniam vendere consueverunt, emerunt passim, ubi ad servitutem redigebantur (*a*).

274. Et quamquam exhortationibus et exemplo ecclesiasticorum hominum servitus pedetentim abrogata est, conditio tamen eorum qui in servitute permanserunt vix melior facta est. In illa maxima seditione quæ orta est in Anglia, A. D. 1381, servi seu villani coegerunt regem Rich. II., ut chartam concederet vi cujus servitus penitus abolenda esset. Sed victis servis Charta auctoritate Parlamenti abrogata est. Attamen Rex ipse et magnus cancellarius archiep. Cantuariensis manumissioni servorum suffragati sunt; qua re sine dubio multi adducebantur ut libertatem servis suis largirentur. In Anglia saltem post victoriam Normannorum non servi sed villani [*villeins*] appellabantur, et eorum status non servitus sed villenagium. Satis verisimile est nomen a voce *vilis* derivari. Filii eorum dicebantur *nativi*, utpote servi nati, unde nomen *neife* quo feminæ quæ in conditione villanorum erant vocabantur.

275. Villani erant aut annexi ipsi manerio aut agro, ita ut ad ejus dominum quicumque esset pertinerent, et hi *villeins regardant* appellabantur; aut annexi erant personæ domini, et ideo ab illo ipsius arbitrio ad alium dominum transferri potuerunt, et hi *villeins in gross* dicebantur. Agellum quendam dominus villanis suis concedere consueverat ad suam atque familiæ sustentationem, propter servitia vilia quæ illi reddebant, et cum vellet illos his agris privare potuit. Decursu tamen temporis, quum plurimi domini villanos suos manumittebant, alii cœperunt eos benignius tractare, et non solum ipsis villanis concedebatur agros quos occupabant in vitam retinere, sed etiam illorum liberis in eosdem agros succedere usque adeo per multas ætates permittebatur donec ipsa libera agrorum concessio e memoria excideret. Quando hoc in aliquo manerio contigisset, villani agros suos ex consuetudine sive præscriptione, seu, ut verbis juris municip. utamur, *per copiam rotuli* acquirebant: quin imo servitiis consuetis præstandis hos agros etiam invitis dominis, ex jure consuetudinis manerii retinere licebat. Quamvis enim adhuc agros suos ex beneplacito domini retinere dicebantur, attamen dominus debebat consuetudinis rationem habere eique obsequi. Hæc consuetudo servata est et probata per rotulos curiæ cujusque manerii, in qua consuetudines

(*a*) Ap. eund., ibid. p. 471.

manerii in quo agri siti erant servabantur. Hæc curia *consuetudinis curia* [*the customary court*] dicitur, et omnino distincta est ab alia curia manerii quæ *baronis curia* [*court baron*] appellatur. Quoniam vero hujusmodi tenentes nullum titulum ad agros suos habuere præter hanc consuetudinem, cujus testimonio erant rotuli curiæ, quorum rotulorum *copias* villici manerii testimonio firmatas tenentes accepere, ipsi tenentes per copiam rotuli curiæ [*tenants by copy of court roll*] dicebantur, et ipsa tenura, tenura per copiam [*copyhold*] appellata est.

276. Sublato villenagio, tenura per copiam rotuli nullomodo abrogata est, et quoniam hæc tenura expresse per statutum 12 Car. II. retenta est, adhuc existit in maneriis. Agri qui hoc titulo possidentur nomine tenus pars agrorum dominicalium reputantur, et nomina tenentium inter eos qui agros suos ad beneplacitum domini possident in rotulis curiæ inscribuntur (*a*). Tenura per *copiam* non est liberum tenementum, quamquam agri hoc titulo possessi ad tenentem ejusque heredes in perpetuum pertinent; tum quia reditus erant viles ab initio, et constabant ex servitiis quæ hominem liberum dedecebant, tum etiam quia, postquam titulus consuetudine stabilitus erat, liberum tenementum apud dominum ex lege municip. permansit. Sed converti potest in liberum tenementum per factum domini quo transferat liberum tenementum ad eum qui per copiam curiæ tenet, aut per emancipationem de quo infra dicemus. Tenura per copiam, sicut aliæ tenuræ, obligationem fidelitatis inducit, et agri sic possessi ex consuetudine in plurimis maneriis eodem modo atque in libero socagio ad heredes transmittuntur. Sed in quibusdam *Gavelkind*, et in aliis *Borough English* prævalet. Tenentes etiam eschaetæ, et pœnæ agros propter crimina atrociora amittendi [*to escheat and forfeiture*] eodem modo atque in libero socagio subjiciuntur; et in quibusdam maneriis relevia sicut in socagio debentur. Multæ quoque quæ vocantur etiam plerumque domino debentur, et quando agri abalienantur, et quando heres in hereditatem succedit. Hæ aliquando ex arbitrio domini pendent, aliquando consuetudine determinantur; sed etiam quando quantitas multæ ex arbitrio domini

(*a*) *In manors there were two kinds of Courts, which were usually held at the same time—the court baron, of which the freeholders were the judges, and the customary court of the copyholders, in which the names and lands of those who held at the will of the lord, according to the custom, were inscribed*: cf. Stephen. vol. 1., p. 225. *A manor in its proper and perfect state still comprises both freeholders and copyholders, and a court baron as well as a customary court; but the jurisdiction of the customary court is not affected even by the extinction of the manor, through the failure of suitors to the court baron.*

pendet, tribunalia regni exigunt ut sit *rationabilis*, et eam nisi in peculiaribus circumstantiis, æquivalere duorum annorum reditibus agrorum, juxta eorum præsentem plenum valorem [*two years' improved value of the estate*] interpretantur. In hac tenura dominus nunquam jus aut tutelæ aut heredis matrimonium vendendi, ut in tenura servitii militaris, habuit. Alia incidentia hujus tituli sunt *heriota* [*heriots*] (*a*), quæ tamen aliquando domino debita sunt in tenuris liberi tenementi, et liberi tenementi consuetudinarii [*customary freehold*], de quo statim.

277. Heriota duplicis sunt generis, nempe servitium heriotum [*heriot service*], et heriotum juxta consuetudinem [*heriot custom*]. Priora sunt ea quæ debentur propter specialem reservationem factam quando agri tenenti concessi erant. Itaque non obligant totum manerium, sed aliqua solummodo *tenementa* specialia, et proinde supponitur heriota fuisse reservata domino ab initio, quamvis nullum aliud vestigium hujus reservationis inveniatur præter consuetudinem ea exigendi ex parte domini et solvendi ex parte tenentis. Posteriora non supponunt ullam reservationem in concessione tenementi a domino factam esse, sed consuetudine *generali* manerii omni hominum memoria antiquiore nituntur. Hæc consuetudo non necessario omnia manerii tenementa complectitur, sed complecti potest omnia sive sint libera sive juxta consuetudinem : et necessario ad omnia tenementa quæ ejusdem sunt rationis extenditur, puta ad omnia tenementa quæ eadem consuetudine nituntur. Est autem heriotum necessario catallum personale quod dicitur, sive animatum sive inanimatum, ut v. g. optimus equus, vel optima res personalis inanimata, qualis esset gemma, vas aureum vel argenteum tenentis, quod mortuo tenente, et re in specie ad beneplacitum domini determinata, statim ad dominum tanquam sua res pertinet. Aliquando, sed raro, heriotum non solum mortuo tenente sed occasione abalienationis agrorum domino debetur. Et quod satis mirum est, si tenementum ex quo dominus jus habet unum equum v. g. per modum herioti accipiendi dividatur inter plures qui tenent separatim, ita ut inter eos nulla sit fructuum atque emolumentorum connexio [*without connexion in point of interest*], multiplicantur heriota, et tot debentur quot partes distinctæ hereditamenti constitutæ sunt.

(*a*) Derivari dicitur, a voce Anglo-Saxonica *heregeat*, quæ componitur ex *here*, exercitus, et *geotan*, dare, et proinde ea significabat quæ domino a tenentibus dabantur ad bellum apparandum. Exigebantur juxta leges Canuti ab omnibus qui agros possidebant; liberi tenentes dabant equos, arma, villani jumentum ad agriculturam destinatum. Postea ea quæ mortuo tenente domino tenementi solvebantur, significabat.

Si vero postea partes inter se conjungantur, et ab uno suo nomine teneantur, unum tantum heriotum debetur. Nisi tamen tenens tempore sui mortis catallum quod ex consuetudine domino debetur, proprio jure possederit, dominus illud exigere nequit, ideoque catallum nunquam exigi potest quando moritur mulier nupta, quia catalla sua omnia personalia ad maritum pertinent. In aliquibus maneriis viget consuetudo qua certa summa pecuniæ loco catalli datur, et ubi talis consuetudo existit et dominum et tenentem obligat; sed quamvis dominus et heres tempore mortis tenentis possint sane convenire de summa pecuniæ vice herioti nunc solvendæ, attamen talis conventio eorum successores non obligabit. Heriotum non onerat ipsos agros, sed tantum bona et catalla. Hæc sunt incidentia quæ tenuram per copiam rotuli comitantur; sed abrogata servitute et villenagio, ipsa opera vilia in reditus pecuniarios conversa sunt.

§ 4. *De tenura villenagii privilegiati.*

278. Alia tenura erat villenagium privilegiatum in quo servitia quamvis *villina*, certa tamen erant et determinata. Hæc tenura antiquum dominicum [*ancient demesne*] dicitur. Agri enim quos dominus sibi retinuit, et quos vel immediate possidebat vel suis villanis, a quibus eos auferre poterat ad suum beneplacitum, concessit, ut jam diximus, *dominicales* (*a*) dicebantur, quo nomine ab iis quos tenentibus liberis dedit distinguebantur. Olim terræ dominicales regiæ, quæ vel in distributione agrorum in principis sustentationem reservatæ erant, vel quæ postea ob violatam fidelitatem [*forfeiture*] et aliis modis ipsi obvenerunt, late extendebantur, et plura maneria et *honores* quæ nunc a privatis dominis possidentur includebant. Tenentes regis in his maneriis, et idem dicendum est de tenentibus subditorum quibus maneria regia concessa erant, duplicis erant generis; quidam enim ex illis tenebant juxta *voluntatem domini* et per servitia non solum *vilia* sed etiam *incerta*; et hæc tenura vix a tenura puri villenagii discrepabat; neque est necessarium quidquam amplius de ea dicere. Alii erant qui ex agris suis ejici non potuerunt ad beneplacitum domini, quorum servitia, quamvis vilia, erant *certa*. Hi erant villani *privilegiati*, et eorum tenura erat villenagium privilegiatum; etiam tenentes in dominico antiquo dicebantur. Quidam scriptores putant priores quoque tenentes regis in dominico antiquo tenere dictos esse (*a*),

(*a*) Etymologia vocis incerta est. Cf. Steph. v. 1., p. 220.

sed si hoc verum sit, saltem posteriores soli prædiorum suorum tenura privilegiata et a tenura quam ceterorum dominorum villani habebant prorsus diversa potiebantur. Attamen titulus villanorum privilegiatorum non erat perfectus usquedum dominus aut propria sponte aut testimonio compulsus admisit illos fuisse tenentes in dominico antiquo, et ideo non simpliciter tenentes in *dominico regis* sed in ejus dominico antiquo dicebantur. Hi enim agri vel a rege ipso vel ab ejus antecessoribus, ab antiquo regis dominico erant separati et liberati. Hinc etiam villani privilegiati dicebantur tenere *juxta consuetudinem manerii*, sed *non ad voluntatem domini*. Multis etiam gaudebant privilegiis, quale erat habere curiam propriam quæ curia *antiqui domanii* dicebatur, in qua lites de eorum possessionibus diremptæ erant; liberi erant a vectigalibus et a contributionibus ad solvendas expensas equitum comitatus [*knights of the shire*], neque ad munia juratoris suscipienda cogi poterant. Opera etiam debita, ut arare agros domini per tres dies singulis annis aut certam quantitatem frumenti illi suppeditare, &c., certa et determinata erant. Hæc munia nunc in reditus pecuniarios convertuntur; et proinde dubitari non potest quin ipsi tenentes liberum tenementum [*the freehold*] possideant, qua in re etiam hæc tenura discrepat a copia rotuli, in qua liberum tenementum pertinet ad dominum. Attamen in 12 Car. II., in tenura per copiam includitur.

279. Datur etiam tenura in multis Angliæ partibus quæ similis est antiquo dominico in hoc quod quamvis pendet ex consuetudine manerii, et ejus probatio ex curiæ rotulis deducenda est, attamen tenentes qui his agris potiuntur, quamvis non immediate a rege sed ab aliis dominis tenent, declarantur in rotulis tenere juxta consuetudinem manerii, sed non ad beneplacitum domini. Consuetudines quæ spectant modum quo agri hac tenura possessi hereditario jure transmittuntur valde diversæ sunt; sed incidentia similia sunt iis quæ in communi tenura per copiam rotuli obtinent. Hæc tenura liberum tenementum per consuetudinem [*customary freehold*] dicitur. Quamvis vero in tribus ultimis tenuræ speciebus quædam sunt varietates, ex quo tamen lata est lex 12. Car. II., omnes illæ species communi nomine tenuræ per copiam appellantur. Et per statuta subsequentia tenentes per

(*a*) Ita omnes tenentes regis appellari videntur in Doomsday Book, in quo agri Angliæ, eorum domini, tenuræ, &c., describuntur. Nomen libri scribitur etiam Domes-day, et probabiliter *domum Dei* significat, a loco in quo servabatur, scilicet in ecclesia Westmonasteriensi aut Vintonensi. Hic liber confectus est in vigesimo anno regni Gulielmi I., A. D. 1086.

copiam rotuli æquiparantur iis qui habent libera tenementa in omnibus quæ pertinent ad officium juratorum suscipiendum, et ad jus suffragium ferendi in senatoribus populi eligendis.

280. Prædictæ tenuræ laicæ [*lay tenures*] dicuntur, non quod a clericis agri per hos titulos non possint possideri, sed quia sunt omnibus civibus communes, et si agri a clericis per hos titulos possideantur, non ad eos pertinent qua clerici sunt, sed qua membra sunt reipublicæ. Alia autem est tenura *in libera eleemosyna* [*free alms*, or *Frankalmoign*] dicta ecclesiæ virisque ecclesiasticis exclusive propria. Definiri potest tenura qua corpus religiosum [*a religious corporation*], sive ex multis sive ex una constat, agros a donatore ejusque heredibus tenendos in perpetuum pro se et suis successoribus acceperit ea conditione ut missas celebret, et preces pro animabus ipsius donatoris, ejusque antecessorum et heredum vivorum atque defunctorum funderet. Nullum fidelitatis juramentum propter hanc tenuram emittebatur; fidelitas enim in hoc erat altioris ordinis utpote Deo debita. Etiam ab aliis omnibus obligationibus et contributionibus excusabantur qui hoc titulo tenebant, i. e. clerici, excepta *trinoda necessitate*, vias publicas reparandi, castella ædificandi, et incursionem hostium repellendi. Si servitia non erant adimpleta, lex comm. municip. nullum suppeditabat remedium, et solummodo ad ordinarium sive superiorem ecclesiasticum recurri poterat. Hac tenurâ omnia antiqua monasteria et domus religiosæ, omnes episcopi, et fere omnes parochi agros suos tenebant. Hoc etiam titulo adhuc plures clerici Anglicani et institutiones in pauperum gratiam dotatæ [*charitable foundations*] agros suos possident. Num vero precantur, aut missas offerant juxta voluntatem piorum fundatorum ipsi viderint. Hæc tenura ab aliis in hoc omnino diversa est, quod nullomodo naturam feudi participat, sed est omnino spiritualis. Sed quamvis hæc tenura per statutum 12 Car. II., non est abrogata, nulli agri hoc modo concedi de novo poterant ab an. 18, Edv. I., nisi ab ipso rege. Per statutum enim famosum "*quia emptores*" nullus subditus agros a seipso in perpetuum tenendos in posterum concedere potuit. Sed tenura per liberam eleemosynam necessario est perpetua, et a donatore ejusque heredibus agri teneri debent. Itaque ab illo tempore agri hoc titulo a subdito invalide concederentur. Hæc tenura a tenura *per divinum servitium* discrepabat, in qua tenentes ad certa servitia obligabantur, ut ad certum numerum missarum celebrandum, aut ad officia defunctorum certis temporibus peragenda, et propter hæc omissa potuit donator, vel ejus heres, etiam absque interventu visitatoris ecclesiastici, bona delinquentis occupare. De his tenuris ecclesias-

ticis nihil amplius interest dicere; possessiones enim hac tenurâ stabilitæ ad objecta non solum aliena, sed quæ expresse contraria sunt menti piorum fundatorum abstractæ sunt, et ad sustentandam novam religionem, de qua nunquam audierunt, quam si cognovissent ex imo corde detestati fuissent, iniquis legibus adhibitæ sunt.

281. Manent ergo jam duæ aliæ tenuræ quibus possessiones corporales immobiles omnes a suis dominis tenentur, nempe tenura liberi socagii, seu ut communius appellatur tenura liberi tenementi [*freehold tenure*]; et tenura per copiam [*copyhold*]; et primo agemus de possessionibus quæ per modum liberi tenementi tenentur, quia hæc tenura est omnino principalior ut ex dicendis patebit. Ex dictis patet tenuram communem per copiam esse vilem [*a base tenure*]. Et hic inquirendum est de natura status [*the nature of the estate*] quem quis habere potest in rebus immobilibus quæ ad eum per liberam tenuram pertinent.

DISPUTATIO SEXTA DECIMA.

DE DIVERSIS SPECIEBUS DOMINII QUÆ IN BONIS EXTERNIS SEU FORTUNÆ HABERI POSSUNT. QUID REQUIRATUR AD STATUM SECUNDUM EJUS LEGALEM SIGNIFICATIONEM CONSTITUENDUM? DE DIVISIONE STATUUM IN LEGALEM ET ÆQUITABILEM. DE STATIBUS LIBERI TENEMENTI HEREDITARIIS. DE FEUDO SIMPLICI ABSOLUTO.

282. *Status* [*an estate*] non restringitur ad res immobiles, sed res etiam mobiles personales, seu aliis verbis catalla tam realia quam personalia comprehendit. Unde dividitur in *immobilem*, qui agros, tenementa et hereditamenta quæ per tenuram liberi tenementi possidentur complectitur; et *personalem*, qui omnem aliam proprietatem comprehendit. Status ergo hominis in agris significat lucrum et commodum quæ ex iis derivat. Ad statum rite intelligendum tria considerari debent: 1. quantitas commodi [*the quantity of interest*] quod tenens in tenemento habet; 2. *tempus* in quod hoc emolumento potiri debet; et 3. *numerum* et *connexionem* tenentium. De secunda et tertia quæstione postea agetur, sed interim observandum est, secundam non respicere tempus per quod quis jus habet statu suo jam possesso fruendi (hoc enim ad quantitatem pertinet); sed varios alios modos [*modifications*], ut per tallium [*by entail*], qui in constitutione statuum introducuntur, et præsertim naturam statuum quorum fruitio alicui nonnisi in futuro adnectitur. In prima quæstione agitur tantum de statu in possessione aut actuali, aut qui jure presentis possessionis ad aliquem pertinet, quamvis alter agros actu, sed injuste detineat, cujus possessio nuda [*naked possession*] dicitur. In secunda agitur quidem de variis modis statuum in possessione excepta duratione, sed præcipue de statu quem quis actu non possidet, et cujus jus ad hunc statum non est in præsenti sed in futuro. Itaque 1. agendum est de quantitate status quem quis habet in agris quos actu possidet, aut possideret nisi per alterius injustitiam prohiberetur.

§ 1. *Quid requiratur ad statum constituendum secundum legalem hujus vocis significationem. De divisione statuum in legalem et æquitabilem. De statibus liberi tenementi hereditariis* [*of freehold estates of inheritance*]. *De natura status quem quis habet in agris qui in feudo simplici absoluto tenentur.*

283. Quamvis quis statum habere potest non solum in agris et hereditamentis quibus nunc potitur, sed etiam in iis quibus potiri debet in aliquo tempore futuro, attamen nuda possibilitas succedendi ad agros absque præsenti aliquo commodo statum non constituit. Hinc expectatio filii natu maximi ad hereditatem paternam succedendi, de qua pater libere disponere potest, statum non constituit sive in possessione sive in expectatione [*in expectancy*]. Sed si hereditamentum ad heredem *necessario* pervenire debet in aliquo tempore futuro, vel absolute, ut si hereditas sit Petro ejusque heredibus ligata post mortem Joannis præsentis possessoris; vel *contingenter*, ut si agri ad Petrum ejusque heredes revertentur, deficientibus heredibus corporis Caii præsentis possessoris, habet Petrus statum in hoc hereditamento, et de eo hic et nunc disponere potest per factum [*by deed*]. Ratio est quia quamvis ipsos agros non possidet neque habet statum in possessione in illis, hic et nunc possidet jus illis agris postea fruendi, et de illo jure hic et nunc disponere potest. Mera vero potestas disponendi de hereditamento, ut si quis per testamentum potestatem concedat suis executoribus agros vendendi in commodum alterius, statum non confert : et idem dicendum est de licentia ad nutum revocabili re aliena fruendi, ut si quis suam domum alteri det inhabitandam ea conditione ut decedat statim ac dominus voluerit.

284. Status præcipue dividuntur in *legales* et *æquitabiles* [*legal and equitable*]. Ille habet dominium legale *tantum* ad quem ipsius rei dominium pertinet, cujus omnia lucra et emolumenta ad alium pertinent. Ille autem ad quem lucra et commoda pertinent statum æquitabilem possidet. Sic si agri abalienentur Caio ea conditione ut eorum lucra et emolumenta ad Petrum pertineant, Caius habet statum legalem quamvis nullum commodum ex his agris derivabit; status vero æquitabilis ad Petrum pertinet. Sed infra suo loco de fideicommissis agetur. Plura etiam in proœmio de hac materia diximus ubi discrimen inter legem et æquitatem exposuimus. Interim unum et alterum exemplum status legalis et æquitabilis proferre juvat. Sic in *vado mortuo* [*mortgage*], quando Caius v. g. mutuatur mille nummos a Petro cui abalienat

suos agros ea conditione ut si ad diem dictum pecuniam solverit, Petrus agros ipsi iterum abalienare teneatur; Petrus vi abalienationis instrumenti dominus est status legalis absolute, sed in Curia Cancellaria Caius adhuc dominium status retinet, et salvo vado mortuo de eo disponere potest eodem modo ac si eum non abalienasset. De vado mortuo suo loco agetur. Iterum quando contractus validus de venditione agrorum initur, emptor statum æquitabilem in his agris statim acquirit, non autem habet statum legalem donec instrumentum abalienationis conficitur. Hoc autem confecto habet statum et æquitabilem et legalem; priorem per contractum, posteriorem per abalienationis instrumentum, nisi aliqua sit causa specialis quare hoc non fiat. Si enim Petrus emeret agros Pauli, pretium solveret, et instrumentum abalienationis acciperet, sciens tamen Paulum mille libras a Jacobo mutuas accepisse, et vadum mortuum [*a mortgage*] super hos agros ipsi Jacobo modo solenni tradere promisisse, quamvis Petrus totum statum legalem acquireret, attamen non haberet totum statum æquitabilem, et curia æquitatis cogeret eum vadum mortuum Jacobo exequi. Si vero Petrus agros emeret bonâ fide, nihil de promissione vadi mortui cognoscens, non solum statum legalem per abalienationis instrumentum, sed et totum statum æquitabilem per contractum acciperet. Est enim regula quæ semper observatur quod nullus recursus ad æquitatem patebit contra *bonâ fide* emptorem, qui tempore quo rem aliquam pretio æstimabile [*for valuable consideration*] emerit, obligationem venditoris *in conscientia* rem venditam alteri obligandi aut etiam vendendi ignoraverit. Ignorantia vero non liberat emptorem ab obligationibus *legalibus*, ut si vadum mortuum executioni mandatum fuisset tempore venditionis, et hoc per negligentiam aut fraudem sui advocati ignoraverit emptor, sed liberat eum, et hæc dispositio tuto in conscientia servari potest, ab omnibus obligationibus, quæ a solis curiis *æquitatis* et non a curiis *legis*, cognoscuntur. Hæc in præsentiarum sufficient, quia plura in decursu de statibus æquitabilibus tractanda sunt. Status de quibus nunc agimus sunt status legales.

285. Revocandum est in memoriam quod alibi diximus de discrimine inter ipsa objecta dominii et status quos quis in his objectis habere potest. Agri objectum corporale immobile dominii constituunt, sed status quem quis ex his derivat, potest non esse immobilis [*real estate*], sed inter catalla immobilia [*chattels real*] numerari. Hoc autem pendet ex *duratione* status. Si enim agri ex quibus status derivatur, ad *dominum ejusque heredes in perpetuum pertinent, vel etiam durante ejus vita propria aut durante vita alicujus alterius hominis, et si tenura est libera*, hic status est *libe-*

rum tenementum [*a freehold estate*]. Si vero ejus dominium post aliquod certum temporis spatium, etiam post mille annos, terminari debet, ejus status inter catalla computatur. Ad constituendum ergo statum liberi tenementi, tria requiruntur: 1. ut res seu objectum in quo status habetur sit *immobile*, id est ager; 2. ut tenura non sit *vilis* [*base*] sed *libera*; 3. ut pertineat ad ipsum tenentem ejusque heredes in perpetuum, aut saltem ad ipsum in spatium suæ ipsius vitæ, aut vitæ alicujus alterius. Quoniam autem hic non loquimur de tenura per copiam, sed solummodo de tenura liberi socagii, et proinde de agris qui per tenuram *liberam* possidentur, nihil amplius de hac conditione dicendum est; quia semper adest. Itaque de tertia conditione, id est de *quantitate* status seu de temporis spatio per quod agri possideri debent ut liberum tenementum constituant, nunc agendum est. Quoniam vero quis libero tenemento potiri potest vel in perpetuum vel in vitam solummodo, ideo hoc sub respectu status qui per modum liberi tenementi possidentur [*freehold estates*] in status *hereditarios* et non *hereditarios* [*estates of inheritance, and estates not of inheritance*] dividuntur (*a*).

286. Status hereditarius est ille *qui nisi tenens de eo vel durante vita vel per testamentum disposuerit, per ipsius legis dispositionem, ad ejus heredes,* qui jure sanguinis et per ordinem stabilitum successionis ejus personam gerunt, in perpetuum transmittitur. Dicitur status transmitti ad *heredes* potiusquam ad *posteros,* quia inter eos cui status hereditarius transmitti potest, etiam majores numerantur. Et in hoc etiam liberum tenementum hereditarium [*a freehold estate* (*b*) *of inheritance*] differt a statu quem quis post mortem etiam in catallis immobilibus [*chattels real*], id est in agris quos in certum annorum numerum possidebat relinquit, quod hic ad executorem sive administratorem, ille ad heredem transit. Alia verba definitionis infra explicabuntur.

287. Status hereditarius aliis verbis status in feudo [*an estate in fee*] dicitur. Jam antea exposuimus feudum fuisse in principio statum stipendiarium quem vassallus propter quædam servitia a domino tenebat. Hoc sensu feudum opponitur allodio seu dominio absoluto et independenti agrorum. Solus Rex apud nos allodium totius regionis possidet, et omnes agri a rege tenentur sive mediate sive immediate, saltem per fidelitatis [*fealty*] obligationem

(*a*) "*Tenant in fee, tenant in tail, and tenant for life, are said to have a frank tenement, a freehold, so called, because it doth distinguish it from terms of years, chattels upon uncertain interests, lands in villenage, and customary or copyhold lands.*" Coke on Littleton, 43 *b*.

(*b*) Stephen. tom. 1., p. 287.

et juramentum. Etenim unusquisque vassallus juramentum fidelitatis erga dominum a quo agros suos tenebat emittere obligabatur. Si ille erat supremus dominus [*the lord paramount*] ad quem allodium agrorum pertinebat, vassallus ipsi contra omnes homines fidelitatem promisit. Hujusmodi feudum, feudum *ligium* [*a liege fee*], vassalli homines *ligii* [*liege men*], et dominus, *dominus ligius* [*liege lord*] dicebatur. Vi hujus juramenti domino suo ligio contra omnes homines fidelitatem promisit, ne principe quidem excepto, nisi tamen alios agros tenebat ab alio domino qui etiam eorum allodium possidebat, et similem fidelitatem erga ipsum juraverat; quia contra neutrum horum militare poterat. Si vero dominus a quo vassallus agros tenebat, eorum allodium non possidebat, et proinde erat et ipse vassallus domini superioris, cui juramentum fidelitatis emittere tenebatur; sane vassallus inferior ad fidelitatem erga dominum inferiorem contra ipsius domini inferioris dominum superiorem obligari non poterat; et in juramento fidelitatis hujusmodi domino inferiori dato dominus superior non raro nominatim excipiebatur.

288. Apud nos ligium homagium deberi non potest ulli subdito a quo agri tenentur, quia nullus subditus habet allodium, sed solummodo fidelitatis juramentum [*fealty*], quod contra principem, dominum superiorem agrorum ipsorum obligare non potest. Domini vero inferiores qui immediate a principe tenebant juramentum *homagii ligii* ipsi jurare tenebantur. Hoc juramentum itaque ab initio fundatum non est in justitia legali, id est in obligatione *subditi erga principem*, sed in justitia commutativa; erat enim aut totus reditus aut pars ejus quem vassallus domino pro agris sibi concessis domino præstabat. Sed quoniam juramentum ligium [*the oath of allegiance*] quod soli principi, et fidelitatis quod dominis agrorum inferioribus a tenentibus debebatur, omnino in desuetudinem abierunt, et a tenentibus nunquam a multis seculis exiguntur, juramentum ligium primam suam significationem amisit, et nunc nullatenus significat obligationem tenentis erga dominum suorum agrorum in justitia commutativa fundatam, sed obligationem subditorum erga principem. Nunquam nunc exigitur hac ratione juramentum homagii ligii quod quis immediate a principe agros suos teneat; quando etiam ab iis requiritur hoc fit propter rationes omnino diversas; sicut et ab aliis qui nullos agros a principe, aut etiam ab ullo alio tenent, requiritur.

289. Quoniam itaque obligatio juramentum homagii ligii præstandi principi propter agros non amplius existit nisi solo nomine, feudum [*fee*] non intelligitur nunc prout opponitur allodio, neque eo nomine utuntur jurisperiti ad statum stipendiarium, sed ad

statum hereditarium designandum. Itaque habere feudum agrorum, idem est atque illos jure hereditario possidere. Hoc sensu ipse rex dicitur regnum in feudo possidere [*to be seised of the crown in fee*], quamquam a domino superiore non tenet, et verba illa *in feudo* solummodo statum ejus hereditarium exprimunt. Feudum hoc sensu intellectum duplex est, nempe feudum simplex [*fee simple*] et feudum talliatum [*fee tail*]. Status in feudo simplici, qui sæpe, sed minus proprie status in feudo [*an estate in fee*] sine verbo *simplici* nominatur, est ille quem tenens ita possidet ut nisi de eo aliter disponat, ad ejus heredes tam mares quam feminas, in linea tam recta quam collaterali in perpetuum descendat. Status in feudo latius patet, quoniam ex dictis omnem statum hereditarium etiam talliatum [*entailed*] comprehendit. Non potest quis agros suos vendere aut donare alteri per modum feudi simplicis *a seipso tenendos,* id est per modum *subinfeudationis;* hoc enim reprobatum est per statutum famosum *Quia Emptores* (18 Edv. I., c. 1), A.D. 1289. Ab illo tempore qui acquirit agros per modum feudi simplicis, eos tenere non potest a domino a quo immediate concessi erant, nisi ipse sit dominus supremus, sed a proximo domino supremo [*the next lord paramount*], a quo ipse dominus qui agros alienat eos immediatè tenebat, et nisi eos habet novus tenens iisdem conditionibus quibus ipse dominus inferior a domino supremo eos possidebat. Quando itaque, ut nunc plerumque accidit, ostendi non potest quod agri qui per modum feudi simplicis abalienantur, sub aliquo subdito, tanquam eorum domino supremo tenentur, sub rege immediate teneri reputantur servitio fidelitatis quod hodie verbo tantum existit(*a*). Ad naturam feudi simplicis omnino pertinet quod tenens potest illud aut omnino aut, si ita placet, ex parte alienare. Si dominus totum feudum alteri transferat, ille alter feudum simplex pro se suisque heredibus possidet, eodem modo quo ad priorem dominum pertinebat. Si vero per locationis codicillum, v. g. in viginti annos, aut in vitam

(*a*) "Since the Statute *Quia Emptores* the vendor or grantor of land in fee simple has no longer been able to convey it to be holden of himself, but the grantee must take it to hold of the same seigniory to which the fee immediately belonged when the Statute passed, unless something should have since occurred to alter the tenure. Where, from the lapse of time, no badge of tenure under any subject can now be traced, the land will be considered as holden immediately of the Crown, and by the service of mere fealty; which is the least and lowest service the law can create, and which, being now never exacted, has become a mere nominal obligation. But in many instances a private lord can still be shown to be entitled to the immediate seigniory; the ultimate one being in all cases vested in the sovereign." Step. vol. 1., p. 240.

unius aut plurium agros concedat, feudum simplex dominus adhuc retinet, et elapso tempore ad concessorem ejusve heredes agri sic concessi revertentur.

290. Plerumque verbum *heredes* ad *feudum simplex* conferendum necessarium est. Si enim in instrumento quo agri abalienantur, declaratur quod Petro *in perpetuum*, aut Petro iisque qui in ejus bona et possessiones vel facto [*by deed*] vel dispositione legis successuri sunt [*his assigns*], in perpetuum traduntur, illos nonnisi durante propria vita sua possidebit, ipsoque mortuo ad eum a quo abalienata erant ejusve heredes revertentur. Si vero agri Petro ejusque heredibus concedantur, Petrus illos per modum feudi simplicis accipiet. Hæc vero regula de necessitate exprimendi verbum *heredes* solummodo tenet quando agri per *factum* [*by deed*] abalienantur, non autem quando per testamentum alicui legantur. Namque curiæ [*the courts*] verba testamenti secundum mentem et intentionem testatoris interpretantur, et ideo tenent, "That by a devise to a *man for ever, or to a man and his assigns for ever, or to a man in fee simple, even though the word heir was omitted, an estate of inheritance, and not a mere life estate, was vested in the devisee. But if the devise were to a man and his assigns, without words of perpetuity, it was held at one time that this conferred only a life estate. But now by* 1 *Vict. c.* 26, *sect.* 28, *it is provided that where any real estate shall be devised without words of limitation, it shall be construed to pass the whole interest of which the testator had power to dispose, unless the contrary intention should appear by the will*" (*a*). Ex dictis satis intelligitur Petrum ad quem agri sic transferuntur feudum [*the fee*] habere, illosque pro se suisque heredibus possidere. Feudum vero erit simplex si agri ita abalienantur ut ad omnes heredes Petri tum mares tum feminas, in linea tum recta tum collaterali secundum legem hereditatis descendant. Feudum simplex est aut *absolutum* aut *qualificatum*. Prius est illud in quo nulla datur reversio aut residuum [*reversion or remainder*] alienis, sed agri qui sic tenentur absolute et semper ad Petrum ejusque heredes pertinebunt. Posterius est illud in quo agri ad Petrum ejusque heredes semper pertinere possunt, ita tamen ut quodam casu eveniente ab iis amittantur. Ad feudum simplex absolutum constituendum duæ requiruntur conditiones: 1. ut agri ad omnes heredes tum mares tum feminas, tum in linea recta tum collaterali, descendant, quæ conditio in omni feudo simplici requiritur; et 2. ut nullus sit casus quo eveniente a Petro ejusve heredibus deperdantur, sed semper

(*a*) Cf. Steph. vol 1. p. 243.

ad heredes quamdiu existent descendant. Ad feudum qualificatum constituendum duæ quoque requiruntur conditiones: 1. ut agri ita teneantur ut possint Petro ejusque heredibus, tum maribus tum feminis, tum in linea recta tum in collaterali transmitti; et 2. ut quodam casu eveniente deperdi possint. Non ideo tamen feudum est qualificatum quia reditus ex agris qui a Petro pro se suisque heredibus tenentur solvendus est. Attamen si reditus reservatus ad quartam partem annui pretii agrorum, eo tempore quo abalienati erant pertingat, illi agri per modum feudi-firmæ [*fee-farm*] teneri dicuntur, et ipsi reditus feudi-firmæ reditus [*fee-farm rent*] nominantur. Verbum Saxonicum *farm* seu *feorme*, cibaria [*provisions*] significat, et quia antiquitus reditus non in pecunia sed ex frumento, &c. reddebantur, ideo ipsi reditus *firma* [*farm*] appellabantur, et is qui ex suis agris reditus solvere tenebatur *firmarius* [*farmer*]. Nunc autem *firma* significat ipsos agros quos domini plerumque locant firmariis qui reditus solvere tenentur. Quando agri per modum feudi simplicis alicui abalienantur, reservato reditu qui saltem quartam partem annui pretii adæquat, propter magnitudinem reditus per modum firmæ locari dicuntur. Sed quoniam tenenti ejusque heredibus in perpetuum abalienantur, is feudum simplex absolutum possidet; ipsi enim tenenti ejusque heredibus omnibus absque ullo residuo aut reversione traduntur. De feudo simplici absoluto satis dictum est; de feudis vero simplicibus qualificatis paulo fusius agendum est.

§ *De ceteris statibus liberi tenementi hereditariis; id est de feudis simplicibus humilibus* [*base fee*], *et de feudibus simplicibus conditionatis, necnon et de feudibus talliatis* [*estates in fee tail*] *agitur.*

291. Feudum simplex itaque est vel absolutum vel non absolutum, quod quodam casu adveniente terminari possit; et feudum simplex non absolutum dividitur in *humile* et *conditionatum*. Hæc divisio secundum jurisperitos non pertinet ad *quantitatem* seu durationem status, sed ad ejus qualitatem; quia illi censent feudum simplex humile et conditionatum, quoad quantitatem feudo simplici absoluto æquivalere (*a*). Sed revera hoc verum

(*a*) "Estates in fee simple are divided into three sorts: 1. *fee simple absolute* (that is, free from all qualification or condition); 2. *fee simple qualified* or *base*; 3. *fee simple conditional*—a division that relates, it is to be observed, to the *quality*, not to the *quantity* of the estate; for it is laid down by Lord Coke that, in the latter respect, both fees qualified and fees conditional are equivalent to fees simple absolute." Steph. vol. 1. pp. 243-4.

est solummodo ex fictione juris, quia feudum simplex rite et adequate dividitur in absolutum, quod semper et in omni casu domino ejusque heredibus adnectitur, et non absolutum, quod quodam casu adveniente terminari et ad alienos transire potest. Omne vero feudum simplex non absolutum, sive humile sive conditionatum, revera pendet quoad durationem a conditione non suspensiva, quia hic agimus de statibus in possessione, sed a resolutoria; id est agri qui hoc titulo possidentur domino suo ejusque heredibus indefinite et sine limitatione adnectuntur, attamen quodam casu adveniente nexus inter dominum et hos agros rumpi potest, et sic ad alienos transibunt. Statim videbimus status hereditarios dividi in eos in quibus agri transmittuntur per modum feudi simplicis, et in eos in quibus per modum feudi truncati seu *talliati* [*fee tail*], cujus natura infra exponetur. Hic sufficit dicere agros qui per modum feudi talliati tenentur, non ad omnes sed ad aliquos tantum domini heredes, v. g. ad ejus liberos eorumque posteros descendere, quibus deficientibus ad eum a quo concessi erant ejusve heredes revertentur. Feudum simplex non absolutum derivari potest aut a feudo simplici absoluto, aut a feudo talliato.

292. Ex feudo simplici absoluto derivari potest feudum simplex non absolutum duplici in modo: 1. per modum conditionis, ut si Petrus agros suos quos in feudo simplici possidet, Caio per modum vadi mortui [*mortgage*] abalienet ea conditione ut si Caio mille libras quas mutuatus est solvat, agri rursum Petro abalienentur, Caius hos agros per modum feudi simplicis conditionalis acquirit. Hos enim acquirit pro se suisque heredibus omnibus, et hereditas esse potest perpetua, quia fieri potest ut Petrus debitum nunquam soluturus sit. Attamen Caius in lege municip. ante diem statutum in solutionem debiti non appellatur tenens in feudo simplici conditionali, sed tenens in vado mortuo (*a*) [*tenant in mortgage*]; et *feudum simplex conditionale juris com.* [*a conditional fee simple at common law*] diversam omnino habet significationem, ut statim videbimus. Alius modus derivandi feudum simplex non absolutum a feudo simplici absoluto, est quando agri per modum feudi humilis [*base fee*] tenentur. Hic modus agros tenendi locum habet quando Petrus Caio ejusque heredibus tenentibus *manerii* (i. e. sedis unius de principibus), v. g. de Maynooth agros abalienat. Est feudum simplex quia ad Caium ejusque heredes generales descendet; et potest esse perpetuum. Attamen est feudum non absolutum sed humile, quia quandocumque heredes Caii desinent esse heredes hujus manerii, agri ad heredes Petri

(*a*) De vado mortuo infra agetur.

revertentur. Feudum simplex non absolutum etiam derivari potest a feudo truncato seu talliato. Quemadmodum tenens in tallio possit de suo statu disponere infra dicetur. Hic suppono Petrum successisse in statum *talliatum* [*to an estate tail*], eumque valide vendidisse Caio, ita ut seipsum suosque omnes posteros ab illo statu excluserit, non autem illos quibus, posteris suis extinctis, status per modum residui aut reversionis pervenire debet. In hoc casu Caius feudum simplex non absolutum accipiet. Erit feudum simplex quia agri ad ejus heredes generales descendent, et potest esse perpetuum, quia fieri potest ut Petrus posteros semper habiturus sit. Attamen illis deficientibus agri a posteris Caii amittentur. Hoc feudum etiam humile seu bassum appellatur.

293. Mentionem fecimus alterius feudi non absoluti, quod feudum conditionatum juris com. appellatur. Hoc feudum sic constitutum erat. Quando agri Petro ejusque heredibus non generalibus sed quibusdam specialibus concessi erant, ut ejus heredibus *corporis*, quo omnes in linea collaterali exclusi erant, aut heredebus corporis masculis, quo etiam filiæ a successione arcebantur, quamvis per *formam* donationis hoc feudum erat heredi addictum, et tenenti in tallio nonnisi durante propria sua vita concessum erat, attamen quoniam ex hujusmodi restrictionibus quæ liberæ abalienationi agrorum obstabant, innumera mala orta sunt, judices talem formam donationis feudum simplex conditionatum constituere interpretabantur. Id est, feudum simplex accepit Petrus, ea tamen conditione, ut nisi heres ipsi nasceretur, agri ad auctorem doni ejusve heredes reverterentur. Nato autem herede conditio impleta erat in ordine ad tres effectus, nempe 1. ut tenens posset agros abalienare, et sic excludere non solum heredem, sed et eum ad quem, ex forma donationis, agri deficiente herede reverti deberent; 2. ut posset a feudo excidere [*forfeit the lands*] propter crimen perduellionis; namque antequam heres natus esset a feudo excidere non poterat nisi durante propria vita; 3. ut posset onera in agros imponere quæ etiam heredem obligarent. Si vero tenens quamvis heres natus fuisset agros non abalienasset, et tum ipse tum heres morerentur, agri ad auctorem doni reverterentur. Ideo qui agros hoc modo tenebat, statim atque heres natus esset, quo conditio adimpleta est, illos abalienavit alicui a quo statim iterum domino feudi conditionati in feudo simplici absoluto abalienati erant. Interpretatio vero judicum vi cujus hereditas quæ ad certos heredes, ad quos necessario pervenire debebat coaretata erat, modo jam dicto ab his restrictionibus liberata erat, per notissimum statutum Westmonasteriense *de Donis conditionalibus* (13 Edv. I., stat. 1. c. 1.) abrogata est. Per hoc or-

dinatum est ut in posterum voluntas auctoris doni servari deberet secundum formam in charta donationis expressam, et ut feudum concessum Petro et heredibus corporis ejus aut heredibus masculis ejus corporis, ad tales heredes descenderet, non obstante abalienatione tenentis, et heredibus corporis aut masculis corporis Petri heredibus extinctis, agri ad auctorem doni ejusve heredes reverterentur. Talis status appellatur status *in feudo talliato* aut breviter *status talliatus* [*an estate* in *fee tail* or *an estate tail*], et divisam et truncatam hereditatem significat (*a*). Itaque quando Petrus, v. g. accepit agros pro se et heredibus sui corporis, propter statutum prædictum judices statuerunt ipsum non amplius feudum simplex conditionatum possidere, sed feudum simplex permansisse apud auctorem doni ad quem deficientibus heredibus corporis donatarii agri reverti debebant, Petrum vero hereditatem inferiorem quam feudum talliatum nominarunt accepisse (*b*). Hoc statuto omnino mutata erant jura donatoris et donatarii status talliati. Commodum quod retinuit Petrus in agris quos Paulo ejusque heredibus corporis donavit, quamdiu hæc donatio ut feudum simplex conditionatum reputabatur, ut mera *possibilitas* habitum est, et quando heres Paulo natus erat, jus Petri potuit omnino extingui. Post statutum Petrus censetur eam partem feudi quam non abalienavit retinere, et proinde commodum fixum et determinatum [*a vested interest*] in agris habere; ita ut agri ad ipsum ejusve heredes deficientibus heredibus corporis Pauli, certo revertantur. Jus quoque donatarii omnino mutatum erat, non solum quia nullo modo potuit feudum simplex acquirere, sed insuper quia in rei veritate ne hereditate quidem talliata potitus est. Equidem si Paulus tenens in feudo talliato statum suum Caio ejusque heredibus abalienasset, Caius feudum simplex humile accepisset pro se suisque heredibus generalibus quamdiu Paulus heredes corporis haberet. Sed Paulo mortuo ejus heredes Caium ex agris statim ejicere potuerunt. Itaque hereditas talliata revera non erat in Paulo, quoniam de ea disponere non potuit, sed is erat simpliciter tenens agrorum per vitam, et hereditas in ipso suisque om-

(*a*) Feudum talliatum componitur ex feudo, quod hereditatem significat, et verbo barbaro taliare, quod idem valet ac secare seu dividere.

(*b*) "When the Statute restrained the donee from aliening the fee simple, or from doing other acts which he that has the fee simple may do, it was presently taken that the fee was not in him; for it would be idle to adjudge it in him when he could not do anything with it, and therefore it was taken by collection and implication of the Act, that the fee simple continued in the donor; so that he has one inheritance, viz., a fee simple, and the donee has another inheritance of an inferior degree, viz., a fee tail." Chief Justice Dyer, ap. Steph. vol. 1. p. 248. n. *y*.

nibus heredibus corporis existebat. Similiter quamvis locationis instrumenta [*leases*] ultra spatium suæ vitæ a tenente in tallio concessa, ipso mortuo non irrita reddebantur, attamen ab ejus heredibus si vellent irritari potuerunt.

294. Feudum talliatum est aut *generale* aut *speciale ; generale* est id quo agri et tenementa homini et *heredibus ejus corporis legitime genitis* transmittuntur, quia si pluries matrimonio junctus fuerit, hereditas ad omnes liberos in omnibus illis matrimoniis genitos, per formam doni successive descendere potest : *speciale* id est quo homini et heredibus ejus corporis ex aliqua determinata persona, ut Mariâ quæ nunc ejus uxor est, procreatis aut procreandis, conceduntur ; quia si moriatur Maria, et ejus vir aliam duxerit uxorem, liberi ex hac secunda uxore nati ad hereditatem pervenire non possunt, quoniam per formam doni ad liberos ejus ex Maria genitos restringitur. Deinde feudum talliatum sive generale sive speciale vel ad solos mares, vel ad solas feminas restringi potest. Si agri dentur homini ejusque heredibus maribus corporis legitime genitis, hoc est feudum talliatum generale pro maribus [*an estate in tail male general*] ; si vero concedantur viro ejusque heredibus maribus ex Maria quæ nunc ejus est uxor legitime procreatis, hoc statum in tallio speciali pro maribus [*an estate in tail male special*] constituet. Et eodem modo utraque species ad solas feminas, maribus exclusis, restringi potest. Hinc si vir duo feuda talliata possideat, unum ad mares, alterum ad feminas restrictum [*limited*], et filios solummodo procreet, feudum femineum revertetur ad donatorem ; et si ejus filii nonnisi filias procreent, etiam feudum masculinum ad donatorem revertetur ; filiæ enim illæ neque feudum masculinum patris, neque femineum avi hereditare possunt, quia quamvis avus feudum femineum possidebat, attamen ad ipsum per lineam femineum ascendere non possunt.

295. Sicut in facto quo agri abalienantur verbum *heres* necessarium est ad feudum seu statum hereditarium constituendum (*a*), ita etiam verbum *corpus*, aut aliud verbum *procreationis*, quo determinatur corpus ex quo heredes gigni debent, ad feudum talliatum constituendum omnino requiritur ; per donationem enim factam homini ejusque heredibus datur feudum simplex, nisi in donatione ad certos heredes donum restringatur, et hæc restrictio

(*a*) Hoc tam stricte intelligitur, ut si donatio facta sit, *to a man and the issue of his body, to a man and his seed, to a man and his children* or *offspring*, non accipiet agros per modum feudi sed tantum durante vita sua, quia verbum *heirs* in donatione non invenitur. Blackstone, Steph. tom. i. p. 250.

valide fieri nequit nisi indicando corpus ex quo heredes gigni debent. Itaque si agri homini ejusque *heredibus masculinis* aut *femininis* concedantur, eos per modum feudi simplicis accipiet, quia non indicatur corpus ex quo heredes gigni debent; et proinde ad omnes ejus heredes tam mares quam feminas, in linea tam recta quam collaterali descendent. Sed sicut in concessione feudi simplicis per testamentum, verbum heres non est necessarium, quando intentio testatoris per alia verba sufficienter indicatur; sic quoque quæ lex exigit in feudo talliato constituendo non ita rigide intelliguntur, ut non temperamentum quoddam accipiant; et proinde si homo per testamentum agros homini ejusque *heredibus masculinis* aut *femininis* relinquat, feudum tantum talliatum, juxta intentionem testatoris accipiet.

296. Vidimus supra ex statuto "*Quia emptores*" agros qui per modum feudi simplicis abalienantur non ab ipso a quo abalienantur, sed a proximo domino supremo [*the next lord paramount*], aut si talis non potest nunc inveniri, a principe teneri; sed hoc non obtinet in abalienatione feudi talliati. Quando enim tenens in feudo simplici, ex eo feudum talliatum concedit, reversionem sibi retinens, dominus feudi talliati a domino feudi simplicis tenet, per fidelitatem aliaque servitia constituta, vel si nulla servitia a domino feudi simplicis reservata sint, per fidelitatem et servitia alia si quæ sint, quibus ipse dominus feudi simplicis a proximo domino supremo tenet.

297. Talis est natura feudi talliati, ex quo innumera mala dimanârunt; filii inobedientes fiebant, firmarii ex agris sibi per locationis instrumenta concessis ejecti erant, creditores justis debitis fraudati, et etiam emptores agris quos emerant, allatis libellis latentibus quibus addicti erant agri heredibus corporis [*latent entails*], defraudati erant. Attamen quoniam hac lege nobiles, non obstantibus debitis maximis quibus gravati erant, et non obstante etiam crimine perduellionis, agros suos posteris transmittebant, hoc statutum, quod communi fere totius reipublicæ consensu, maxime nocivum habebatur, per duo ferme secula illæsum servatum erat. Tandem anno duodecimo regni Edv. IV. (A. D. 1472), quamvis senatus superior statutum de feudis talliatis adhuc abrogare recusavit, modus statutum frustrandi per institutionem et prosecutionem actionis fictæ in curia Communium Placitorum [*the Court of Common Pleas*] inventus est. Hic modus feudum talliatum alienandi judicium recuperatorium [*a recovery*] dicebatur, quia ille cui agri abalienandi erant actionem fictam contra eum a quo abalienandi erant instituit, qua servatis quibusdam satis absurdis formulis legalibus, agri per modum

feudi simplicis ei a quo actio instituta erat [*the alienee*] adjudicabantur. Alius modus tallium auferendi etiam per actiones fictas in Curia Comm. Placit. institutas per *fines* [*fines*] appellatus est. Etymologia hujus vocis non omnino constat; secundum plures enim inde derivatur quia in actionibus fictis prosequendis complures multæ regi solvebantur; secundum alios vero *finis* appellabatur quia finem omnibus litibus et controversiis de eadem materia imposuit (*a*). Sed quoniam hi modi agros abalienandi jam omnino per 3 et 4 Guliel IV., c. 74. (*b*), abrogantur, inutile est plura de illis dicere. Aliqua tamen necessaria dicentur sine quibus lex ut nunc existit intelligi non potest.

298. Vi itaque statuti 3 et 4 Guliel IV., c. 74., prædictis actionibus fictis abrogatis, statuitur ut tenens status talliati (*c*) per factum ordinarium abalienationis, in curia Cancellaria intra sex menses post ejus executionem relatum [*by an ordinary deed of conveyance enrolled in the High Court of Chancery within six calendar months after the execution*], tallium omnino auferre possit, et agros per modum feudi simplicis absoluti, aut pro aliquo statu minore, ut puta in vitam suam aut alterius, aut in aliquot annos abalienare. Excludere efficaciter potest non solum proprios heredes, sed et eos ad quos residuum aut reversio pertinet. Insuper consignatio in tabulis Curiæ Cancellariæ necessaria non est, quando dispositio agrorum fit per locationis instrumentum spatium unius et viginti annorum non excedens. Hæc computatio necessario non incipit nisi infra duodecim menses a tempore quo instrumentum subsignatum erat. Sed exceptioni maximi momenti hoc præscriptum legis municip. obnoxium est, ad quam intelligendam necesse est diversos effectus *finis* et *judicii recuperatorii* indicare. Per finem potuit tenens feudi talliati omnes suos heredes excludere, non autem illos ad quos residuum aut reversio pertinebat. Per judicium vero recuperatorium feudum simplex absolutum obtinebatur, et proinde non solum heredes tenentis sed et ii qui in residuo aut reversione erant ab agris exclusi erant. Itaque Petrus possessor status talliati pro se heredibusque masculinis sui corporis est tantum tenens in vitam, ejus-

(*a*) Cf. Steph. vol. 1. pp. 567-8.

(*b*) Hujus statuti titulus est, "An Act for the Abolition of Fines and Recoveries, and for the substitution of more simple modes of Assurance." This Act came into force 31st Dec., 1833.

(c) Hoc facere potest non solum quando est in possessione status sed etiam quando est tenens in *residuo* aut quovis alio modo. Natura status in *residuo* [*remainder*] et in *reversione* prout in jure municip. intelliguntur infra exponetur.

que filius primogenitus Caius est heres status talliati, quæ tamen hereditas non est in Caio solo, sed in ipso simul cum omnibus heredibus masculinis corporis Petri. Sed simul ac Caius annum 21um complevit, potuit per *finem* omnes suos liberos ab hereditate excludere, non autem potuit hoc modo eos qui in residuo erant, id est alios heredes masculinos corporis Petri a statu talliato, neque heredes auctoris doni a reversione feudi simplicis, excludere. In casu vero allato potuit Caius per judicium recuperatorium statum talliatum in feudum simplex absolutum convertere, et sic non solum proprios filios sed et omnes alios heredes a successione excludere. Sed hæc actio institui non potuit nisi contra tenentem qui liberum tenementum agrorum actu possidebat. Itaque in casu allato necessario institui debuit actio contra Petrum, cujus consensus, quoniam tota actio erat ficta, omnino necessarius erat. Petrus vero ipse utpote solummodo tenens per vitam absque consensu Caii tenentis in tallio in residuo, neminem a successione sive per *finem* sive per *judicum recuperatorum* excludere poterat.

299. Dolendem quidem est quod hæc præscripta in stat. 3 et 4 Guliel. IV., c. 74, re ipsa maximam partem servantur. Potest enim possessor status de eo disponere [*settle it*] hoc modo. 1. Ordinarie illum sibi in vitam suam reservat; post mortem illum filio suo primogenito ejusque heredibus, aut heredibus masculinis corporis alligat; his vero deficientibus, suo secundo filio ejusque heredibus corporis, et sic deinceps. Jamvero sicut ante hoc statutum potuit filius primogenitus, statim atque an. 21um complevit, etiam sine patris consensu, *finem levando* [*by levying a fine*] omnes suos posteros excludere, et sic agros per modum feudi simplicis humilis [*a base fee*] abalienare, id est, illos abalienare quamdiu ipse haberet heredes qui in hos agros succedere debent; ita et potest nunc tenens in tallio ex dispositione [*the tenant in tail under a settlement*] non obstante dispositione status. Sed sicut in casu supra posito quando Petrus liberum tenementum status in vitam possidebat, Caius vero erat tenens in tallio in residuo, hic statum in feudum simplex absolutum absque consensu possessoris liberi tenementi convertere non potuit, ita nunc idem efficere nequit, absque consensu domini tenementi liberi qui protector dispositionis [*protector of the settlement*] appellatur. Equidem non omnis tenens liberi tenementi quod statum talliatum præcedit, est protector dispositionis; restringitur enim ad eum qui dominus est istius liberi tenementi quod aut *eadem dispositione* quâ ipsum feudum talliatum creatur, aut vi potestatis in ipsa dispositione contentæ [*an estate created by appointment under a power in the settlement*], aut quando per dispositionem qua status talliatus creatur, status liberi testa-

menti, qui statum talliatum immediate præcedit confirmatur aut restituitur (*a*). Præterea ille qui de statu disponit [*the settler himself*] in ipsa dispositione qua feudum talliatum creatur, aliquas, ad summum tres personas quæ tunc sunt in *esse*, ad officium protectoris status constituere potest, et si illæ aut moriantur aut officium recusent, potestatem alios substituendi in ipsa dispositione conferri potest. Quin immo quamvis ille qui officium protectoris ex possessione liberi tenementi acquirit ipsum liberum tenementum amitteret, adhuc officium protectoris retineret; et si feloniæ aut perduellionis convictus esset, officium ad summum Cancellarium devolveretur. Idem fit quando ille qui alioquin officio potiretur fatuitate aut insanitate laborat. Etiam mulieres nuptæ hoc officium tenere possunt, aut solæ quando status vi cujus officio potiuntur in ipsarum usum exclusive restringitur, aut simul cum maritis quando earum usui exclusive non destinatur. Et protector non solum sine ulla causa consensum ad tallium auferendum recusare potest, sed quamvis promisisset se consensurum, non potest cogi ad suam promissionem implendam. Consensus quidem dari potest in ipso instrumento, quo feudum talliatum in simplex convertitur, aut in alio diverso rite peracto [*duly executed*] et in tabulas *relato* [*enrolled*], vel ante vel ipso die in quo instrumentum quo feudum talliatum in simplex convertitur confectum est. Si enim instrumentum abalienationis non esset ita in tabulas relatum, eos solos qui ut heredes exequentis in feudum talliatum successissent, non autem alios, excluderet, et proinde tantum feudum simplex humile conferet.

300. Hæc lex, quæ per stat. 4 et 5 Guliel. IV., c. 92, ad Hiberniam extensa est, respicit non solum *statum legalem*, sed etiam *æquitabilem*, ita ut quis possit suum statum æquitabilem talliatum in feudum simplex absolutum convertere, et de eo disponere eodem modo ac si esset status legalis. Extenditur etiam ad pecuniam aut agros qui in statum talliatum converti jubentur: ut quando fidei-commissarii [*trustees*] accipiunt pecuniam qua iis agros emere, eosque ordinare per modum status talliati, pro beneficio alicujus alterius personæ mandatur; vel quando agros vendere jubentur et pretium permanenter collocare [*to invest the produce*] in favorem alicujus alterius, per modum status talliati. In his casibus fidei-commissarii statum legalem, illi autem in quorum commodum novus status talliatus creandus est, statum æquitabilem

(*a*) When therefore the prior freehold estate is created by a different assurance, as when it is held by lessees at a rent, or by a doweress, bare trustees, executors, administrators, or assigns, it does not confer the protectorship.

habent; et tam agri quam pecunia de quibus sic disponere mandatur fidei-commissariis, eodem modo respiciendi sunt ac si fidei commissum jam *executioni mandatum* esset, et status talliatus actu creatus. Quando vero status qui in gratiam alicujus per modum fidei-commissi constituendus est nunc constat ex pecunia, sive ex agris qui in annos quosdam determinatos tenentur, aut quando status, qui postea per modum status talliati ordinari jubetur nunc ut status personalis censendus est, et priusquam status talliatus actu creatur, nulla dispositio a tenente in cujus gratiam status talliatus creandus est, fieri debet per ejusdem generis instrumentum abalienationis quo status immobilis transfertur, sed fieri debet per factum assignationis inter acta publica Curiæ Cancellariæ infra sex menses a tempore quo confectum erat relatum.

301. Quamvis per fines et judicium recuperatorium potuit heres status talliati [*the tenant in tail*] talium auferre modo explicato, attamen hoc omnino ex ejus arbitrio pendebat, neque cogi poterat statum liberare et vendere ne ad debita quidem justa solvenda. Jure quidem comm. heres qui feudum simplex legale *hereditate* acquisivit, semper obnoxius erat debitis antecessoris *specialibus;* id est illis quæ curiarum supremarum judiciis, et contractibus sigillo munitis, qui *facta* nominantur (*a*) tuta præstabantur. Sed ut *factis* ligarentur heredes debuit antecessor seipsum et *suos heredes* expresse obligare; heredes enim, si in *facto* non nominati fuissent, ad solvenda debita antecessoris minime astringerentur. Diximus heredem qui feudum simplex *legale*, &c., acceperit, quia curiæ jur. comm. plerumque nullam habent rationem status æquitabilis, sed per statutum ad fraudes præcavendas [*Statute of Frauds*] (29 Car. II., c. 3., s. 10), si aliquis possidens statum æquitabilem, qui in lege municipali *cestui que trust* dicitur, feudum simplex æquitabile suo heredi transmiserit, heres debitis sui antecessoris obnoxius erit, eodem in modo ac si esset status legalis (*b*). Quod vero satis absurdum et injustum erat, si quis feudum simplex per testamentum accepisset, ille debita etiam specialiter munita solvere cogi non poterat. Sed nunc per varia statuta, et præsertim

(*a*) *Debts accruing by specialty, that is, either matters of record as Judgments of the law courts or deeds, which are contracts under seal. But the latter would not bind the heir unless the ancestor in the deed bound himself and his heirs.*

(*b*) *The heir, however, is only bound to the extent of the estate he has taken, and hence his estate is called assets, from the French word* assez, *enough. A fee simple estate of which v.g. Peter is trustee, and Paul heir, was considered assets for the specialty debts of the ancestors, and therefore liable for them, in the same way as if Paul's estate were a legal estate. This was enacted by the Statute of Frauds,* 29 Car. II., c. 3., s. 10.

per 1 Guliel. IV., c. 47, provisum est, "*That where a deceased person shall have devised any real estate, without making it subject to the payment of his debts, his devisee shall be liable to be charged in respect of the real estate so devised in the same manner as, and jointly with the heir: and a creditor, bringing an action at law for that purpose, shall be entitled either to make the devisee a joint defendant with the heir, or to sue the devisee alone, where there is no heir*" (*a*).

302. Attamen qui statum immobilem sive ut heres sive ut legatarius accepit, nullomodo lege municipali ad solvenda debita illius a quo statum derivavit adigi poterat, præter debita modo jam dicto specialiter munita, et ne ea quidem quæ *facto* muniebantur, nisi in ipso facto [*in the deed itself*] heredes nominatim obligati erant. Et talis est lex communis usque in præsentem diem. Sed remedium nunc in curiis æquitatis obtineri potest; namque per 3 et 4 Guliel. IV., c. 104, statutum est: "That when any person shall die seised of or entitled to any real estate, which he shall not by his will have made subject to the payment of his debts, such estate shall be considered as assets to be administered in courts of equity, for payment of his debts, as well on simple contract as on specialty. To secure, however, a just priority to those who, in his lifetime, may have had the precaution to place their claims upon a basis of stronger obligation, it is further provided that, in the administration of the assets by courts of equity under the statute, all creditors by *specialty in which the heirs are bound shall be paid the full amount of their debts before any payment is made either to creditors by simple contract, or to those claiming on specialties in which the heirs are not bound*" (*b*). Res aliter se habet si ipse testator omnia sua debita ex suo statu solvi mandavit: tunc enim si status ad omnia ejus debita solvenda impar sit, ex principio curiarum æquitatis, quod *æqualitas est æquitas*, omnes creditores cujuscumque generis æqualem proportionem accipient. Et in his omnibus quæstio est de debitis personalibus; si enim ipsi agri his debitis onerarentur, in cujuscumque manus pervenirent hoc onus secum portarent.

303. Possessor status talliati nunc tandem ad debita sua solvenda adigi potest; nam per 1 et 2 Vict. c. 110 provisum est pro Anglia (*c*): "*that a judgment entered up against the debtor in any of the superior courts, or a rule of any of these courts, or a decree in equity for payment of money, shall operate as a charge upon all lands, tene-*

(*a*) Cf. Steph., tom. 1, p. 434. (*b*) Id., loc. cit. p. 436.
(*c*) Cf. Id., p. 257, et n. r.

ments, or hereditaments, of which he shall be seised or possessed for any estate or interest in law or equity, or over which he shall have any disposing power; and shall be binding as against him and the issue of his body, and all claimants whatever whom he was competent, without the assent of any other person, to have barred. But to give the judgment creditor a claim prior to other creditors on the debtor's lands, the judgment must be duly registered in the Court of Common Pleas, and to establish his claim against mortgagees, execution also must have issued on the judgment, and been duly registered prior to the conveyance or mortgage" (23 *et* 24 *Vict. c.* 38, *ss.* 1 *et* 2). Similis lex pro Hibernia lata est per 3 et 4 Vict., c. 105, sed per 13 et 14 Vict., c. 29, abrogata. Vi hujus ultimi statuti judicium latum contra debitorem nullam vim habet in Hibernia ejus agros onerandi, a die 15 Julii, A. D. 1850, sive ejus status sit liberum tenementum sive ex catallis realibus constat. Sed creditor judicio consecuto et dato testimonio scripto jurejurando firmato et in tabulas curiæ ubi facta conservantur relato [*registering an affidavit in the Office for the Registration of Deeds*], in quo agri debitoris speciatim recensentur plenum effectum vadi mortui contra dictos agros consequi potest. Dicta tamen lex 13 et 14 Vict., c. 29, non privat creditorem qui judicium in curia sup. obtinuerit, jure quo aliunde potitur rescriptum executionis contra catalla tam realia quam personalia debitoris obtinendi, vi cujus pro solutione debiti a vice-comite vendi possunt.

304. Denique per 19 et 20 Vict. c. 120 statutum est: "*That any person entitled to the possession, or to the receipts and profits of any settled estates during his life, or for any greater estate, which includes an estate tail, either in his own right or in right of his wife, may grant effectual leases for any term not exceeding twenty-one years, at the best rent that can reasonably be expected, without fine, provided the settlement shall not contain an express provision that this shall not be lawful.*"

305. Quamvis autem his constitutis iniquitas legis de feudis talliatis est aliquantulum temperata, attamen bonum publicum adhuc exigit ut multa immutentur in legibus quibus status hereditarii reguntur. Per legem enim vi cujus quisque statum suum disponere potest [*can settle his estate*] agri efficaciter servantur non solum in eadem familia, sed et in manibus solius filii primogeniti ad exclusionem omnium aliorum liberorum, et non raro etiam cum damno injusto creditorum. Deinde homines quasi coguntur de suis statibus dispositionem facere; si enim hoc omittant et nullo testamento facto moriantur, totus status immobilis ad filium primogenitum, vel alium heredem unum (si sit vir) transibit

sine obligatione vel unum nummum dandi aliis qui æque proxime cum defuncto sanguine conjecti sunt. Hæc lex non solum nociva est familiis sed et ipsi reipublicæ, quia latissimos agros uni personæ vindicat, qui neque agros, neque miseros homines qui illos colunt unquam videt, et maximos reditus quos per procuratores extorquet, in exteris regionibus dissipat. Non equidem volumus legem similem ei quæ apud aliquas gentes viget, qua prohibetur ne agri uni ex liberis relinquantur ceteris exclusis; sed tamen nolimus permittere ut homo per ordinationem factam ante matrimonium possit se privare potestate distribuendi agros suos inter omnes liberos, si ita forte ei aliquo tempore ante ejus mortem placeret. Neque unquam durante vita permitti debet talem dispositionem *futuram irrevocabilem* agrorum suorum facere. Facultatem semper habere debet agros suos ad arbitrium donandi, vendendi, locandi, debitis onerandi, et testamento legandi; sed sane obligari debet uxori suæ et liberis, juxta eorum conditionem, satis providere. Omnis illa *fictio* de protectore (*a*) ordinationis status aboleri debet. Denique perniciosa illa lex primogenituræ, qua totus status immobilis, si antecessor de eo neque durante vita neque per testamentum disposuerit ad unum solum heredem descendit profligari debet. Sed quantumvis hujusmodi leges bono publico obstare videantur, quoniam non sunt in se malæ et servari possunt sine peccato, illis quamdiu permanent obediendum est. Neque enim paterfamilias justitiam commutativam violat, totum suum statum primogenito, ceteris liberis omnino prætermissis relinquens, quia non ex justitia stricta sed ex pietate suis liberis res ad vitam degendam necessarias providere tenetur. Nihilominus si ceteros omnino inopes relinquat sine dubio graviter peccat sic agendo, sed quoniam primogenitus justitiam strictam non violavit totum statum accipiendo, ceteri liberi, ipso nolente, non possunt sine furto aliquid per modum compensationis ab eo auferre.

(*a*) The fictitious action of recovery was commenced by the issuing of a writ, which from its first words was called *Præcipe quod reddat*, against the tenant of the freehold, and hence a tenant in tail in remainder, expectant on an estate of freehold, could not resort to a recovery, without the consent of the tenant of the freehold. But by 14 Geo. II., c. 20, those who were entitled to the next freehold estate in remainder or reversion, though the legal freehold were vested in lessees, might create a fictitious freehold estate, against the possessor of which the writ was issued, and the recovery obtained. The owner of the freehold, whether real or fictitious, was called tenant to the *Præcipe*. Now the protectorship is derived from and "*founded on the legal fiction on which a recovery was built, the general tendencies of which were useless and injurious*; but it was retained for the purpose of protecting and *perpetuating family settlements*." Cf. Steph., vol. 1., pp. 577–585.

Quatenus autem justitia commutativa erga creditores violari possit in dispositione statuum, ex infra dicendis ubi de hac materia agemus, constabit.

306. Restat notandum de præsenti materia quod quidam status talliati qui non poterant liberari per actionem fictam judicii recuperatorii expresse a beneficio stat. 3 et 4 Guliel. IV., c. 74, excluduntur. Primus est status tenentis in tallio speciali quum jam fieri nequeat ut filius qui hunc statum hereditare possit ei nascatur [*tenant in tail after the possibility of issue extinct*]. Petrus v. g. statum possidet pro se heredibusque sui corporis ex Anna præsenti uxore procreandis. Anna mortua absque progenie superstite heres est impossibilis; et non potest Petrus, quamvis liberum tenementum possideat, eos, qui ipsi mortuo ratione reversionis aut residui succedent, excludere. Secundo excluduntur omnes illi status talliati quorum domini tallium auferre expresse prohibentur. Talis est lex 34 et 35 Hen. VIII., c. 20, qua tenens talliatus ex donatione regis incapax redditur eum qui in residuo aut reversione heres est excludendi, quando residuum vel reversio ad regem pertinet. Et generatim quicumque lege privata speciali alios præter proprios suos heredes excludere expresse prohibitus erat ante stat. Guliel. IV., ab ejus beneficio excluduntur.

307. Si tenens in tallio statum jam possideat est tenens in tallio in possessione; si alius statu durante vita potiatur, et si heres nonnisi post mortem istius tenentis per vitam statum accipiet, est tenens in tallio in residuo. Et residuum, ut postea dicetur, potest esse aut vestitum aut contingens. Sed status talliatus sive in possessione sive in residuo potest in feudum simplex modis supra explicatis converti. Ad intelligendam tamen totam materiam de modis quibus agri in eadem familia absolute servari possunt, necessarium est pauca de ordinatione statuum præmittere. Quando quis ita statum suum disponit, ut eum sibi reservet durante vita sua, deinde filio suo primogenito ejusque heredibus corporis transmittat, ipsis vero deficientibus, filio suo secundo ejusque heredibus corporis, fidei-commissariis ad hanc status ordinationem exequendam, si filii nondum nati essent, constitutis; hæc stricta status ordinatio [*a strict settlement*] dicitur. Et sic adhuc res se habet, quamvis constitutio fidei commissariorum ad sustentandam residuum contingens non jam necessaria est. Potest quidem primogenitus, simul atque annum vigesimum primum compleverit, patre consentiente, vel patre mortuo sine cujusquam consensu, tallium omnino auferre. Tallium itaque non *necessario* perdurabit ultra vitam patris, et ad summum unum et viginti annos et aliquot menses post ejus mortem, id est si filius esset

postumus seu *in ventre sa mere* tempore quo pater mortuus est. Et omnis dispositio prohibens alienationem feudi simplicis aut talliati modo supra explicato prorsus est irrita quamvis valida esset si quæstio esset de statu qui tantum per annos tenetur. Et nisi tenens in tallio tallium auferat, utique status ad varios heredes secundum naturam tallii [*of the entail*] descendet; sed nisi nova ordinatio fiat unusquisque ex tenentibus in tallio, anno 21° completo statum talliatum modo explicato abalienare poterit.

308. Potest tamen quis per factum aut testamentum statum per vitam tenendum cuilibet numero personarum qui tunc sunt in *esse* uni post alterum limitare, et post mortem earum ultimæ heredi nondum in esse per modum feudi simplicis aut talliati relinquere. Sic Petrus in ordinatione status quem in feudo simplici tenet, eum sibi in vitam suam reservare potest, et post suam mortem statum in vitam filio suo Paulo jam nato, et eo defuncto nepoti ejus Caio jam existente in vitam, &c. concedere, cum residuo per modum feudi simplicis aut talliati ad natu maximum posterorum suorum qui in esse erit tempore quo ultimus tenentium per vitam morietur. Sed limitari non potest status ad personam nondum in esse, ita ut ad ipsam solummodo in vitam pertineat. Petrus v. g. non potest per ordinationem tempore mat. factam sibi reservare statum in vitam, et post suam mortem statum in vitam ad filium suum primogenitum limitare, cum residuo in feudo simplici suo nepoti dando. Talis restrictio quoad filium nondum existentem est prorsus irrita et ipse statim atque an. 21um compleverit, statum alienare poterit; observatis tamen si sit status talliatus, conditionibus supra explicatis.

309. Sicut dominus agrorum illos cuivis numero personarum actu existentium, per earum vitam possidendos limitare potest cum residuo ad aliquem nondum *in esse*, ita illos fidei-commissariis dare potest, ut eorum emolumenta accumulentur quamdiu certæ personæ vivent, quæ tempore quo ordinatio facta est [*at the time when the settlement was made*], aut quum mortuus est testator, si per testamentum ordinatio facta est, actu extiterunt, cum residuo ad aliquem qui *in esse* foret tempore quo earum ultima moriretur. Et hoc modo potest quis adhuc statum suum ordinare in Hibernia. In Anglia vero quidam vir nomine Thellusson qui obiit A. D. 1797, legavit magnas facultates fidei-commissariis ea conditione ut earum vectigalia annua accumularentur durantibus vitis suorum filiorum, nepotum, et pronepotum qui tempore suæ mortis in esse forent. Totum pecuniæ cumulum in emptionem agrorum impendi jussit. Heredem constituit marem natu maximum ex posteris suorum trium filiorum, qui inter vivos esset

quum ultimus suorum posterorum qui in esse foret tempore suæ ipsius mortis vita decederet. Summam sic accumulatam £19,000,000 superare (*a*) estimatum est. Ad hoc præcavendum in posterum, per Stat. 39 et 40 Geo. III., c. 98 (A.D 1800), provisum est ut nulla talis dispositio in posterum fieri possit in majus temporis spatium quam in vitam ipsius donantis aut testatoris, aut usquedum ad ætatem plenam [*majority*] pervenerit persona quæ aut nata aut *in ventre sa mere* esset tempore mortis donatoris aut testatoris, ad quam lucrum sic accumulatum secundum dispositionem fidei-commissi si an. 21um complesset, pertineret. Quævis conditio coacervationem faciendam jubens contra dispositiones hujus statuti est prorsus irrita, et proprietas ad eam personam pertinebit, ad quam si nulla talis coacervatio jussa fuisset, pertinuisset. Statutum vero non prohibet coacervationem ad solvenda debita, aut ad dotandos liberos; neque dispositiones quoad lucra quæ ex lignis et sylvis recipiuntur respicit.

310. Tenens in feudo aut simplici aut talliato in possessione (quia si est tenens in expectatione jus agros ingrediendi non habet) non potest prohiberi ab arboribus cædendis, domibus evertendis, aut ab aliis hujusmodi quæ valorem hereditamenti minuunt faciendis, quæ in lege municip. nomine *vastæ* [*waste*] designantur. Uxor tenentis sive in feudo sive in tallio jus habet ad *doarium* [*to dower*], et maritus uxoris quæ ex proprio jure agros possidebat [*was seised of the lands*] in feudo aut simp. aut tall. in Anglia jus habet ad statum *ex urbanitate* [*by the curtesy*], quæ omnia infra ubi de his statibus agemus explicabuntur.

311. Doctrina hactenus tradita de statibus talliatis nonnisi statum immobilem [*real estate*] respicit; nam alius status in agris et a fortiore in rebus mobilibus numquam talliari potuit. Catalla cujuscumque generis nonnisi statum personalem constituunt, et proinde non ad heredem sed ad executorem aut administratorem descendunt. Attamen potest Petrus, v. g. statum suum personalem, per factum aut testamentum Paulo in ejus vitam habendum, cum residuo ad Joannem concedere, quamvis aliqui dubitant utrum hoc fieri possit per factum in quo nullus fidei-commissarius constituitur (*b*). Sed non potest creare in his statum talliatum; et proinde si hæc bona dat Paulo per ejus vitam

(*a*) "The property is said to have consisted of landed estates of about £4000 a year, and personalty of about half a million; and the probable amount of the accumulated fund was estimated at above £19,000,000." Steph. tom. 1., p. 563. n.

(*b*) Cf. Steph. tom. 2. p. 13. n.

possidenda, cum residuo ad Joannem ejusque heredibus corporis, dispositio quoad hanc ultimam partem est prorsus irrita, et Paulo mortuo Joannes absolutum horum bonorum dominium accipiet. Talis vero dispositio in bonis immobilibus Joannem ligaret usquedum heres corporis ejus 21um an. complesset; et tunc Joanne concurrente potest ejus heres tallium auferre ut supra expositum est. Potest quis etiam per factum aut testamentum fidei-commissariis constitutis ordinare ut emolumenta bonorum personalium accumulentur: sed in Anglia talis dispositio, Stat. 39 et 40 Geo. III. c. 98, subjicitur, vi cujus accumulatio plerumque perdurare non potest, nisi durante vita ejus a quo dispositio facta est, et per unum et viginti annos post ejus mortem. Ad paucos ultra menses tempus extendi potest, si infans *in ventre sa mere* esset quum ipse a quo dispositio in ejus gratiam facta erat, mortuus est.

Quando Petrus rem mobilem, v. g. bibliothecam suam legat Paulo in ejus vitam cum residuo ad Joannem, potest Joannes, si Paulus libros vendere, donare, aut destruere incipiat, aut hoc facere minetur, mandatum [*an injunction*] ad ipsum restringendum a curia Cancellaria obtinere.

DISPUTATIO SEPTIMA DECIMA.

DE STATIBUS LIBERI TENEMENTI NON HEREDITARIIS.

312. Status liberi tenementi non hereditarius est species dominii valde imperfecti, quoniam hic status ad dominum qui eo nunc potitur absolute non pertinet, sed solummodo durante ejus propria aut alterius vita, quo tempore elapso ad alium dominum transibit. Feudum non possidet tenens statûs in vitam [*the life estate*], sed ille ad quem finito statu in vitam status hereditarius pertinebit. Status qui in vitam tenentur duplicis sunt generis; alii enim creantur conventione voluntaria partium a quibus status abalienatur et acquiritur, et ideo *conventionales* dicuntur; alii per ipsam legem municip. constituuntur et ii *legales* appellantur.

§ 1. *De statibus in vitam qui conventione voluntaria partium creantur.*

313. Status hujus generis creatur, quando agri alicui locantur [*are leased*] in vitam suam propriam, aut in vitam alicujus alterius aut in vitam plurium, ita ut locatio perdurare debeat donec eorum ultimus moriatur. In his omnibus casibus possessor agrorum dicitur tenens in vitam, sed quando in vitam alterius tenet dicitur tenens *pur autre vie.* Quando agri alicui *durante vita* vel in *vitam* locantur, quamvis propriæ vitæ mentio non fit, in vitam accipientis teneri reputantur; et ut supra vidimus, si Petrus abalienet Caio manerium, v. g. Manutianum, nulla facta mentione heredum, Caius statum tantum in vitam suam accipiet. Status in vitam possunt ita concedi ut non absolute durante vita alicujus perdurent, sed solummodo conditionaliter [*contingently*]; ut viduæ quamdiu innupta manserit, aut clerico usquedum beneficium obtinuerit. Prior status per mat. viduæ, secundus per collationem beneficii terminatur. Attamen status in vitam [*life estates*] reputantur, quia conditio ex quo terminatio status pendet potest non impleri, in quo casu status durante vita permanebunt. Insuper si status homini concedatur in vitam suam, per mortem aut naturalem aut

civilem ut si propter crimen proditionis aut feloniæ morti condematus sit, terminabitur. Si vero in vitam *naturalem* concedatur nonnisi per mortem naturalem terminari potest. In tenura per vitam conductor [*the lessee*] tenebit a locatore [*the lessor*] per fidelitatem, et alia munera [*services*], v. g. reditum, quæ reservantur; sed si nulla munera reserventur, tunc per solam fidelitatem, quæ nunc nonnisi nomine existit, quoniam fidelitatis juramentum a tenente agrorum nunquam exigitur.

314. Tenens per vitam, aut per aliquot annorum numerum per mortem tenentis determinabilem, status ordinati [*of a settled estate*] nunc per 19 et 20 Vict., c. 120, potest valide agros elocare in spatium 21 annorum nisi in ipsa ordinatione hoc expresse prohibeatur, sed reditus summus qui omnibus pensatis, sine mulcta [*without a fine*] rationabiliter sperari potest imponi necesse est. Quoniam terminatio status qui in vitam tenetur est incerta, lex providet ne tenens per talem terminationem ullum damnum patiatur, modo talis terminatio sit *actus* Dei vel legis. Itaque si talis tenens agros serat, et ante messem moriatur, lucrum messis quod *emblementa* (*a*) [*emblements*] dicitur ad ejus executores pertinebit.

315. Tenens in vitam, nisi aliter specialiter conventum sit, jus habet ex agris obtinendi quantitatem ligni ad ignes [*fire-bote or house-bote*]; ligni ad instrumenta agriculturæ conficienda, quod *plough-bote* et *cart-bote* dicitur, et ligni ad sepes reparandas requisiti quod *hedge-bote* seu *hay-bote* appellatur. Hæc omnia estovers seu *botes* nominantur (*b*). Tenens in vitam tenetur reparare damna et detrimenta [*the waste*] a se in tenemento illata ut infra n. 336, exponetur.

316. Quando tenens in vitam agros suos aliis locat [*leases*], *sub-tenens* [*the under-tenant or lessee*] iisdem privilegiis gaudet quoad *estovers*, et majoribus quoad *emblementa*, quam ipse tenens in vitam; quia in his etiam casibus in quibus tenens in vitam privatur emblementis quia statum per proprium actum terminat, ut vidua quæ statum habens durante viduitate mat. contrahit, subtenens cui agros locavit non privatur emblementis, sed

(*a*) Derivatur a verbo Gallico *emblaver, to sow corn.* De emblementis cf. infra n. 334. et 335.

(*b*) *Estovers* is derived from the French word *estoffer, to furnish; bote* is of Saxon derivation, and originally signified *amends*, and in Anglo-Saxon law *satisfaction paid in expiation of an offence.* In English law it signifies *an allowance;* but is now seldom used except in the compounds mentioned in the text; *estovers* being almost exclusively used in the simple form.

jure communi si mat. contractum erat postquam is agros seminavit lucrum inde proveniens ad ipsum pertinebit.

§ 2. *De statibus liberi tenementi non hereditariis qui per ipsam legem creantur.*

317. Ex hujusmodi statibus primus est tenentis in *tallio speciali, quum jam fieri nequeat ut filius qui hunc statum hereditare possit ei nascatur.* Hic status alligatur Petro, v. g. ejusque heredibus corporis ex Anna ejus præsente uxore procreandis. Anna mortua absque liberis superstitibus Petrus non amplius habet statum hereditarium, quia per formam doni nullum potest habere heredem ad quem hic status descendet. Hic status nunquam creatur nisi per mortem illius ex quo heres procreari debet. Quamvis vero dominus hujus status tenens in tallio nominatur, revera est tantum tenens in vitam, quia non amplius statu pro se suisque posteris potitur, et ideo commutari [*exchanged*] potest pro alio statu quem suus dominus in vitam tantum possidet, quæ commutatio a tenentibus statuum ut dicuntur specialium [*particular estates*] nisi inter status ejusdem naturæ a lege municip. fieri non permittitur.

318. Secundus hujusmodi status est *ex urbanitate Angliæ* [*by the curtesy of England*]. Quando enim uxor alicujus viri seisinam habet [*is seised*] aliquorum agrorum, in feudo aut simplici aut talliato, durante mat. et infantem vivum hos agros hereditandi capacem pepererit, ipsa mortua hi agri ejus marito in suam vitam ex urbanitate Angliæ tribuuntur. Si vero agri teneantur per tenuram quæ *gavelkind* dicitur, maritus solummodo dimidiam partem agrorum accipiet, et hanc accipiet quamvis uxor nullum infantem pepererit: sed nonnisi quamdiu innuptus permanebit. Status ex urbanitate non terminatur per mortem heredis, neque quando 21um an. compleverit, sed usque ad mortem mariti perperdurat. Ad statum ex urbanitate conferendum quatuor requiruntur conditiones: 1. Matrimonium validum per divortium non dissolutum. Si enim declaratur mat. esse invalidum, aut si vinculum *civile* (nam *naturale* rumpi nequit) dissolutum sit aliquo tempore ante mortem uxoris, maritus non habebit statum ex urbanitate. 2. Requiritur ut infans capax agros hereditandi natus sit vivus ante mortem matris. Itaque si soli mares statum hereditare possunt et infans sit femina, ejus pater statum ex urbanitate non habebit. Item si uxor moriatur antequam infans natus sit, v. g. quia post ejus mortem per operationem cæsaream

ex ejus latere eductus est, maritus non habebit statum, quia infans nondum natus est, et ipso momento mortis matris agri ad infantem in utero jure hereditario transeunt, et ita status ex urbanitate exclusus est. 3. Requiritur ut uxor aliquo tempore durante mat., sive ante nativitatem infantis, sive tempore nativitatis, sive postea, seisinam non solum legalem, sed sisinam etiam actualem agrorum habuerit. Non obstat quamvis infans moriatur antequum uxor seisinam obtineat. 4. Mors uxoris intervenire debet. Attamen statim atque infans capax agros hereditandi natus est, maritus fit tenens per urbanitatem inceptam [*by the curtesy initiate*], et etiam vivente uxore plura onera in agros imponere potest. Sed status non est consummatus [*consummate*] donec uxor moriatur. Tenens ex urbanitate per Stat. 19 et 20 Vict., c. 120, locare potest agros valide in spatium unius et viginti annorum, etsi ipse ante lapsum hujus temporis moriatur. Tenet agros maritus non ab infante herede sed a domino proximo feudi. Hic status non existit in Hibernia, neque aliud in gratiam mariti loco status ex urbanitate efficere potest uxor, nisi agros ipsi in vitam locando, summo reditu qui rationabiliter sperari potest constituto.

319. Tertius hujusmodi status *doarium* [*dower*] dicitur, quamvis a jurisperitis Anglicanis quum sermone latino uterentur *dos* appellabatur; sed *dos* apud Romanos facultates quas uxor attulit viro occasione mat. ad ejus onera sustendanda significabat, et hanc significationem apud theologos retinet (*a*). Quamvis apud Romanos (*b*) provisio pro sustentatione viduæ a lege ordinata erat, nihil tamen quod respondeat *doario* in jure civili invenitur; neque etiam constat quo tempore aut qua occasione in Angliam introductum sit. Ex lege generali negatur doarium mulieri quæ non est vera uxor ejus ex cujus agris doarium accipit *tempore ejus mortis;* et proinde uxor viri tam stulti ut mat. valide contrahere non potuerit, doarium obtinere non potest. E converso dissolutio matrimonii quoad *mensam* et *thorum* etiam propter uxoris adulterium, [*a judicial separation* ut nunc in lege municip. dicitur] nisi ea voluntarie maritum deserat [*elopes*], et vivat in adulterio, jus ad doarium non aufert. Una tamen datur exceptio in lege prædicta, quando mat. contractum est inter impuberes, modo tamen uxor *nonum annum* ante mortem mariti (sponsi) compleverit. Quamvis enim mat^{m}. validum contrahi nequit

(*a*) Tacitus tamen verbo dote utitur etiam ad significandas facultates quas maritus uxori attulit: "Dotem," ait, "non uxor marito, sed maritus uxori offert." De Moribus Germanorum, c. 18.

(*b*) Cf. Nov. 97, ubi nova lex hac de re a Justiniano lata est.

antequam puer annum quartum decimum, et puella duodecimum compleverit, attamen mat. ut a jurisperitis dicitur inceptum [*inchoate*] et imperfectum existit, et quamvis revera nihil aliud quam sponsalia efficit, sufficit tamen puellæ jus ad doarium dare. Hæc dispositio fortasse inde ortum habuit, quod quando impuberes contrahunt per verba de præsenti, talis contractus vim sponsalium habet (*a*), et manent obligati donec ætatem pubertatis attingant, nec possunt sponsalia etiam mutuo consensu dissolvere. Insuper ante decretum Tridentinum sess. 21, de mat. c. 1. et adhuc in locis ubi hoc decretum nondum promulgatum est, si sponsi adepta ætate pubertatis cohabitassent, hoc ipso eos maritali affectu convenisse, ideoque verum matrimonium contraxisse, reputatum est. Quin quamvis ætatem pubertatis non attigissent, modo tamen ad usum mat^{i}. erant apti (*b*), quando ut mariti vixerunt pro veris conjugibus habiti erant; et hinc forsan sponsalia inter impuberes, qui non raro postea sine ulla alia ceremonia tanquam conjuges vixerunt, mat. inchoatum appellatum est, et sponsa jus ad doarium acquisivit. Dissoluto mat. quoad vinculum *legale* jus ad doarium amittitur. Vidua ejus qui propter crimen proditionis damnatus est doario privatur, quod non fit quamvis quis pœna capitis ob feloniam condemnatur.

320. Si nihil factum sit a marito ad jura viduæ ad doarium impedienda ordinarie jus habet durante vita ad tertiam partem redituum omnium agrorum quos in feudo simplici aut talliato habuit maritus quovis temporis durante mat°. [*during the coverture*], et quorum infans quem ipsa *parere potuerit* heres esse posset. Hinc si Petrus seisinam habet aut in feudo simplici aut etiam in feudo talliato *sibi et heredibus corporis sui* certorum agrorum, et si priore uxore Anna mortua, relicto herede, ipse secundam uxorem ducat Mariam, ipsa quamvis ex ea nullus infans conceptus sit, doarium habebit, quia ipsa filium habere potuerit, qui mortuo priore herede, hereditatem possideret. Si autem agri *limitati* fuissent ad Petrum et heredes corporis ejus ex Anna procreatos, Maria nullum doarium ex his agris habebit; quia heredem horum agrorum parere non potuit. Ad jus doarii conferendum, necessarium non est ut maritus seisinam *actualem* agrorum habuerit; sufficit seisina *legalis* seu jus ad seisinam actualem (*c*).

(*a*) Cap. finali, de despons. impub. c. unic. § Idem quoque eod. t. in 6. Cf. Sanchez. de Mat. lib. 1. disp. 17. n. 6.; et Schmalzgrueber, tit. 2., n. 62.

(*b*) Is qui fidem, de Sponsat. et c. unic. jam cit.

(*c*) There are some inheritances not subject to dower, as a castle, for instance,

321. Agri speciales tenendi a vidua propter doarium assignari debent ab herede mariti, vel ab ejus tutore, intra spatium quadraginta dierum a morte mariti, per quod tempus vidua in principali domo mariti permanere debet; unde illi dies mora quadragenaria viduæ [*the widow's quarantine*] nominantur. Heres tamen feudum retinet, et vidua quæ statum in vitam accipit, ipsius heredis tenens constituitur. Si durante mora quadragenaria agri non assignentur, aut justa proportio non servetur, actio doarii in sola Curia Communium Placitorum institui potest, vel Curia Cancellariæ per literas supplicari potest, nisi TITULUS viduæ disputatur, quia ad hunc stabiliendum ad Curiam Communium Placitorum necessario recurrendum erit. Quando res ex qua dotanda est vidua est indivisibilis, ut jus præsentandi ad beneficium, vel lucrum ex officio hereditario proveniens, tunc præsentatio tertia quaque vice, vel tertia pars lucri ex officio provenientis ipsi assignari debet. Si vidua scripta instrumenta quibus dominium status comprobatur [*the title deeds or evidences of the estate*] heredi tradere recuset, non obtinebit doarium donec hæc reddiderit. Vidua ut tenens in doario potest nunc per 19 et 20 Vict., c. 120, s. 32, locationis instrumenta concedere in aliquod temporis spatium, unum et viginti annos non excedens.

322. Doarium jam descriptum est illud ad quod jus habet vidua secundum præscripta juris com. et de eo solo necessarium est tractare, quia aliæ species olim existentes, scilicet *de la plus belle, ad ostium ecclesiæ*, et *ex assensu patris*, nunc abrogantur. Olim multi modi partim a jurisperitis introducti, et partim legibus Parlamenti stabiliti erant, quibus jus viduæ ad doarium impediri poterat [*could be barred*]; et quidem multi ex his modis adhuc existunt, sed raro vel nunquam ad illos nunc recurritur propter 3 et 4 Guliel. IV., c. 105, de quo statim. Ante hoc statutum nisi jus ipsum viduæ ad doarium impeditum fuisset [*had been barred*], nulla abalienatio agrorum a marito facta obstare potuit quin ipsa tertiam eorum partem per modum doarii obtinere deberet, et hanc etiam ob causam abalienatio agrorum valde impedita erat. Sed per statutum prædictum generatim statuitur ut omnis dispositio mariti de agris suis, sive per abalienationis instrumentum [*a conveyance*], sive per testamentum, et omnia debita et onera quibus

which is maintained for the defence of the realm, for this must not be divided, by giving the wife the third. Where gavelkind prevails, as in rent, the wife is entitled to half the lands of her deceased husband during her life; but she must remain chaste and unmarried. The lands must in all cases be heritable, and held in fee simple or fee tail.

agri subjiciuntur, valeant contra jus viduæ ad doarium, in omnibus matrimoniis a die 1 Jan. 1834 celebratis. Vi ejusdem statuti jus viduæ ad doarium auferri potest per simplicem declarationem, sive in abalienationis instrumento quo agri marito concessi erant, sive in facto (*a*) a marito rite confecto [*a deed executed by the husband*], sive in testamento, contentam. Insuper si maritus uxori leget aliquam partem suorum agrorum, qui alioquin juri doarii subjicerentur, hoc illam omni jure doarii privabit nisi contraria intentio in testamento exprimatur. Sed non privatur jure doarii per legatum bonorum mobilium, neque etiam agrorum aliunde doario non subjectorum, nisi a marito modo jam dicto declaretur hæc ei loco doarii data esse. Quoad mat. itaque post diem 31 Dec., 1833, celebrata dici potest jus doarii virtualiter abrogatum esse, et viduam per simplicem declarationem in testamento mariti contentam rebus etiam ad vitam degendam necessariis omnino destitutam relinqui posse, nisi ei per ordinationem ante mat. factam si marito supervixerit provisum fuerit.

323. Quando status in agris et tenementis ordinatur in gratiam uxoris si viro supervixerit, *jointure* dicitur, quia in antiquis temporibus maritus et uxor eum conjunctim tenuere [*it was a joint estate limited to both husband and wife*] durante utriusque vita; et proinde si uxor viro supervixisset, statu illo per reliquam vitam fruebatur. Hic modus providendi uxori post mortem mariti, inde ortus est quod ante 27 Hen. VIII., c. 10, magna pars agrorum Angliæ tenebatur ab uno homine qui solummodo statum *legalem* possidebat, propter usum seu commodum alterius ad quem status æquitabilis pertinebat, qui proinde verus erat dominus agrorum, quia possessor status legalis *ipsi omnia lucra et emolumenta* status tradere tenebatur. Attamen quoniam, ut diximus, uxor doarium vindicare non potuit nisi ex iis agris quorum *actualem seisinam* habuit maritus, nullum jus ad doarium habebat ex agris percipiendum quorum usus et commoda tantum ad maritum suum etiam in absoluto feudo simplici pertinebant. Propter hoc usitatum erat tempore mat. per factum expressum [*an express deed*] certum statum ordinare in usum tam mariti quam uxoris tenendum conjunctim durante utriusque vita, et hoc modo uxori quando viro supervixit providebatur. Sed per prædictum statut. quod Stat. Usuum [*the Statute of Uses*] nominatur, sancitum est ut ille ad quem usus et commoda agrorum pertinent etiam eorum seisinam actualem habere judicetur; quo jus ad doarium percipiendum ex his agris acquisissent viduæ sine amis-

(*a*) De factis in tractatu de contractibus agetur.

sione juris ad statum specialem quem conjunctim cum maritis tenebant, nisi eodem statuto sancitum fuisset ut quum maritus talem statum specialem pro sustentatione uxoris post suam mortem, ante mat^{m}. ordinasset, ipsa nullum jus ad doarium haberet. Ut autem jus ad doarium auferatur, requiritur, 1. Ut status quem conjunctim tenebant mortuo viro ipso facto ad uxorem pertineat [*the jointure must be limited to take effect immediately on the death of the husband*]; 2. Ut perduret saltem per vitam ipsius uxoris, non *pur autre vie*, aut per aliquos annos; 3. Ut ad ipsam immediate pertineat, non autem fidei-commissariis tradatur etiam propter viduæ usum et commodum; 4. Factum quo status creatur declarare debet hunc vice totius doarii concessum esse. Si vero hic status creatus fuerit *post* mat., mortuo viro, optio viduæ datur utrum hunc statum specialem accipere velit, an ipso dimisso ad doarium recurrere. Et si aut fraude aut casu titulus status specialis ante mat. creati sit irritus, per idem statutum æqualem quantitatem ex aliis agris per modum doarii recuperare potest.

324. Quamquam autem hoc statuto modus inventus est quo uxor jure doarii privari poterat, attamen ad hunc maritus recurrere non poterat nisi viduæ suæ alio modo providisset. Sed nunc maritus totum jus viduæ ad sustentationem ex suis bonis immobilibus obtinendam omnino auferre potest. Et idem omnino dicendum est de bonis mariti mobilibus sive ex catallis immobilibus sive mobilibus constant. Olim quidem non potuit maritus et pater nisi de tertia parte bonorum suorum mobilium per testamentum disponere, quia lege com. tertia pars eorum ad viduam et alia tertia pars ad liberos necessario descendebat. Partes uxoris et liberorum partes eorum rationabiles dicebantur. Hæc distributio confirmata est per magnam chartam Hen. III. (9 Hen. III., c. 18), quæ jubet, postquam ea quæ a defuncto debita erant regi soluta sint, residuum executori tradendum esse ut de ea secundum voluntatem defuncti disponat; "salvis uxori ipsius et pueris suis rationabilibus partibus suis." Si vero nulli essent liberi, vel si ante patrem mortui essent, nulla progenie relicta, vidua jus habuit ad dimidiam partem bonorum, et vir de alia dimidia parte per testamentum disponere potuit. Similiter mortua uxore ante maritum, ipse de dimidia parte mobilium suorum per testamentum disponere potuit, altera ad liberos pertinebat. Si vero neque uxorem neque liberos habuit, de omnibus mobilibus per testamentum libere disponere poterat. Et quamquam usu et consuetudine hæc lex in multis Angliæ partibus in desuetudinem jampridem abierat, attamen vim habuit in tota provincia Eboracensi usque ad finem seculi septimi decimi, quo tempore abrogata est

per 4 et 5 W. et M., c. 2; in principatu Vallesiæ [*Wales*] ad idem tempus, quando abrogata est per 7 et 8 Guliel III., c. 38; et Londini in ipsa urbe usque ad A. D. 1715, quum abrogata est per 2 Geo. I., c. 18. Ex hoc tempore potest quis de omnibus suis catallis ad arbitrium disponere per testamentum, uxore et filiis omnino destitutis relictis. Eadem prescripta legis et quoad doarium, et quoad bona mobilia valent in Hibernia. In Scotia antiqua et justa dispositio quoad partes rationabiles uxoris et liberorum adhuc obtinet (*a*). Notissimum est maritos non raro sine ulla causa sufficiente uxores suos inopes rerum etiam quæ ad vitam sustentandam necessariæ sunt relinquere. Haud raro similis inhumanitas a quibusdam erga aliquos ex liberis suis exhibetur. Quoniam tenetur paterfamilias, etsi ut docet probabilior sententia non ex justitia commutativa, at certe ex caritate et pietate, uxorem et liberos sustentare, juste a lege municip. dum superstes est hæc officia erga eos præstare cogitur. Sane permitti non debet eadem officia in suo testamento negligere. Obligatio est naturalis et gravissima, et qui illud negligeret omnino absolutione indignus esset. Hoc officium sustentandi suam uxorem et liberos in alios projiciendo, potest maritus, ipso jure nat. spectato, justitiam comm. erga illos in quos hoc onus imponit violare. Quamvis enim solo jure nat. spectato, ex justitia commutativa erga uxorem et liberos non teneatur; attamen alieni, qui lege municip. tributa solvere ad hos destitutos sustentandos obligantur, jus habent strictum ne tale onus a marito qui ipse potest suos sustentare in ipsos projiciatur. Et quidem lex municip. maritum obligat ad uxorem sustentandam quamdiu vivit, et liberos donec ad annum sextum decimum pervenerint; et sane rationi et justitiæ consonum est ut ne permitteretur post mortem suam eadem officia in alienos projicere. Nec dubium est quin uxor quæ aut propter viri prodigalitatem aut cognitam indolem rationabiliter timet ne sustentatio necessaria pro se et suis liberis, aut vivente viro aut post ejus mortem desit, possit clam bona mariti in hunc finem auferre et servare; attamen si ei postea a marito satis provisum fuerit aut testamento, aut alio modo, hæc bona restitui debent, et secundum dispositiones testamenti aut legis municip. distribui.

(*a*) In Scotland the widow's share is called *jus relictæ*, the children's the *legitim*. Cf. Steph. vol. 2., p. 194, n. *o*.

DISPUTATIO DUODEVICESIMA.

DE STATIBUS IN AGRIS QUI LIBERA TENEMENTA NON SUNT.

325. Vocabulum *catalla* [*chattels*] apud Normannos principali sensu animalia ad agriculturam destinata designabat. Postea omnia bona mobilia sive corporalia sive incorporalia, et etiam agros nisi in perpetuum aut in vitam tenebantur significabat. Inde catalla in immobilia [*real*] et mobilia [*personal*] divisa erant; quo sensu ea vocabula in jure municip. nostro accipiuntur. Catalla immobilia constant sive ex *rebus corporalibus immobilibus*, i. e. ex agris, sive ex lucris et commodis quæ ex iis derivantur, quando hæc neque in perpetuum neque in vitam tenentur. Catalla mobilia complectuntur *res omnes mobiles*, et lucra et commoda quæ ex iis derivantur. Status qui ex catallis sive immobilibus sive mobilibus componitur, status *personalis* dicitur; et sive ex *rebus* immobilibus, sive ex mobilibus constat, iisdem fere juris municip. præscriptis regitur. Catalla enim sive sunt immobilia sive personalia, mortuo domino, ad executorem vel ad administratorem, non autem ad heredem, descendunt: tenens dicitur possessionem, non seisinam eorum habere, et status talliatus in neutris constitui potest. Tria sunt genera statuum qui ex rebus immobilibus constituuntur, præter status qui libera tenementa constituunt, et qui proinde inter catalla recensentur; nempe 1. Status in aliquot tantum annos; 2. Status ad voluntatem concedentis; et 3. Status ex mera tolerantia [1. *An estate for years;* 2. *An estate at will;* and 3. *An estate by sufferance*].

§ 1. *De statu qui in aliquot tantum annos tenetur. Natura locationis* [a lease] *explicatur, et quid intelligatur per feoffamentum* [feoffment], *concessionem* [grant], *et factum* [deed] *exponitur. Quid significet* livery of seisin *declaratur.*

326. Locatio [*a lease or demise*] est modus abalienationis [*conveyance*] quo aliquis qui locator [*the lessor*] dicitur agros et tenementa alteri qui conductor [*the lessee*] nominatur concedit vel in totam vitam vel in numerum annorum determinatum vel ad arbi-

trium locatoris tenenda, reditu ordinarie reservato. Locatio complecti non debet totum tempus per quod ipse locator agros possidere potest; hæc enim non esset locatio sed assignatio [*an assignment*]. Locatio ergo debet esse in spatium aliquantulo saltem brevius. Locatio in totam vitam ut jam vidimus liberum tenementum et possessionem immobilem constituit. Hujusmodi agrorum locatio, et a fortiori quando conceduntur per modum feudi simplicis aut talliati jure comm. fieri non potest nisi per publicam possessionis traditionem agrorum ab eorum domino factam ei cui conceduntur, cum verbis quibus natura donationis exposita est; qui ritus *livery of seisin* dicitur. Hic modus abalienationis *feoffamentum* [*feoffment*] appellatur. Nullum scriptum instrumentum necessarium erat ad validitatem feoffamenti, sed nunc per Statutum ad Fraudes præcavendas (29 Car. II., c. 3), omnis agrorum locatio in spatium longius quam trium annorum, et insuper nisi reditus reservatus saltem exæquet duas tertias ejus reditus qui summus tempore locationis rationabiliter sperari potest [*a rent not less than two-thirds of the improved value*], necessario scriptis consignari debet, et ab ipso locatore aut aliquo ab ipso ad hoc faciendum scriptis deputato [*his agent lawfully authorized in writing*] subscripto. Insuper per 8 et 9 Vict., c. 106, sec. 3, omnis locatio quæ scriptis consignari debet ex Stat. ad Fraudes præcavendas, confecta post diem 1 Oct., 1845, prorsus nulla est nisi per factum stabilita sit [*unless made by deed*]. Sed quamvis agri adhuc per feoffamentum abalienari possunt, jam non necessarium est in agris in totam vitam locandis aut in abalienationibus per modum feudi simplicis aut talliati hanc formulam usurpare, et ideo fere omnino in desuetudinem abiit. De feoffamento aliisque modis quibus res immobiles abalienari possunt infra agetur.

327. Status in annos est lucrum et commodum [*the interest*] quod habet homo in agris et tenementis quæ ipsi in certum et determinatum numerum annorum locantur, et quorum possessionem vi istius commodi obtinet. Agri locari [*may be leased*] possunt in unum annum vel in dimidiam aut quartam partem anni, aut in aliquod spatium brevius, modo certum sit et determinatum. In locatione agrorum ad certum usum, v. g. ad pecora pascenda, quamvis in breve spatium locantur, nempe in dimidiam aut quartam partem anni, aut etiam in mensem aut hebdomadam, conductor [*the lessee*] tanquam tenens in annos respicitur; non enim est tenens ad voluntatem locatoris, quoniam terminus [*the term*] est fixus et determinatus; neque enim locator aut conductor sine alterius consensu ante lapsum temporis statuti hunc

statum terminare potest. Equidem quando agri in breve tempus ad certum tantum usum locantur, v. g. ad pascendum, jus tenendi [*the tenancy*] plerumque tempore elapso ipso facto terminatur, neque ullum indicium [*notice*] ab alterutra parte requiritur. Indicium tamen dari debet si hoc ad tenenciam terminandam aut pacto aut ex consuetudine requiratur, et revera ad terminandam tenenciam domorum quæ etiam in breve tempus locantur plerumque requiritur. Aliquando elapso tempore, jus tenendi ipso facto desinit, ut quando quis domum habens in urbe, aliam conducit ruri in unum aut plures menses. Aliter tamen est quando quis domum conducit in urbe, v. g. in mensem aut in aliquot menses, non ea mente ut post hoc tempus jus tenendi terminetur, sed animo ibi jugiter habitandi si domus idonea inveniatur; tunc enim ad jus tenendi finiendum ex parte sive locatoris sive conductoris, indicium in hunc effectum necessario faciendum est. In his juribus tenendi brevioribus intervallum quod intercedere debet inter indicium et terminum tenenciæ pendet ex consuetudine aut ex pacto tempore in quo agri locati erant inito; et si hoc pactum scriptis non mandetur, non raro ansam litibus præbet. Tempus quo status in annos incipiet et terminabitur, necessario aut fixum et determinatum est, aut tale esse debet ut certo determinari possit. Juxta enim legale dictum, *id certum est quod certum reddi potest*, et proinde si Petrus agros locat Joanni in tot annos quot Caius declarabit, erit valida locatio in annos, quia Caius tempus determinare potest. Dies in quo jus tenenciæ incipit semper fere in ipsa locatione declaratur; si vero nulla diei mentio in locatione fiat, status conductoris incipit a die in quo locatio confecta vel tradita est; et si disputatio de hoc oriatur ex circumstantiis determinabitur, sed quamvis dies quo tenencia incipiet non declaretur, locatio erit valida. Terminus [*the term*] debet esse certus, et proinde locatio *in tot annos* quot Jacobus vivet est invalida, quia tempus est omnino incertum. Et idem dicendum est si parochus agros suos locaret *in tot annos* quot hujus parochiæ parochus permanebit, quoniam hoc quoque incertum est. Sed in primo casu, si locatio *in vitam* vel *durante vita Jacobi* concessa esset, omnino valida esset; non tamen esset locatio *in annos* [*a lease for years*], sed *liberum tenementum pur autre vie*. Hujusmodi tamen locatio *in annos* semper esset invalida. Sed locatio *in spatium triginta annorum*, si tamdiu vixerit Jacobus est valida locatio *in annos* quia certus datur terminus, nempe triginta annorum, ultra quem protrahi nequit status, quamvis ante hunc terminum per mortem Jacobi finietur.

328. Terminus [*the term*] significat non solum numerum anno-

rum in quem agri tenenti (qui aliquando *termor* dicitur) conceduntur, sed et ipsum statum sic constitutum. Terminus finiri potest antequam anni statuti elabuntur per actum quo tenens agros domino cedit [*by surrender*], aut a prædio excidit [*forfeiture*]. In tali casu si Caius agros locat Paulo in terminum trium annorum, et post finem istius termini Petro in alios tres annos, et Paulus propter aliquam causam agros ante finem sui termini amittat, status Petri in his agris, ejusque terminus trium annorum statim incipit. Sed si locatio facta sit Petro post lapsum non termini sed "dictorum trium annorum," vel "dicti temporis," quamvis interim Paulus agros amiserit, terminus Petri nonnisi post lapsum trium annorum incipiet. Ex hoc exemplo patet locationem in annos ita concedi posse ut terminus non incipiat nisi in tempore futuro. Ex hoc multæ olim ortæ sunt lites, quia sæpe difficillimum est distinguere inter locationem in futuro et pactum quo Caius se obligat ad locationem in futuro Petro concedendam. Inter hac tamen magnum est discrimen. Per priorem enim locator se privat lucris et commodis futuris agrorum, seu reversione status in illis [*deprives himself of the future interest or reversion of the estate*] per tempus in locatione statutum. Quando ergo Caius locat agros Paulo in tres annos, et eodem tempore eosdem agros locat Petro in alios tres annos incipientes post lapsum trium annorum in quos agri Petro concessi erant, Petrus statim possidet jus in re et dominium, non quidem agrorum quos possidere nequit nisi post lapsum termini Pauli, sed ipsius juris certi et determinati futuræ fruitionis, de quo jure statim disponere potest. Sic exprimitur a nostris jurisperitis: *Although the term be fixed to commence* in futuro, *yet the lease at once vests the estate in point of interest in the lessee, who may therefore immediately dispose of the interest* (*a*). Caius vero per pactum quo se obligat solummodo ad agros locandos Petro post tres annos [*an agreement to grant a lease after three years*], non se privat *jure in re* ad reversionem agrorum post lapsum termini Pauli, neque Petrus potitur jure in re quoad ipsum jus futuræ successionis, sed jure ad rem solummodo. Jus Petri fundatur in obligatione Caii, qui utique ex justitia tenetur locationem Petro post tres annos concedere, sed interim Petrus nullo statu in his agris potitur. Hoc etiam existit discrimen inter locationem in tempore futuro incipiendam, et pactum de locatione in futuro concedenda, quod posterius ex præscripto Statuti ad Fraudes præcavendas, nisi litteris mandetur et nomen locatoris subscribatur, erit irritum, dum in priore hæ conditiones

(*a*) Cf. Steph. vol. 1., p. 522.

non semper necessariæ sunt, ut statim videbitur. Sed nunc lis vix oriri potest de hac materia, quia per 8 et 9 Vict., c. 106, s. 3, quandocumque ipsam locationem litteris mandare necesse est, instrumentum per modum pacti [*by deed*] conficere necesse est, pacta vero de locationibus futuris concedendis omnino irrita erunt nisi litteris mandentur, sed sollennitas pacti minime requiritur. Olim etiam quando partes revera volebant locationem in futuro incipiendam conficere recursum habebant ad pacta ad evitandum vectigal quod pro plagulis signatis solvitur [*to avoid the stamp duty*]; quia plagulæ signatæ necessariæ erant quum ipsa locatio conficeretur, non autem quum pacta de locatione futura inirentur. Nunc autem plagulæ signatæ necessario adhibendæ sunt etiam in pactis de futura locatione conficiendis, et idem vectigal exigitur pro his plagulis ac pro iis quæ in confectione ipsius instrumenti locationis adhibentur, quando tempus per quod locatio perdurabit septem annos non excedit.

329. Nulla publica traditio possessionis agrorum [*livery of seisin*] necessaria erat etiam jure comm. ad statum in annos creandum; et ante Stat. ad Fraudes præcavendas hoc pactum ne scriptis quidem necessario mandari debebat. Attamen locationis concessio [*the granting of a lease*] perfectum statum in annos non confert [*does not vest a complete state for years in the grantee*] antequam conducto tenementum ingreditur. Potest quidem [nisi aliter in locationis instrumento conventum sit (*a*)] ejus commodum termini statim alteri dare, sed antequam tenementum ingreditur, ad quod agendum jus habet vi locationis, damni actionem [*an action of trespass*], propter injuriam in agros illatam instituere nequit. Tenens in annos non *seisinam* sui fundi sed *possessionem* habere dicitur. Hujusmodi tenens, secluso pacto speciali, eodem jure in iis quæ pertinent ad *estovers* ac tenens per vitam potitur. Tenetur damna a seipso illata [*voluntary waste*] reparare. Sed præscripta juris municip. de hujusmodi damnis et de *emblementis* [*emblements*], quæ inter contingentia statuum per vitam aut per annos numerantur infra a n. 334. exponentur.

§ 2. *De statibus in agris et tenementis qui ad arbitrium locatoris et conductoris fundi tenentur* [estates at will].

330. Status ad arbitrium est status quem locator conductori concedit ab ipso tenendum quamdiu locatori et conductori placebit.

(*a*) Talis conditio ut vidimus esset nulla si status esset feudum simplex aut talliatum.

Potest enim hic status terminari sive a tenente sive a domino fundi, salvo tamen jure tenentis ad emblementa, si locatio voluntate domini fundi terminata sit. Hic status aut verbis aut scriptis aut etiam legis interpretatione [*by construction of law*] creari potest. Tenens nullum habet statum certum et permanentem, et suum statum alteri abalienare non potest [*he cannot assign his estate*]. Per hujusmodi actum ipse illico statum amittit.— Insuper si ipse damnum in agros inferat [*if he commits waste*], hoc ipso agris privatur; non autem quando damnum solummodo permittit, quia ad tale damnum præcavendum tenens ad arbitrium non astringitur. Hic status terminatur non solum per expressam voluntatem aut locatoris aut conductoris [*of the lessor or lessee*], sed etiam per mortem aut proscriptionem [*outlawry*] alterutrius. Quando locator statum verbis aut scriptis terminat indicium in hunc effectum aut ipsi conductori aut palam in ipsis agris dare tenetur. Sed exercitium cujusvis *actus* dominii [*of ownership*] ex parte locatoris sine conductoris consensu hunc statum terminat. Hinc si agros ingrediatur et arbores succidat aut animalia propter reditum non solutum arripiat eosque in septo publico [*a pound*] detineat; aut si de agris per *feoffamentum* disponat; aut eos alteri per locationem in annos a præsenti tempore effectum habituram concedat, status ad arbitrium ipso facto abrogatur. Sed quum status a locatore terminatur, conductori per tempus rationabile ingredi licet ad sua bona et utensilia auferenda. Si consuetudo in aliquo casu sit ut tenens tertio quoque aut sexto quoque mense reditus solvat, si status ab ipso terminetur reditus ad finem tremestris aut semestris spatii solvere tenebitur.

331. Nisi intentio contrahentium ad creandum statum ad arbitrium sit certa, curiæ legis ubi nullius certi termini mentio fit in locatione non statum ad arbitrium sed pactum tenendi de anno in annum [*a tenancy from year to year*] hujusmodi locatione constitutum declarabunt; neque alterutri parti sine indicio rationabili alteri dato locationem terminare permittent. Itaque hic status quamvis sit valde incertus quoad durationem potius tamen ad locationem per annos quam ad locationem ad arbitrium referendus est. Creari potest per partium conventionem aut scriptam aut non scriptam, aut etiam per legis interpretationem; si enim quis agros alteri locet, annuo reditu reservato, qui tamen duas tertias partes reditus qui summus rationabiliter sperari potest adæquare debet, nullo tempore determinato, curiæ legis hanc locationem esse de anno in annum declarabunt. Ita quoque si agri ab aliquo occupentur annuo reditu reservato, et si non constet statum occupantis diversi esse generis, erit tenens de anno in annum; aut si

quis agros occupet per locationem verbis tantum factam et in spatium temporis tres annos excedens, erit tenens de anno in annum; quamvis enim hæc locatio est invalida utpote per pactum non firmata attamen interpretatione legis talis tenens agros suos de anno in annum occupat.

332. Quoniam hæc species locationis de anno in annum est communissima de ejus duratione pauca addere juvat. Necessario requiritur indicium rationabile ad locationem finiendam [*reasonable notice to quit*] antequam alterutra pars finem locationi imponere potest. Nunc per universalem consuetudinem hoc indicium rationabile spatium minimum sex mensium exigit, et ex indicio, nisi alia sit ratio agros exigendi, necessario deposci debent (et idem dicendum est de indicio ex parte tenentis ad illos derelinquendos), non post aliquot sex menses locationis, sed post sex menses quibus finietur aliquis annus completus locationis. Sic si locatio sit a prima die Januarii, 1869, terminari nequit nisi per indicium ad agros cedendos in fine anni 1870 et uniuscujusque anni sequentis. Hinc locatio de anno in annum semper tenuram in unum annum confert, quia indicium ad tenenciam finiendam nisi in fine primi anni dari nequit; et si primum semestre sine indicio elabi permittatur, tenencia terminari nequit ab alterutra parte ante finem secundi anni. Et sic deinceps indicio non dato ab alterutra parte intra primum semestre alter annus continuo additur anno vertenti. Si vero tempus in quo annus completus locationis finietur sit incertus, utrum v. g. erit die 30 April., sive 31 Nov. indicium non sex mensium sed anni integri requiritur. Sed si locatio fuisset in principio in unum annum, et ita de anno in annum [*if the lease be for a year, and so from year to year*], locationem in duos annos conferret ab initio; quia durante primo anno nullum indicium ad terminandam tenenciam dari potuit; quia hic annus absolute conceditur, et quoniam indicium ad terminandam tenenciam debet cum fine alicujus anni tenenciæ correspondere, non potest ante finem secundi anni effectum obtinere. Status hujusmodi non destruitur, sicut status ad arbitrium, aut per abalienationem tenentis [*by assignment*] aut per mortem locatoris aut conductoris, sed inter eos qui in eorum jura succedunt subsistet.

333. Annus civilis apud nos semper constat ex 365 diebus; quando enim annus intercalaris occurrit, duo ultimi dies pro uno computantur. Jure comm. mensis quando de rebus temporalibus agitur, ex mensibus lunaribus, i. e. ex 28 diebus constat, nisi aut consuetudo, aut mens partium, in aliquo negotio menses solares [*calendar*] computandos esse determinat. Regula tamen juris

comm. in locationis instrumentis obtinet, et proinde locatio in duodecim menses, nonnisi 48 hebdomadas complectitur; sed si locatio sit in annum [*if the lease be for a year, or a twelvemonth numero singulari*], totum annum complectitur. Ita ex jure com. res se habet; sed nunc per 13 et 14 Vict., c. 21, declaratur verbum mensem, mensem solarem significare nisi expresse declaretur, mensem lunarem intelligi. Lex municip. etiam ordinarie spatia temporis integra computat sine respectu ad numeros fractos [*fractional parts*]; ita ut 182 dies dimidium anni et 91 ejus quartam partem constituant. Dies etiam totum spatium 24 horarum complectitur, et proinde generatim loquendo quando quis pecuniam certa die solvere tenetur, obligationi satisfacit si pecuniam creditori ante mediam noctem tradat. Sed non solum conventione partium, sed et consuetudine hæc moderari possunt, ut quando solutio fieri debet apud mensam publicam [*to a bank*], aut in officina mercatoris aut alio loco in quo res geruntur, qui ex consuetudine singulis diebus statutis horis occluditur, quia tunc solutio fieri debet intra horas conventione aut consuetudine statutas.

§ 3. *De emblementis* [emblements]; *de damno statui illato, seu ut verbis antiquorum jurisperitorum utamur, de vasto* [waste]*; et de bonis mobilibus quæ rebus immobilibus affixa sunt* [fixtures].

334. Emblementa sunt segetes crescentes [*the growing crops*] quæ aut ex seminibus aut ex radicibus singulis annis industria agricolæ producuntur, ut frumentum, linum, pastinacæ, rapi, lupus [*hop plant*], melones, cucumeres, &c. Hujusmodi fructus a theologis fructus *mixti* appellantur, quia a re fecunda, nempe terra, et industria hominis producuntur. Fructus autem *naturales* qui singulis annis non per industriam agricolæ, sed sine ejus labore producuntur, ut gramina, fructus arborum, &c., ad emblementa non pertinent. Omnes tamen fructus sive naturales sive mixti, quamdiu ab ipsa terra non separantur, jure municip. ut pars ipsius terræ [*parcel of the realty*] reputantur. Quando vero a solo separantur, v. g. quando frumentum demessum est, bona mobilia [*personalty*] fiunt. In priore casu plerumque iis juris præscriptis quæ possessiones immobiles, in posteriore iis quæ bona mobilia respiciunt, reguntur. Sic arbores quamdiu manent in terra plantatæ pars sunt liberi tenementi; et mortuo tenente liberi tenementi ad heredem transmittuntur; quando autem cæduntur, aut vento dejiciuntur, res mobiles fiunt, et ad administratorem defuncti pertinent.

335. Huic tamen doctrinæ occurrit exceptio in casu fructuum mixtorum seu emblementorum, quæ quamvis a solo terræ non separentur, magna tamen ex parte reguntur, præscriptis juris quæ res mobiles respiciunt, et proinde mortuo tenente qui agrorum feudo potitur, emblementa non ad heredem sed ad executorem aut ad administratorem pertinent. Attamen si agri non jure hereditario sed per testamentum transmittantur, legatarius emblementa accipit, ex præsumpta nempe voluntate testatoris. Insuper quamvis jure comm. nonnisi bona mobilia tenentis a domino agrorum occupari possunt [*can be distrained*] propter reditus non solutos, attamen in Anglia per 2 Geo. II., c. 19, ob hanc causam occupari possunt frumentum, gramina, lupus, linum aliaque hujusmodi quamvis a solo terræ minime separantur. Idem præscriptum ad Hiberniam extensum erat per 56 Geo. III., c. 88, sed per 9 et 10 Vict. abrogatum, et frumentum, &c., a solo terræ non separatum propter reditus non solutos occupari non possunt, nisi quando secundum 14 et 15 Vict., c. 25, s. 2, frumentum, &c., ex solo terræ non separatum vi mandati executionis comprehenduntur et venduntur propter alia debita, quo in casu post venditionem a vice-comite factam, si nulla alia bona quæ arripi possunt inveniantur frumentum, &c., propter reditum non solutum, quamvis a solo terræ non separentur occupari possunt. Judices etiam propter affinitatem præscriptorum legis quæ res mobiles et emblementa respiciunt statuerunt, ut judicio contra tenentem lato, et rescripto ad ejus bona et catalla occupanda obtento, emblementa ejus occupari possint. Quum is qui statum in propriam suam vitam aut in vitam alterius possidet *serit agros*, et aut ipse aut alter in cujus vitam agris potitur moritur, emblementa ad executores defuncti in primo casu, et ad ipsum tenentem in secundo pertinent. Item si status detur viro et uxori *dum durabit matrimonium*, et si mat. diremptum sit postquam maritus agros severit, quamvis status divortio terminatur, attamen maritus jus habet ad emblementa. Hæc tamen obtinent quando status in vitam terminatur per *actum Dei* aut *legis;* aliter autem est si terminetur per actum ipsius tenentis, ut si ex agris exciderit [*has forfeited the lands*], aut si illis propter *vastum* privatus fuerit, aut si status ipsi quamdiu cœlebs permanserit concessus sit, et ipse uxorem duxerit; in his enim casibus emblementa non ad tenentem sed ad dominum pertinent. Quamvis vero is cui status concessus est quamdiu cœlebs permanserit, mat. contracto tum statu tum emblementis privatur, ejus tenens cui agros locavit jus habet ad emblementa. Quando agri locantur in aliquot annos, terminus est aut certus, ut si locatio sit in triginta annos a primo die mensis Januarii A. D. 1870, et qui

hos agros serit nullum jus legale habet ad emblementa; aut terminus est incertus, ut si locator sit tenens in vitam et ante finem termini moriatur, aut si seisatus sit jure uxoris et ipsa decedat antequam anni in quos agri concessi erant elapsi sunt, aut si agri concessi sint in triginta annos, si tamdiu vixerit Petrus, et ipse interim moriatur, tenens jus habet ad emblementa. Sed si locatio terminetur aut culpa aut voluntate ipsius tenentis, is jure ad emblementa obtinenda privatur. Nunc autem in Anglia tenens qui summum reditum [*rack rent*] solvit, quum agros tenet a domino qui eos possidet aut in vitam suam, aut in tempus ex quacumque alia causa incertum, per 14 et 15 Vict., c. 25, s. 1, si talis dominus moriatur postquam agri sati sunt, eos tenere potest usque ad finem anni vertentis locationis, et reditum statutum pro toto anno solvere tenetur. Si vero agros hic et nunc domino tradere malit, usque in præsentem diem reditum pro rata solvere obligatur. In Hibernia per 23 et 24 Vict., c. 154, s. 34, quando tenencia ob aliquem casum et non actione voluntaria aut delicto [*default*] tenentis finitur, electio ipsi datur aut agros statim domino tradere, reditu usque in præsentem diem pro rata soluto; aut eos occupare usque ad finem anni vertentis tenenciæ, et reditum consuetum pro toto anno solvere. In locationibus ad arbitrium, si status terminetur aut voluntate aut culpa tenentis, nullum jus habet ad emblementa; si autem terminetur per locatorem postquam agri sati sunt, jus habet tenens eos ingredi suasque segetes metere et auferre.

326. Damnum statui illatum seu *vastum* [*waste*] est detrimentum quod tenens qui agros et tenementa solummodo ad aliquod tempus habet iis infert aut inferri permittit, ex quo is ad quem hereditas pertinet injuria afficitur. Duplex est, *voluntarium* et *permissivum*. Prius aut physice aut moraliter ab ipso tenente infertur, ut si domos diruat, arbores cædat, &c.; posterius fit si domos v. g. defectu reparationis collabi permittat. Quæ hic dicimus de vasto præscripta juris non pacta privata respiciunt; nam hujusmodi pactis contrahentes obligantur quamvis obligationes quas imponunt a præscriptis legis omnino diversæ sint. Quicquid *damnum permanens* libero tenemento aut hereditati infert vasti nomine continetur. Itaque omnis damnificatio facta aut permissa circa domos, sylvas, arbores, agros, aut alia hereditamenta corporalia a tenente (quamvis non omnis tenens obnoxius est propter vastum permissivum) dum ejus status particularis perdurat vastum efficit. Si domus destruatur a tempestate aut fulgure aut alio simili casu, vastum non est, quia actus est Providentiæ; vastum autem est si negligentia conductoris [*the lessee*] aut domesticorum ejus comburatur. Si vero tenens per pactum expressum domum sartam tec-

tam servare teneatur [*be bound by express agreement to keep the house in repair*], etiam si tempestate aut fulgure destruatur, ipsam reædificare tenebitur, nisi casus hujusmodi inevitabiles in ipso pacto excipiantur. Vastum etiam committi potest in stagnis, columbariis, vivariis, &c., si ita minuantur animalia quæ in illis servantur, ut numerus sufficiens non relinquatur in usum heredis quum is ad hereditatem pervenerit. Arbores quædam partem hereditatis constituunt, ut quercus, fraxinus, ulmus in omnibus locis; et aliæ quædam consuetudine speciali quorundam locorum, ubi in ædificiis construendis adhibentur. Has succidere, decacuminare, aut aliquid aliud facere unde arbores lædantur *vastum* est. Sed tempore opportuno [*seasonably*] virgulta [*underwood*] exscindere licet, et nisi aliter expresse conventum sit, *estovers* (quæ supra n. 315 explicavimus) quibus opus est ex agris auferre. Sed vasti reus est qui sylvam pratum aut pascua arat colitque, aut vice versa qui ad pascendos greges utitur agris quos arare, serere, &c., pacto teneter; aut qui commutat unam speciem ædificii in aliam, etsi ejus valor per mutationem augeatur; aut qui terram excavat ad metalla, carbonem bituminosum, et alia hujusmodi perquirenda. Si vero fodinæ jam institutæ [*opened*] erant, potest tenens illas exercere ad tantundem metallorum et carbonis obtinendum quantum in proprium suum usum requiritur. Sed illud fere jure sancitum est ut omnis tenens qui non hereditario jure tenet cuivis damno per ejus factum aut negligentiam agris illato resarciendo obnoxius sit. Tenens autem in feudo aut simplici aut talliato, in judicium propter damnum vocari non potest; et idem dicendum est de eo qui statu talliato quum non jam possibile sit ullum heredem illi futurum esse potitur; quia quamvis ejus status de facto est status in vitam suam, attamen ab initio hereditarius erat. Tenentes vero in vitam aut in annos reparationi damni per vastum illati obnoxii sunt; et quamvis locatio clausulam contineat vi cujus tenens ab accusatione propter vastum eximitur [*without impeachment of waste*], attamen nisi hoc expresse declaretur, domos diruere non permittitur; et si hoc attentet, mandatum [*an injunction*] ad ipsum coercendum a curia sive legis sive æquitatis obtineri potest. Sed nisi locatio hanc clausulam contineat tenens in vitam obnoxius est propter vastum etiam permissivum. Utrum vero tenens per annos obnoxius sit propter vastum permissivum disputatur, sed semper fere clausula in locatione inseritur, vi cujus tenens ædificia in fine termini locatori tradere tenetur in eodem statu quo ea accepit. Tenens ad arbitrium obnoxius est propter vastum voluntarium, non autem propter permissivum. Tenens ex

tolerantia cogi potest non solum damna statui illata reparare, sed et aliquando summum reditum duplicem solvere, ut infra n. 339 videbimus. Sed damnum a quocunque tenente illatum vastum non reputabitur nisi fuerit alicujus momenti; et ideo in quadam lite in qua juratores damnum illatum infra quadraginta nummos [*forty pence*] æstimarunt, judex illis præcepit [*directed*] ut sententiam in gratiam possessoris pronunciarent [*to give a verdict for the defendant*]. Amovere tabulationem parietum [*wainscot*], solum tabulatum [*a boarded floor*] aut pavimentum, aut alias res libero tenemento permanenter affixas, plerumque vastum est; sed tenens qui ædificia commercii causa, aut bona mobilia ornatus causa libero tenemento affixerit, quæ absque injuria notabili rei cui affiguntur separari possunt, hæc licite auferre potest.

337. De bonis mobilibus quæ rebus immobilibus permanenter affixa sunt quæ *fixtures* appellantur, pauca dicenda sunt. *A Fixture* est aliquid accessorium quod rei immobili adhæret. Attamen complectitur fenestras, et septa ex sudibus [*palings*], quæ revera pars tenementi ipsius immobilis esse videntur, et fortaces [*grates*], et machinas illas quæ vapore aguntur [*steam engines*] in fodinis carbonariis, quæ etiam quando tenemento aut terræ affixa sunt, secundum præscripta legis municip. naturam bonorum mobilium adhuc retinere videntur. Sed ex definitione, quamvis plura disparata includit, saltem intelligitur rem aliquam ut *fixture* dici possit, non debere partem esse substantialem rei ipsius immobilis, ut muros et solum domus, et ex altera parte necesse est ut rei immobili actu adnexa sit. Hinc contactus mere physicus, ut tabulæ quæ ab uncо parieti infixo suspenditur, aut domus ex ligno confectæ, quæ solo suo pondere fundamento lateritio nititur, non sufficit ut res mobilis *fixtura* fiat.

338. Regula erat juris comm. antiqui, quod omnia bona accessoria quæ rebus immobilibus affixa erant pars ipsius rei immobilis fiebant, secundum axioma, *quicquid plantatur solo, solo cedit.*—Secundum hanc doctrinam bona hujusmodi subjici debent præscriptis quibus proprietas immobilis regitur. Attamen huic regulæ plures dantur exceptiones, quæ præcipue decisionibus judicialibus curiarum superiorum introductæ et stabilitæ sunt, vi quarum bona mobilia rebus immobilibus affixa, multis sub respectibus, catallis personalibus æquiparantur. Istæ exceptiones præcipue occurrunt, 1, inter heredem antecessoris qui tempore mortis suæ statu hereditario potitus est, quem antecessorem Blackstone *terretenant* nominat, et eum qui vice defuncti fungitur [*the personal representative of the deceased*]; 2. inter tenentem status specialis [*particular estate*], i. e. status qui in vitam tenetur, et eum cui status

post mortem tenentis specialis per modum residui descendit; et 3, inter dominum [*landlord*] et tenentem.

339. Primum igitur defuncto terræ-tenente, quamvis plerumque bona mobilia quæ rebus immobilibus affixa sunt ad heredem descendunt, attamen ea quæ tenemento sive ornatus, sive usus domestici, sive negotiationis gratia affixa erant, modo separari possint sine damno notabili tenementi, et ad ejusdem fruitionem non sunt necessaria, non ad heredem sed ad eum qui vice defuncti fungitur descendunt. 2. Quamvis tenens status specialis generaliter vastum non committere obligatur, et hereditatem illæsam servare, nihilominus bona mobilia quæ sive ornatus, sive usus domestici, sive negotiationis causa, suis impensis tenemento affixa erant, removere potest durante ipsius statu, et statu finito ab eo qui ejus vice fungitur auferri possunt, si sine gravi damno hereditatis removeri possunt. 3. Tenens aut durante suo statu, aut statu finito, non autem postquam tenementum reliquerit [*after he has quitted the premises*], bona propriis impensis aut ornatus, aut usus domestici, aut negotiationis causa tenemento affixa, auferre potest. Sed hoc jus non extenditur ad erectiones a tenente factas, si sine notabili damno liberi tenementi removeri non possint; in eo enim casu lex eas simul cum ipso tenemento in fine termini domino reddi jubet. Attamen quando valor tenementi labore et impensis tenentis augetur ita ut majore pretio vendi possit, aut major reditus ex eo percipi, æquitas postulat ut lex feratur qua dominus compensationem tenenti facere tenebitur. Sancitum est quidem pro Anglia per 14 et 15 Vict., c. 25, s. 3, ut si tenens fundi (consensu tamen ejus qui tunc dominio agrorum potitur scriptis obtento) propriis impensis aliqua ædificia sive machinationes [*machinery*], ad agros colendos aut ad negotia gerenda construxerit, hæc ad ipsum tenentem pertineant, qui ea auferre possit, quamvis permanenter solo affixa sint, nisi vi pacti hæc ædificia construere obligatus sit; modo tamen ea removere possit sine notabili damno agrorum aut aliorum ædificiorum; aut saltem modo tenens hæc restituat ad conditionem in qua erant antequam erectiones quæ auferuntur constructæ erant. Tenens etiam tenetur dominum præmonere se ædificia ablaturum esse, saltem uno mense antequam ea removere incipiat, et domino jus conceditur ea emendi pretio determinando a duobus arbitris aut a disceptatore [*by two referees or an umpire*]. In Hibernia secundum 23 et 24 Vict., c. 154, s. 17, tenens aut durante tenencia, aut ea finita aliquo casu inopinato, infra duos menses postea, auferre potest catalla personalia, machinationes et ædificia quæ propriis impensis usus domestici, &c., causa erexerit quando hæc removeri possunt

sine gravi damno liberi tenementi, modo tamen compensationem æquum ob aliquod damnum in agros aut domos domini illatum fecerit. Nullus consensus prævius domini requiritur, sed si tenens pacto expresso ædificia, &c., erigere prohibitus esset, ea auferre non permittitur. Sed lex nullam concedit compensationem pro aliis ædificiis et habitationibus sæpe longe magis necessariis, neque pro sepimentis neque propter aquæ deductionem [*drainage*] aut meliorem agrorum conditionem. Lex aliqua quæ omnia hæc tenenti tuta præstabit summe necessaria est.

Res mobillis tenemento affixa quam removere *tenenti in annos* licet occupari potest vi *mandati exsecutionis* quod vocant [*a writ of execution*] contra ejus bona et catalla, sed ita occupari non potest quando possessor est *tenens liberi tenementi.* Sed bona hujusmodi a quocumque tenente possessa propter reditus non solutos nunquam occupari possunt. Jus tenentis ad hæc bona auferenda excludi potest per pactum speciale vi cujus in fine locationis ad dominum pertinebunt. Quando tenens aufert bona a se tenemento affixa ut fenestras, septa ex sudibus, fortaces, &c., tenetur reponere ea, quæ removebat ad sua substituenda, aut alia æque bona erigere.

§ 4. *De statu ex tolerantia* [of an estate at sufferance].

339. Quando quis agros titulo legitimo, seu ut loquuntur jurisperiti *demissione* (*a*) legitima [*by a lawful demise*] ab initio tenebat, sed tempore in quod agri locati erant elapso eos adhuc injuste detinet, *statum ex tolerantia* habere dicitur. Sic si homo accipiat locationem [*a lease*] agrorum in unum solummodo annum (non autem de anno in annum, aut in singulos annos [*by the year*] quas formulas locationis supra exposuimus), et anno elapso eos adhuc occupare perseverat, sine nova licentia a domino status concessa, est tenens ex tolerantia. Iterum si Caius agros Julio ad arbitrium concesserit, et Julius post mortem Caii (qua hic status terminatur) adhuc possessionem agrorum retinet, est tenens ex tolerantia. Destruitur hic status aut per ingressum pacificum domini in agros et possessionem agrorum a tenente auferendo [*by actual entry of the true owner on the lands, and ousting of the tenant*], aut quando hoc fieri nequit propter repugnantiam tenentis, per actionem ejectionis firmæ [*an action of ejectment to*

(*a*) *Demissio* [*a demise*] componitur ex *de* et *mitto*, et secundum ejus sensum legalem significat abalienationem [*the conveyance*] agrorum sive in feudo, sive in vitam, sive in annos. Ita quoque locatio [*a lease*] qua agri abalienantur, sive scripto instrumento sive verbis conficitur, nomine demissionis [*a demise*] appellatur.

recover possession of the land]; et per aliam actionem quæ injuriarum actio [*trespass*] dicitur ad obtinenda emolumenta et lucra ex agris injuste detentis percepta. Olim hæc erant sola remedia; sed per stat. Britannicum 4 Geo. II., c. 28, pro Anglia, tenens in vitam aut in aliquot annos, aut alius qui vel sub ipso tenet, vel conjuratione cum eo inita ipsum in injusta detentione agrorum sustentat, qui tempore locationis finito, et possessione agrorum postulata, libello in hunc effectum propalam posito [*written notice given*] ab eo ad quem reversio aut residuum pertinet, voluntarie illos detinebit, aut dominum legitimum a possessione obtinenda prohibebit, pro tempore quo sic agros detinebit reditum annuum valore agrorum duplo majorem solvere cogetur. Et hoc idem per stat. Britan. 2 Geo. II., c. 19, pro Ang. statuitur de tenente qui potestate gaudens ad suam locationem terminandam, indicium dederit domino agrorum suæ intentionis eorum possessionem ipsi certo tempore tradendi, et tempore statuto illos reddere recusabit. Hæc statuta ad Hiberniam extensa erant, sed postea abrogata. Quoad substantiam eadem præscripta per 23 et 24 Vict., c. 154, s. 76, lata sunt quoad omnes tenentes qui termino finito, et indicio scripto dato quo possessio agrorum deposcetur, illos domino tradere recusabunt. Et vi ejusdem stat. quando reditus annuus centum libras non excedat, reditus valore agrorum duplo major in trimestribus magistratuum comitiis obtineri potest in Hibernia. Insuper per stat. 1 et 2 Vict., c. 74, pro Anglia, quando locatio est ad arbitrium domini agrorum, aut in tempus septem annos non superans, et aut sine reditu aut cum reditu annuo viginti libras non excedente, si tenens aut ejus subtenens tempore in quod agri ipsi concessi erant elapso, aut rite sive per indicium quo possessionem reddere mandatur [*by notice to quit*], sive alio modo terminato, possessionem reddere recusabit, poterit dominus agrorum, vel unus ex illis si plures sint, libellum tenenti tradere quo ei notam faciet suam intentionem agros recuperandi per agendi rationem brevem et extrajudicialem [*by a summary process*] coram duobus magistratibus in concessu parvo juridico [*in Petty Sessions*] pro ambitu [*the circuit*] (*a*) in quo agri siti sunt congregatis institutam. Hi magistratus, nisi tenens rationabilem causam hoc denegandi ostendat, mandatum suum [*their warrant*] edere possunt, vi cujus dominus possessionem statim exigere potest, nisi tenens cautionem dederit se actionem de jure probanda [*to try the right*] instituturum esse, et omnes impensas soluturum si judicium adversus eum dicatur. Si vero ille qui mandatum

(*a*) A district in law signifies a portion of territory, as of a state, county, or town, defined by law, within which a certain jurisdiction may be exercised.

obtinuit, jus legale possessionis non habuerit, noxam ingrediendi alienum fundum committit [*he shall be guilty of a trespass*], et injuriarum actio [*an action of trespass*] contra ipsum ad damni reparationem obtinendam intendi poterit. Insuper per 19 et 20 Vict., c. 108, s. 50, pro Anglia, statuitur ut quum commodum et emolumentum [*the interest*] quod tenens jure percipiat ex aliquo tenemento corporali finem habuerit, aut tempus in quod id tenere possit [*the term*], modo valor annuus tenementi vel reditus propter illud solvendus £50 non excedat, et modo nulla multa aut præmium pro dicto tenemento sit a tenente solutum, advenerit, aut terminatum fuerit per legale indicium ad possessionem exigendam, et tenens vel subtenens possessionem reddere aut recusabit aut negliget, dominus possit per mandatum curiæ comitatus in Anglia, sine recursu ad ullam curiam superiorem possessionem obtinere. In Hibernia idem effici potest a trimestribus magistratuum comitiis quando reditus annuus centum libras non excedit. Sed nemo non videt omnes illas leges in gratiam dominorum agrorum et contra tenentes ordinari; qui etiamsi sua causa sit justa coram lege, vix se propter magnas impensas contra potentem et divitem dominum defendere possunt. Denique de statu ex tolerantia observandum est quod contra jura regis existere non agnoscitur; in hoc enim casu termino elapso tenens ut intrusor, id est ut homo qui illos agros ab initio absque ullo justo titulo ingressus est habetur. Attamen si tenens cedere possessionem recuset, non potest vi et armis expelli, sed necessarium erit ad jus vindicandum actionem in Curia Erarii [*the Court of Exchequer*] intendere. Nulla obligatio fidelitatis oritur inter locatorem et conductorem quando status ad arbitrium, et a fortiore quando ex tolerantia tenetur.

DISPUTATIO UNDEVICESIMA.

DE STATIBUS QUI CONDITIONIBUS ASTRINGUNTUR [*of estates upon condition*], ET DE STATIBUS IN POSSESSIONE, REVERSIONE, ET RESIDUO.

§ 1. *De statibus qui conditionibus astringuntur.*

340. Hi sunt potius statuum jam descriptorum temperationes [*qualifications*] quædam quam novæ statuum species; sunt enim status qui creantur aut amplificantur, aut destruuntur [*defeated*] prout quædam conditio casu evenerit vel non evenerit; et tum feudum tum liberum tenementum, tum status in annos hujusmodi conditionibus alligari possunt. Hujusmodi status sunt sub conditione vel *implicita*, vel *explicita*. Status sub conditione implicita est ubi nulla conditio verbis exprimitur, sed ex interpretatione juris conditionem in tali statu contineri declaratur. Sic si *officium* homini concedatur, nulla conditione expressa, lex ipsa hanc ponit conditionem, ut munera sui officii rite perficiat; qua non servata, ipsi concessori [*grantor*] ejusve heredibus licebit eum officio privare. Privilegia quoque regia subditis concessa [*franchises*] sunt status in quibus ex legis interpretatione continetur hæc implicita conditio, ut subditus his non abutatur, et proinde propter eorum abusum iis privari poterit.

341. Status sub conditione *expressa* duplicis sunt generis, nempe 1. quando status aut creatur, aut amplificatur, aut abrogatur, per impletionem aut violationem cujusdam conditionis, quæ per modum actus vel ex parte concedentis vel ex parte accipientis statum requiritur, quæ ideo conditio *in facto* [*in deed*] dicitur; et 2. quando status creatur sub quadam conditione contingenti quæ nullum actum exigit, quâ tamen deficiente status abrogatur. Conditiones quæ *in facto* constare dicuntur, sunt aut antecedentes aut subsequentes [*precedent or subsequent*]; priores necessario poni debent antequam status creari aut amplificari possit; posteriores sunt eæ ob quarum violationem, status

jam existens abrogatur. Sic si quis agros tenenti in aliquot annos concedat, ea conditione ut si ante finem termini mille libras solvat feudum horum agrorum habiturus sit, hæc conditio est præcedens, et tenens feudum non accipiet donec nummos solverit. Si vero quis statum in feudo simplici alicui concedat, sibi suisque heredibus reditum reservans, ita ut si reditus non solvatur temporibus statutis [*at the times limited*] ipsi suisque heredibus integrum sit iterum agros ingredi et statum tenentis abrogare [*to avoid the estate*], hæc conditio est subsequens, quia per ejus violationem status jam constitutus abrogatur.

342. Quando vero conditio *nullum factum* aut actum exigit, sed status deperditur quadam conditione contingenti non existente, hæc *conditionalis limitatio* dicitur. Sicut quando agri in feudo basso Joanni ejusque heredibus conceduntur quamdiu tenentes manerii v. g. Manutiani permanebunt; sive quum in feudo simplici conditionato abalienantur, ut quando Caius v. g. *tenens in tallio* agros suos in feudo simplici Petro concedit, status Petri perdurabit quamdiu Caius heredes corporis habebit. In his enim casibus diuturnitas status non ex actibus concedentis aut accipientis sed ex aliquo casu eventuro aut non eventuro pendet. Sic quoque si quis annuam pecuniam [*an annuity*] homini ejusque heredibus corporis constituat, hæc utpote non constituens tenementum prout intelligitur in Statuto *De Donis*, est feudum simplex conditionatum, ea scilicet conditione ut qui statum accipit heredes corporis habeat, qua conditione contingente non existente status abrogatur.

343. Quoniam magna est affinitas inter *limitationes conditionales* et status qui pendent ex conditione sive antecedente sive subsequente, ut inter se distinguantur necessarium est verba quibus constituuntur accurate perpendere. Sic si agri alicui concedantur quamdiu innuptus permanserit, vel *usquedum* ex eorum reditibus et emolumentis quingentas libras perceperit, hæ sunt limitationes conditionales, et conditione impleta, absque ullo alio actu status desinit, et ad eum pertinet [*is vested in him*] qui reversionem habet. Si vero status concedatur *ex conditione* in facto v. g. ut innuptus *permaneat*, sive, quod idem est, *dummodo* matrimonium ne contrahat, aut *dummodo* Romam eat, aut *ea conditione* ut si donator donatario centum nummos solverit futurum sit ut status abrogetur [*shall be void*], hæ sunt conditiones *in facto*, et quamvis conditione posita qua existente status irritus effici potest, et conditione non posita ex cujus existentia status pendet, donator ejusve heredes agros ingredi, et ita statum donatarii evacuare possunt, attamen si status sit *liberum tenementum*, non desinit *per*

se, sed permanet usquedum per ingressum donatoris abrogetur. Si vero locatio fuerit in aliquot annos, et status ea conditione concessus fuerit ut nisi conductor [*the lessee*] iverit Romam *ante certam diem*, locatio irrita futura sit, conditione non impleta, status absque ullo ingressu destruetur.

344. Status concessus sub conditionali limitatione, semper etiam jure comm. secum portat hanc conditionem etiam in gratiam alieni cui assignetur; sic si Petrus agros Paulo locet donec Jacobus a Roma revertatur, et interim reversionem Joanni concedat, status Pauli per reditum Jacobi terminatur, et pertinet ad Joannem, qui agros statim ingredi et occupare potest. Ubi vero conditio est *per factum subsequens*, jus rursus ingrediendi reservari non potest in gratiam alterius, sed solummodo in gratiam ipsius donatoris ejusque heredum, quorum ingressu status concessus ita abrogatur ut ipsi *de novo* statum recuperare non censeantur, sed eum occupent vi antiquæ seisinæ quam habebant antequam alteri concessus erat. Sed jure comm. etiamsi reversio agrorum alteri concessa fuisset, ipse jus ingrediendi non acquirit quamvis possessor conditionem subsequentem non impleverit. Et hæc lex adhuc vigere videtur (*a*), si violatio conditionis ob quam jus iterum agros occupandi [*the right of entry*] ante assignationem reversionis occurrat; ut si Petrus agros Paulo in vitam locet ea conditione ut nisi reditus solvatur tempore statuto, ipsi facultas agros iterum occupandi competat, et si postquam jus ingressus ortum sit Petrus reversionem agrorum transferat Joanni, hic non habet jus agros ingrediendi propter violationem conditionis quæ locum habuit antequam agri ipsi assignati erant. Sed per stat. Ang., 32 Hen. VIII., c. 34, si violatio conditionis eveniat *post reversionem* Joanni translatam, modo conditio respiciat reditus solutionem, aut vastum [*waste*], aut aliud commodum quod ad eum cui reversio concessa est pertinere debet, idem jus quod habuisset Petrus Joannes habebit. Hoc stat. per stat. Hibern. 10 Car. I., s. 2, c. 4, ad Hib. extensum est, sed abrogatum per 23 et 24 Vict., c. 154, vi cujus ss. 3, 11, 12, 13, agri aut a domino aut a tenente abalienati iisdem juribus gaudent, et iisdem oneribus subjiciuntur quæ inter eorum priorem dominum et tenentem ante abalienationem intercedebant.

345. Si status, qui sub expressa conditione conceditur, sit aut hereditarius aut in vitam possidendus, liberum tenementum constituit, quia quamvis per conditionis violationem status terminari

(*a*) Cf. 8 et 9 Vict., c. 106, s. 6.

potest, etiam ante finem vitæ, fieri potest ut casus [*the contingency*] nunquam accidat, et proinde status in perpetuum, sive in vitam, perdurare potest. Aliter esset si concessus fuisset in centum annos si A, B, et C, aut aliquis ex illis tamdiu vixerit; quia quamvis ejus terminatio actualis sit incerta, habet tamen terminum fixum ultra quem perdurare nequit, et talis status inter catalla immobilia a lege computatur.

346. Conditiones expressæ nullæ et irritæ sunt, si sint *subsequentes* et *impossibiles* tempore quo impositæ erant; aut si postea impossibiles factæ sint per actum aut Dei aut donatoris, aut si sint vel legi vel naturæ ipsius status, repugnantes. Ut si Petrus agros in feudo simp. Paulo concedat, ex conditione, ut nisi Romam iverit intra spatium duodecim horarum; aut nisi Mariam sibi mat. conjunxerit ante certum diem, et interim ipsa moriatur, vel ipse Petrus illam ducat; aut nisi Joannem occiderit; aut ita ut si Paulus agros ipsi in feudo concessis abalienet (hæc enim conditio naturæ feudi simplicis repugnat), status Pauli *finiatur*, et agri ad Petrum *revertantur*. Hæ conditiones sunt omnino irritæ; quia status jam ad Paulum pertinebat [*was already vested in Paul*]. et abrogari non potest per hujusmodi conditiones impossibiles aut illicitas, sed in feudo simp. absol. ad Paulum pertinet. Si autem conditiones concessionem status præcedant [*be precedent or to be performed before the vesting of the estate*], ut si Petrus agros Caio donaret ea conditione ut ad eum non pertinerent nisi prius Romam intra spatium duodecim horarum ivisset, aut nisi Julium occidisset, donatio foret prorsus irrita, quia pendet ex conditione antecedente aut impossibili aut legi repugnante. Quamvis autem conditio sit et valida et possibilis, illam derelinquere potest [*may waive it*] donator status, non solum hoc expresse declarando, sed etiam implicite per interpretationem legis. Ita fecisse censebitur, si postquam violationem conditionis cognoverit, aliquid effecerit, quod stare nequit cum intentione statum propter violationem conditionis abrogandi. Sic si conditio sit ut si conductor suum commodum abalienet [*should assign his interest*], liceat locatori agros iterum occupare, si hic reditum ab eo cui abalienatio facta sit accipiat jure suo agros ob violationem conditionis occupandi cessisse judicabitur. Sed qui agros non exigit ob violationem unius conditionis, non ideo alias conditiones, si quæ sint, dereliquisse censebitur.

347. Alius status conditionatus qui ex conditione subsequenti pendet status per *elegit* [*an estate of elegit*] dicitur, ex nomine mandati [*of the writ*] quo v. g. Petrus agros Pauli obtinet donec ex eorum proventibus summa ipsi adjudicata soluta fuerit. De-

bito soluto status per *elegit* statim desinit, et agri ad Paulum revertuntur. Petrus quamdiu hic status permanet *tenens per elegit* appellatur ; et quamvis status Pauli sit liberum tenementum aut etiam hereditarius, status Petri inter sua catalla computandus est.

Alii status qui ex conditione subsequenti pendent sunt 1. *Vadium vivum, et vadium mortuum* [*living gage or pledge, and mortgage*] ; et 2. *Statute merchant, and statute staple.* De posterioribus inutile est disserere quia jampridem in desuetudinem abierunt : de prioribus in tractatu de contractibus agemus.

DISPUTATIO VIGESIMA.

DE SEISINA ET POSSESSIONE, ET DE STATIBUS IN POSSESSIONE, REVERSIONE ET RESIDUO.

348. Hactenus de quantitate commodi quod domini agrorum et tenementorum ex iis percipiunt, seu quod idem est de statuum diuturnitate egimus. Num agendum est de tempore quo quis suo statu frui incipit, i. e. quærendum est utrum quis jus habeat statu suo hic et nunc fruendi, an nonnisi tempore aliquo futuro? et hoc sub respectu status est aut in *possessione* aut in *expectatione*. Sed quoniam hæc intelligi nequeunt nisi accurata notio ipsius possessionis habeatur, quæ etiam summi momenti est in universa materia de justitia, opportunum videtur hic diligentius eam explicare, quamvis antea plura de ea obiter diximus. Etsi autem in jure nostro municip. comm. verbum *possessio* nunquam adhibetur, quando de libero tenemento agitur, cujus possessio nomine *seisinæ* semper designatur; attamen quoniam non de verbis sed de rebus gravissimi momenti disputamus, primo dicemus quid intelligatur per possessionem, sive liberum tenementum sive catalla respicit, et deinde quo sensu ipsa vocabula *seisinæ* et *possessionis* in jure municip. accipiantur exponemus.

§ 1. *De possessione.*

349. Possessio a possidendo derivatur. Unde derivetur ipsum possidere dubitatur, sed verisimillimum est illud a *potis* et *sedeo* dictum esse, et *sessionem* cum potestate seu jure significare (*a*). Quandoque hac voce ipsæ res ad aliquem titulo dominii pertinentes significantur Mat. 19. 22, "Erat habens multas possessiones." Sed quoniam possessio hoc sensu objective accepta, eadem est ac *proprietas*, nihil de hac significatione hic inquirendum est. Quod ad præsens propositum attinet, sumitur possessio pro ratione formali unde *quis rei possessor* dicitur, et *ipsa res possessa* denominatur. Hoc in sensu, quamvis vox *possessio* ubique, in materia justitiæ præ-

(*a*) Cf. Lugo de Just. disp. 2. sec. 4.

sertim, occurrit, attamen et jurisperiti et theologi veram ejus notionem tradere semper difficillimum reputavere. Hujus difficultatis ratio, ut putat Molina (*a*), est, quod ex statutis hominumque beneplacito pendeat, quis possidere aut non possidere sit censendus, eaque ratione possessio tanquam aliquid inconstans minime certam ac invariatam habens naturam, difficile possit definiri. Ideo ipse, quem satis communiter alii theologi sequuntur (*b*), ad normam legis civilis sic possessionem definit; "est rei corporalis detentio, corporis et animi, jurisque adminiculo." Hæc definitio ex Glossa (*c*) accipitur, sed ut bene observat Reiffenstuel (*d*), etsi ipse eam sequitur et egregie ad tramitem legis civilis exponit; "ultro fatendum est, quod data definitio solummodo conveniat possessioni naturali et civili simul, utpote quæ est perfectissima; non autem possessioni juris, sive civili tantum, quæ est rei corporalis detentio, animi et juris duntaxat adminiculo; neque possessioni naturali, sive facti tantum; qualis datur in fure, et in quocumque injusto rei alienæ detentore, quæ habetur sine juris adminiculo, et proinde est imperfecta."

350. *Possessio est detentio voluntaria rei sive corporalis sive incorporalis, sub potestate detinentis, nomine proprio, per actum corporalem aut ipsius detinentis, aut alterius ejus nomine agentis, aut per legis dispositionem, effecta.* Ex hac definitione explicata patebit quid *ex natura rei* ad possessionem rei obtinendam requiratur, et quid ultra id quod ex natura rei necessarium sit, exigat lex municip. ad possessionem legalem conferendam, et etiam quando ipsa suppleat ea quæ aliter ex rei natura exigerentur. Et 1. est *detentio;* non occupatio aut apprehensio; nam hæ voces exprimunt actum quo quis possessionem acquirit. Actus utique, modo infra exponendo, ad possessionem obtinendam requiritur, ipsa vero possessio non actum sed *statum* seu *conditionem* rem aliquam retinendi significat. Dicitur 2. *voluntaria;* si enim sola detentio physica possessionem constitueret, asinus dici posset possidere hominem quem in dorso portaret. Præterea si quis lapidem aut serpentem in alicujus marsupium poneret, is hunc possidere minime dici posset; ex communi enim hominum sensu, ut quis aliquid

(*a*) Tom. 1. tr. 2. disp. 12, et seq., ubi late et docte ad normam legis civilis totam hanc materiam explicat.

(*b*) Cf. Lugo, disp. 2. sect. 4. n. 59, seq.; Layman, lib. 3. tr. 1. c. 7; Croix, lib. 3. par. 2. n. 507.; Carriere de Justitia, n. 429, dicit simpliciter, possessionem esse *detentionem* rei, vel *exercitium juris* ubi agitur de rebus incorporalibus sed nullam explicationem suppeditat, et prorsus insufficiens et obscura est ejus definitio, ut ex dictis in textu satis patet.

(*c*) L. 1. v. a pedibus ff. de Acquir. Possess.

(*d*) In lib. 2. Decret. tit. 12. De Causa Possess.

possidere dicatur, intervenire debet aliqua voluntas, aut explicita aut implicita, aut saltem aliqua legis dispositio. De hac parte plenius dicetur infra, ubi de actu necessario ad possessionem conferendam. Interim vero quæritur circa quid versari debeat hæc voluntas? Debet esse voluntas rem detinendi. Non requiritur ut intentio sit eam jugitur aut per aliquod etiam longum temporis spatium detinendi; nam qui calculum tolleret, ad projiciendum in mare, eum interim possideret, usquedum e manu sua abjiceret. Sed possessor debet ab initio habere animum *rem detinendi*, et ita operarius qui arat agrum alienum, eum nunquam possidere dicitur, quanquam eum pedibus calcat; et propter eandem rationem, qui per agros alienos vagatur, eos minime possidere dicitur. Si vero quis agros alienos ingrediatur illosque occupet, animo sibi detinendi, ipse, quamvis injuste, illos possidet, usquedum ab illis expellatur. Ille nudam facti possessionem habet, et in lege municip. *disseisor* dicitur.

3. *Rei sive corporalis sive incorporalis.*—Definitio possessionis quæ in lege civili traditur res solummodo corporales complectitur; incorporales vero quæ sensibus percipi nequeunt *quasi* possideri dicuntur. Quæstio quidem esset de nomine, de hac re disputare, sed videtur satis accurate dici posse res incorporales possideri, sicut in nostra definitione traditur; quia possessio justa etiam rei corporalis longe magis in potestate morali super rem possessam quam in apprehensione physica sita est. Sane ex ipsa natura rei quando quis domum ædificat, aut agros seminat, aut vestimenta in noctem deponit, harum rerum possessione non privatur eo instante quo eas sensibus apprehendere desinit; alias si quis ab uno conclavi suæ domus ad aliud transiret, statim ipsius conclavis et omnis supellectilis in eo contentæ, possessionem amitteret, quinimmo dum dormiret nihil possidere dicendus esset. Hæc multo magis occurrunt ex dispositionibus leg. municip. juxta quas possessio non raro conceditur sine ulla rei apprehensione corporali, ut videbimus. Si autem possessio præcipue in potestate morali sita est, quoniam quis verum jus et potestatem moralem quoad res incorporales, habere potest, v. g. reditus recipiendi ex suis agris quos colono locaverit, hoc jus rite dici potest possidere. Deinde *tenere* magis presse et directe dici videtur de objectis solummodo sensibilibus, quam *possidere*, quia prima vox secundum primariam suam significationem objectum per *tactum* detineri indicat. Et tamen *officium* quod est res incorporalis maxime proprie *teneri* dicitur (*a*).

(*a*) *Yet in our municipal, as in the civil law,* "*Incorporeal hereditaments are not in a strict and proper sense the subjects* [*objects*] *of tenure, like those of*

Dicitur 4. *sub potestate possessoris*, quæ verba ex dictis fere satis intelligi possunt. Potestas autem est aut physica tantum, ut in casu furis qui rem alienam injuste detinet; aut moralis tantum, qualis est possessio quam habet dominus prædii dum in loco dissito vagatur, et neque per se neque per alium agros suos actu occupat, Dummodo vero ne quis alius prædium animo id occupandi ingrediatur, dominus quamvis absens possessionem non tantum juris sed et facti retinet, et ideo quamvis non habet possessionem naturalem habet tamen ex dispositione juris possessionem perfectam. Si vero alius prædium animo illud sibi retinendi occupet, dominus retinet possessionem *juris* et potestatem moralem, sed possessione *facti* et potestate physica super eam privatur donec *disseisor* expellitur. Ex natura rei sufficit quævis potestas super rem quæ voluntarie detinetur. Sic non solum vectores qui merces transportant earum possessionem habent, sed et ille qui accipit tunicam alterius per breve tempus tenendam non solum naturalem sed et legalem ejus possessionem habet. Attamen si quis nonnisi nomine alterius res possideat, ut domestici qui curam bonorum domini sui gerunt, sicut promus, vel pastor, nullam habent possessionem legalem rerum ipsis commissarum, quia dominus adhuc plenam et perfectam possessionem retinet, et proinde nulla pars ejus domesticis attribui potest. Attamen hæ dispositiones quæ in lege civili sicut in municip. vigent non ex natura rei sed ex positivis dispositionibus derivantur. Ex contrario secundum legem municip. vicecomes [*the sheriff*] qui judicio dato contra bona debitoris, vi rescripti exsecutionis [*a writ of execution*] illa occupat, legalem habet possessionem usquedum venduntur; sed quando bona propter reditum occupantur [*are distrained*], legalem possessionem non acquirit is qui ea occupat, quæ manet in priore domino, sed *sub custodia legis* servantur donec venduntur, aut ad priorem dominum redduntur.

Dicitur 5. *per actum corporalem aut ipsius detinentis, aut alterius ejus nomine agentis, aut per legis dispositionem effecta.* Quæstio esse potest aut de obtinenda possessione, aut de continuatione possionis jam obtentæ. Et quidem si quæstio sit de continuatione possessionis jam adeptæ, nullus actus corporalis requiritur, sed sola voluntate retineri potest, ut ex jam dictis satis liquet. Sic dominus prædii vel domus, non ideo possessionem amittit, quamvis ab iis corporaliter absit, modo tamen ne alius possessionem obtineat;

the corporeal kind; but they satisfy, in general, the legal description of tenements, and are expressly held to be within the meaning of that word, as used in the Statute De Donis, so as to be capable of being entailed." Steph. tom. 1., p. 689. Offices seem not legally to be tenements, but only hereditaments, unless they concern the *realty*. Id. tom. 2. p. 641. n. *c*.

si enim alius etiam injuste prædium vel domum animo *pro se* detinendi ingrederetur, dominus possessione facti privaretur, durante tali injusta occupatione, adhuc vero possessionem juris et legalem retineret, et jure non solum naturali sed et municip. possessionem facti per simplicem ingressum *pacificum* recuperare posset, quia actus ille dominii notorii idem jus confert ac si *feudalem investituram* a domino feudi acciperet. Si agri sint in eodem comitatu [*county*], et unus sit tantum *disseisor*, ingredi poterit dominus in aliquam partem agrorum, declarando se hoc agere pro omnibus agris ab alio injuste occupatis, quod ad omnium possessionem recuperandum sufficiet. Si vero agri sint in diversis comitatibus, aut si diversi sint *disseisores* etiam in eodem comitatu, vel si idem *disseisor* aliis agros per seisinæ traditionem [*livery of seisin*] abalienârit, ingressum in singulis comitatibus et contra singulos disseisores, fieri necesse est. Sed secundum justa præscripta juris municip. ingressus debet esse pacificus et non vi aut manu forti effici, quia hoc rempublicam perturbaret, et bonum publicum bono privato præferendum est. Si vero injustus intrusor *violenter* agros ingressus sit, aut illos post ingressum pacificum justæ possessoris vi detineat, ad remedium legale necessario recurrendum est, quod in hoc casu a judice pacis conservandæ quem vocant [*a justice of the peace*] post vim probatam, concedi potest, qui possessionem justo domino restituere potest, et pro injuria illata, aut si agri abalienati erant ad justam possessorem defraudandam, triplam compensationem injuriæ illatæ et multam regi solvendam imponere potest. Si vero ipse injustus possessor, aut ejus antecessores, aut alius a quo titulum quoad hos agros sibi vindicat, eos per tres annos jam possederit, et ingressum justi possessoris resistit, necessario ad actionem ejectionis firmæ [*action of ejectment*] recurrendum erit. Et quidem hæc actio est medium ordinarium et universalissimum, et fere solum quo is qui jus habet *ingressus* in agros (aliter enim hanc actionem instituere nequit) illos ab injusto detentore qui ingressum pacificum non permittit, recuperare poterit.

351. Eodem modo sola voluntate retinet quis possessionem bonorum suorum mobilium et *catallorum* jam possessorum, et ipse jure etiam municip. potest hæc sibi pacifice vindicare et eorum possessionem actualem recuperare absque recursu ad actionem legalem. Et hæc doctrina etiam ad injustam detentionem uxoris, liberorum, aut servorum, extenditur; namque illos sibi pacifice vindicare potest ubicunque illos invenerit. Sic si equus alicujus injuste ablatus fuerit, et dominus eum invenerit in publico pascuo, aut in nundinis publicis, aut apud diversorium, eum statim auferre poterit; si vero eum invenerit in agris alienis, aut in stabulo privato, non potest eum inde altero renitente, vi au-

ferre, sed jure municip. propter pacem reipublicæ necessario ad actionem legalem recurrendum erit. Et idem dicendum est si equum in mensem, v. g. alteri commodassem, quo elapso iste recusat eum mihi reddere; tunc enim non aliter quam per actionem legalem possessionem recuperare possum, eo quod ab initio juste illum possidebat. Hereditamentorum incorporalium possessionem utique a fortiore aliquis sola voluntate retinere poterit. Sed quando alter hæc injuste usurpat, illo renitente, non aliter recuperari poterit eorum possessio quam per actionem legalem. In hoc enim casu, ex natura rei, nullus potest esse ingressus, et proinde hoc modo possessio recuperari non poterit; neque etiam (nisi ubi de decimis agitur, quo casu per statutum expresse conceditur) potest ad actionem ejectionis firmæ recursus haberi, neque alia datur actio in jure municip. vi cujus hereditamenta incorporalia specifice recuperari possunt, sed actio personalis quæ dicitur injuriarum super casum [*trespass on the case*] contra injustum juris invasorem institui potest, ad damnum reparandum, vi cujus simul cum compensatione damni pro injuria illata, et ipsius hereditamenti possessio indirecte recuperari potest; si enim injustus invasor ipsum restituere recusaret, tanta pecunia in eum per modum reparationis a juratoribus imponeretur, ut tenementum ipsum ejus loco libentissime domino concederet.

352. Si vero quæstio sit de modo quo possessio rerum corporalium primò acquiritur, actus corporalis aut proprius aut alienus, aut dispositio legis omnino requiritur. Agitur enim vel de rebus a nullo possessis, vel de rebus jam ab alio possessis. Quoad priores manifestum est, quod ex natura rei ad possessionem obtinendam requiritur actus corporalis *quo nostræ potestati subjiciantur*. Sic qui videt gemmam in littore maris jacentem, non fit ejus dominus, donec eam corporaliter tenet; neque qui feram prosequitur, ejus dominus fit donec eam suæ potestati subjicit. Hoc autem facto ejus possessionem non ideo amittit quia illam in loco aliquo reponit, dum alias feras prosequitur, modo voluntatem habeat ejus possessionem retinendi. Sic etiam si Petrus gemmam manibus tenuisset animo ejus dominium acquirendi deinde in terra abdidisset, utique ejus dominium et possessionem non quidem naturalem sed virtualem et juris retineret, ita ut Caius cognoscens quid fecerit Petrus eam absque ejus injuria occupare non posset. Aliter esset si Petrus ejus valorem ignorans eam abjecisset animo non amplius retinendi, quia hoc actu ejus dominium et possessionem amitteret, et a Caio juste occupari posset. Ad possessionem tamen acquirendam non requiritur actus corporalis proprius; si enim alii sive conducti sive sponte feras nomine alicujus prosequerentur, easque tanquam ad hunc pertinentes in ejus do-

mum portarent, earum possessio saltem legitima et justa ad ipsum pertineret. Item si quis agros nondum occupatos, labore aliorum sereret, utique segetes ad ipsum pertinerent. Similiter si plures in communitate positiva consociarentur, ita ut ad unum et possessio et administratio rerum communium pertineret, sane quæcumque res in locum isti rerum communitati destinatum ab ejus membris afferrentur in illius possessione constituerentur.

353. Sed aliquando ipsa lex absque actu aut proprio aut alieno possessionem confert, ut in hoc ipso regno ubi axioma est quod rex nunquam moritur. Mortui quidem sunt Maria, Georgius, Gulielmus, non autem rex; statim enim ut moritur antecessor heres absque ullo actu *possidet* regnum. Ita etiam in hereditate agrorum, mortuo antecessore heres statim possessionem *legalem* habet, sed *plenam* non habet possessionem donec *actu* agros ingreditur, neque ante hunc actum, adversus eum qui injuste agros ingreditur actionem quæ *quare clausum fregit* [*trespass*] dicitur, instituere potest. Ita quoque res se habet in quibusdam rebus personalibus; potestate enim administrandi testamentum obtenta, executor vel administrator eo ipso *possessor* omnium bonorum personalium et etiam catallorum realium defuncti constituitur. Sed insuper quando lex actum possessorium naturalem non omnino supplet, non raro hoc efficit magna ex parte, quum aut ipsi actui efficaciam tribuit quam naturaliter non habet, aut detentionem fictam sive symbolicam loco detentionis naturalis accipit. Quamvis autem actus sit symbolicus aut fictus possessio inde obtenta vera est et valida: "fictio enim est legis adversus veritatem in re possibili ex justa causa dispositio; et proinde in casu ficto idem operatur ac veritas in vero" (*a*). Sic ingressus justi possessoris in aliquam partem agrorum injuste ab alio detentorum, in eodem comitatu, eundem habet effectum ac si tunc a domino agrorum traditionem seisinæ accipiat; quamvis agri magna ex parte in locis dissitis siti sint (*b*). Fictione juris justus possessor omnes suos agros in illo comitatu actu ingressus esse censetur. Sic quando agri per *feoffamentum* abalienantur abalienator [*the feoffor*] cæspitem [*a clod or turf*] vel virgam ibi crescentem sumit, et abalienatario [*the feoffee*] tradit, quæ traditio facta coram testibus possessionem seu seisinam ut in leg. municip. dicitur, non solum legalem sed et actualem

(*a*) Annotator Op. Caroli Fevret. Ad. lib. v. Traite de l'Abus. cap. 2. not. 1. Ap. D. Perrone. De Mat. Christ. l. 2. p. 197, n.

(*b*) Ita etiam in jure civili: "Nam apicimur possessionem corpore et animo; neque per se corpore neque per se animo. Non autem ita accipiendum est, ut qui fundum possidere velit, omnes glebas circumambulet; sed sufficit quamlibet partem ejus fundi introire." Ff. 41. 2. 3.

omnium agrorum, qui in feoffamento continentur, symbolice tradit. Symbolica traditio usitata erat apud Judæos in temporibus antiquissimis, ut ex historia Ruth accipimus: "Hic autem erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo; hoc erat testimonium cessionis in Israel" (*a*). Per feoffamentum seisina dari et accipi potest non solum per ipsos auctores, sed per alios eorum nomine agentes qui eorum procuratores [*attorneys*] dicuntur.

354. Ex his satis patet, ad possessionem rei corporalis obtinendam juxta dispositiones juris municip. necessarium esse actum corporalem aut ipsius possessoris, aut alterius ejus nomine agentis, aut dispositionem legis, vi cujus possessio aliquando sine ullo actu quo res possessa apprehenditur alicui tribuitur. Quod ad res incorporales attinet, vel hereditamento corporali adnectuntur ita ut simul cum eo acquirantur aut amittantur (quo casu dicuntur *appendant aut appurtenant*) vel existunt *independenter*, quo casu *in gross* appellantur. De prioribus nihil restat dicendum, quoniam ad eas possidendas necessarium est ipsum hereditamentum corporale possidere. Quoad res vero incorporales quæ independenter existunt, nulla potest esse traditio seisinæ seu possessionis corporalis ipsorum hereditamentorum, quia actu corporali apprehendi nequeunt. Sic nemo potest alteri tradere possessionem corporalem ipsius juris viæ [*right of way*], quia jus actu corporali apprehendi nequit. Sed fruitio actualis seu possessio juris incorporalis ordinarie sine actu corporali non acquiritur. Modus ordinarius hæc hereditamenta abalienandi semper erat per scriptum instrumentum sigillo munitum [*by deed*], qui modus abalienationis *grant* dicitur. Hereditamentorum incorporalium possessio acquiri potest aliis modis, ut præscriptione, reservatione reditus in locatione agrorum, &c., quæ omnia suis locis exponentur. In his omnibus casibus quamvis ipsa res actu corporali apprehendi nequit, attamen ejus fruitio actualis seu possessio nisi actu corporali non acquiritur. Quando vero aliquis jure hereditario in fruitionem actualem hereditamenti incorporalis succedit, nullus actus necessarius est ad ejus plenam seisinam seu possessionem obtinendam. Hoc autem non est verum quando de hereditamento corporali agitur; quamvis enim heres vi ipsius

(*a*) Ruth. iv. 7, seq. "To this day the conveyance of copyhold estates is usually made from the seller to the lord, or his steward, by delivery of a rod or verge, and then from the lord to the purchaser, by re-delivery of same, in the presence of a jury of tenants." Steph. 1., p. 516. It may be useful to remark here that conveyance by *gift* does not by any means imply that the estate has not been acquired by purchase. It refers to the nature of the estate conveyed. The conveyance of a fee simple is called simply a conveyance of the *fee;* of a fee tail, it is more technically called a gift; of an estate for life or years, a *demise* or *lease*.

juris in hereditamentum succedit, attamen seisinam solummodo legis [*seisin in law*], non autem facti [*seisin in deed*] habet; ad hanc enim obtinendam necessarium est ut agros per se aut per alium ejus nomine agentem actu ingrediatur. Et antequam seisinam facti acquirit actionem injuriarum quam dicunt [*trespass*] contra aliquem qui injuste agros ingreditur intendere non potest.

355. Olim hereditamenta corporalia in possessione vix aliter quam per traditionem seisinæ abalienari potuerunt; unde eorum abalienatio per traditionem seisinæ fieri [*to lie in livery*], abalienatio vero hereditamentorum incorporalium per factum fieri dicebatur [*to lie in grant*]. Nunc autem hereditamentum corporale in possessione per factum nomine donatoris subscriptum abalienari potest, ita ut possessio *liberi tenementi* ad donatarium immediate transferatur; attamen ubi locatio non est per modum liberi tenementi, ad possessionem status obtinendam necessarium est ut conductor agros ingrediatur ut supra vidimus. E contra quamvis ceremonia traditionis seisinæ adhuc adhiberi potest; et ita possessio non tantum juris sed etiam facti (quando ipsum *feoffamentum* est feoffamentum in facto, ut infra exponetur), obtineri potest, attamen nisi hæc seisinæ traditio per factum nomine donatoris subscriptum stabiliatur, nullam vim habebit nisi ad statum ad beneplacitum creandum. Solum discrimen inter abalienationem per factum solummodo et per factum simul cum traditione seisinæ est, quod in priore casu *grant*, in posteriore *feoffamentum* appellatur; unde modus abalienandi per traditionem seisinæ nisi ubi agitur de tenuris per copiam rotuli omnino in desuetudinem abiit.

356. Ex dictis constat quando aliquis acquirit statum in possessione aut hereditarium aut in vitam, cum statim possessionem liberi tenementi accipere; quamvis tenens in annos aut ad beneplacitum ipsorum agrorum possessionem justam habeat. Item dominus feudi simplicis absoluti in possessione, et liberum tenementum, et hereditatem pro se suisque posteris possidet, quamvis agri aliis in annos locati sint. Si vero aliis in vitam locentur, tunc tenens in vitam est ipsorum agrorum et liberi tenementi possessor, dominus autem feudum et hereditatem possidet. Quoad reditus reservatos dominus est in *possessione juris* ad reditus percipiendos, non autem pecuniæ debitæ donec ipsi solvitur. In statu talliato donator possidet feudum simplex, tenens in tallio in possessione possidet liberum tenementum et ipsos agros nisi aliis in annos, &c., locentur, hereditas vero status talliati ab ipso possidetur sed tantum in vitam suam, quia de ea disponere nequit, ejus enim dominium ad eum simul cum omnibus ejus posteris pertinet.

§ 2. *De variis divisionibus possessionis secundum præscripta legis municip., et de statibus in possessione qui habentur in agris aut in emoluméntis qui ex iis derivantur.*

357. Quamvis jurisperiti seorsum tractant de eisina statuum immobilium et de possessione statuum mobilium, nobis satius videtur totam materiam possessionis simul exponere, quia hoc modo clarius et facilius a tyronibus intelligetur. Itaque ut incipiamus a rebus personalibus quatuor distingui possunt species possessionis: 1. nuda possessio facti, qualis est possessio furis aut ejus qui rem alienam arripit sine ullo titulo; 2. possessio ejus qui rem alienam ab initio juste possessam injuste detinet; 3. possessio ejus qui solummodo jus habet possessionis seu possessionem juris; et 4. possessio ejus qui habet possessionem tam juris quam facti. Justus possessor nunquam tenetur actionem civilem contra furem intendere ad possessionem facti obtinendam. Potest etiam justus possessor rem suam ab eo qui eam abstulit auferre, injusto possessore etiam renitente, sed non potest vi uti, e. g. ostium stabuli in quo equus suus detinetur frangendo, sed tenetur ad actionem legalem recurrere. Neque potest justus possessor pecora sua in pignus propter reditum injuste capta [*wrongfully distrained*] auferre, postquam in septum publicum inclusa sunt, quia tunc sub custodia sunt legis. Sed si reditus debitus non erat, aut si capta erant contra præscripta legis, dominus ea eripere potest antequam actu in septo includuntur. Quando is qui rem juste ab initio possidebat eam injuste detinet, non potest alter qui jure possessionis potitur eam detentore injusto nolente arripere, sed ad actionem legalem recurrere tenetur; attamen si detentio sit manifeste injusta jure nat. spectato rem suam auferre potest, et nisi violenter egerit nullam multam aut pœnam lex municip. in eum imponet. Ex his patet quis in rebus mobilibus personalibus habeat solam possessionem juris, et quomodo possessionem etiam facti acquirere possit.

358. Quoad res immobiles et catalla realia potest quis habere seisinam seu possessionem nudam facti, aut possessionem juris tantum, aut possessionem tam juris quam facti conjunctam. Qui seisina seu possessione nuda tantum facti potitur ejici potest per solium ingressum domini qui injuste possessione privatur, et si injustus possessor resistat mandatum a justiciario pacis ad eum ex agris expellendum concedi potest. Sed olim variæ erant species possessionis juris, nempe 1. jus *apparens* possessionis, ut si quis jure hereditario agris injuste ab antecessore possessis succesisset; et 2. jus *verum* possessionis, ut si is qui potitus est jure in-

gressus in agros ad possessionem facti obtinendam hoc jus exercere intra tempus a lege definitum neglexerit. In primo casu dominus seisinam per merum ingressum recuperare non poterat, et ad jus suum vindicandum ad actionem *realem*, aut possessoriam, aut ad jus suum probandum [*a real action possessory or droitural*], recurrere adstringebatur. In secundo casu, si tempus intra quod actionem possessoriam instituere permissum erat effluxisset, et proinde injustus invasor agrorum jure possessionis potitus est, qui injuste possessione privatus erat, non aliter jus suum vindicare poterat quam recurrendo ad actionem realem in qua titulum suum ad dominium agrorum probare adstringebatur [*a real action droitural*], quo probato jus possessionis eversum est. Hæ actiones maximis incommodis obnoxiæ erant (*a*), et ideo actio ejectionis firmæ, quæ saltem ab initio personalis erat, eo in sensu quo verbum in jure municip. accipitur, qua qui injuste possessione catalli sui personalis privatus erat præter compensationem damni, ipsum catallum specifice recuperare poterat, fictione juris ad recuperandam possessionem agrorum cujuscumque tenuræ, aptata est. Tandem per 3 et 4 Guliel IV., c. 27, jus illud apparens possessionis quo jus ingressus a domino vero ablatum erat, omnino abrogatum est, et præscriptum illud juris vi cujus injustus agrorum invasor potuit verum jus possessionis acquirere, jure dominii apud alium manente, prorsus eversum est. Nunc itaque qui jure possessionis potitur potest quovis tempore intra spatium viginti annorum aut per ingressum modo exposito, aut per actionem ejectionis firmæ, quando ad hoc recurrere necessarium est, possessionem seu seisinam facti obtinere. Si autem per spatium viginti annorum agros neque ingressus sit neque actionem contra injustum possessorem intenderit, modo tamen nulla inhabilitate legali adstrictus fuerit, omni remedio legali privatur. Quatenus in hoc casu possessor possit agros in conscientia retinere, infra ubi de titulo præscriptionis exponetur. Actio ejectionis firmæ institui non potest nisi ab eo qui jure præsentis ingressus in agros potitur. Unde institui nequit a vidua ad dotarium obtinendum quia jure ingressus non potitur; neque, quoniam ex natura sua ingressus corporalis incapax est, ad possessionem hereditamenti incorporalis recuperandam, excepto casu in quo quis jure decimas percipiendi privatur, quia per statuta specialia possessio hujus hereditamenti incorporalis per actionem ejectionis specifice recuperari potest. Specifice etiam recuperari potest jus præsentandi ad beneficium [*advow-*

(*a*) Cf. Steph. vol. 3., p. 508.

sons] per actionem realem *quare impedit* dictam; et quando doarium ex hereditamentis incorporalibus constat, vidua tertiam eorum partem determinatam per actionem Doarii *unde nihil habet* obtinere potest. Generatim vero dicendum est quando quis possessione hereditamentorum incorporalium injuste privatur, non posse ea specifice recuperare, sed ad actionem personalem ad damnorum compensationem obtinendam recursum habere adstringi, qua tamen, si ita velit, non solum damnorum compensationem, sed et ipsum hereditamentum indirecte recuperare potest.

357. Quando quis non possessionem sed reparationem aliorum damnorum in suos agros ab alieno illatorum exigit ad actionem injuriarum [*the action of trespass*] *quare clausum fregit* necessario recurrit. Ad hanc actionem instituendam requiritur seisina non tantum juris sed et facti. Heres etiam qui vi ipsius juris hereditatem accipit, non potest hanc actionem intendere, donec seisinam facti aut per ingressum agrorum, aut per actionem ejectionis si alius eorum possessionem injuste usurpaverit, acquirit. Idem dicendum de agrorum conductore [*the lessee*]; sed si is qui jam habet seisinam juris et facti injuste ea privatur, potest quidem actionem prædictam instituere ad reparationem damni per ipsam *disseisinam* illati, non autem propter damna postea illata donec possessio facti recuperata fuerit. Sed per 6 Ann., c. 18, si tutor aut fiduciarius [*the trustee*] alicujus infantis, i. e. alicujus qui nondum annum 21um compleverit, aut si maritus qui ex jure uxoris suæ habet seisinam, aut si aliquis habens statum aut aliquod emolumentum ex agris determinandum per vitam unius aut plurium, possessionem agrorum aut tenementorum post lapsum temporis in quod ipsi debebatur injuste detinebit, contra eum per actionem *quare clausum* procedi poterit.

358. Ad statum ex agris in possessione constituendum non requiritur seisina seu possessio facti, sed sufficit possessio juris. Qui ergo hic et nunc jure ad agros aut ad emolumenta ex iis derivata potitur habet statum in possessione, quamvis ad plenum effectum dominii assequendum possessio etiam facti requiritur. Status in possessione constare potest ex hereditamentis sive corporalibus sive incorporalibus, et potest esse liberum tenementum hereditarium aut non hereditarium, aut catallum reale. De statibus qui haberi possunt in rebus mobilibus personalibus postea agemus.

§ 3. *De statibus in expectatione, sive in reversione et in residuo* [of estates in expectancy, or in reversion and remainder].

359. Status consideratus ratione qualitatis seu temporis in quo ejus fruitio incipit est vel in *possessione*, de quo statu jam tractavimus, vel in *expectatione*. Status in expectatione est ille cujus Petrus, v. g. neque actualem neque legalem possessionem habet, sed jure eum possidendi et fruendi in tempore futuro per modum *reversionis* aut *residui* potitur. Aliquis utique hunc statum hic et nunc possidet, sed quod attinet ad Petrum non est status in possessione, quia non hic et nunc sed solummodo per modum residui aut reversionis ei in futuro adnectitur. Diximus in *residuo* aut *reversione*, quia potest Caius agros Julio hic et nunc locare, a prima die Martii proximi in viginti annos, quæ locatio et valida est et statum in Julium illico confert. Restat ergo tractandum de statibus quorum fruitio nonnisi in tempore futuro et per modum reversionis aut residui confertur.

360. Status in *reversione* est ille qui permanet in domino status majoris a quo status minor concessus erat, etiam dum status minor ad donatarium pertinet, et qui ad donatorem vel ad ejus heredes aut legatarios, finito statu particulari revertetur. Sic si Petrus dominus feudi simplicis istud Paulo ejusque heredibus corporis concedat, eo ipso commodum futurum seu reversio ad Petrum ejusque heredes pertinet. *Hic et nunc* possidet Petrus jus feudum simplex suum occupandi deficientibus Pauli corporis heredibus. Status Pauli non revertitur ad Petrum quia hic status erat feudum talliatum, sed per reversionem Petrus proprium suum statum, seu feudum simplex accipit. Dum permanet status Pauli non habet Petrus statum in possessione sed in expectatione, sed verum statum quoad residuum feudi, seu partem non abalienatam per concessionem feudi talliati retinet. Feudum talliatum appellatur *status particularis*, qui ut particula ex statu majori excisa respicitur. Status particularis potest esse vel feudum talliatum (quod tamen, ut jam vidimus, in feudum simplex converti potest, qua conversione facta reversio impeditur), vel in vitam, vel in annos, et tenens obligatione fidelitatis reversionario [*to the reversioner*] semper astringetur, et etiam reditus si reserventur solvere tenebitur. Reditus qui sunt hereditamenta incorporalia statum in possessione constituunt, sed reversionarius non habet ipsum hereditamentum corporale, i. e. agros in possessione sed in expectatione tantum. Fidelitas itaque et reditus sunt incidentia status particularis, quia ipse status est

res principalis cui hæc adnectuntur, et a quo reditus, non vero fidelitas separari possunt. Reditus tertiæ personæ abalienari possunt, reversione agrorum servata et vice versa; sed reversione agrorum abalienata etiam abalienantur reditus, nisi contrarium *specialiter* declaratum est, dum e contra per abalienationem redituum non abalienatur reversio agrorum, quia "accessorium non ducit sed sequitur suum principale."

361. Si status particularis sit *liberum tenementum*, nullus status per modum *doarii* aut *urbanitatis* ex statu in reversione exigi potest. Aliter vero res se habet si status particularis sit in annos, quia status in expectatione in hoc casu multis sub respectibus statui in possessione a lege municip. æquiparatur (*a*), et reversionarius habet etiam seisinam agrorum quos tenens in annos actu possidet, quia possessio tenentis in annos [*of the termor*] possessionem tenentis liberi tenementi [*of the freeholder*] constituit. Unde finito termino potest reversionarius sine ullo ingressu in agros, et absque recursu ad actionem ejectionis si tenens in annos possessionem tradere recuset, actionem *quare clausum* fregit contra injustum agrorum invasorem intendere. Sed hoc æque conceditur reversionario quando tenens statûs particularis agros possidet in vitam, quamvis talis statûs est liberum tenementum, et in utroque casu hoc jus non jure com. sed per 6 Ann., c. 18, reversionario competit.

362. Sicut *status* in *possessione* dat jus immediatum *præsentis fruitionis*, ita status in *reversione* dat *jus præsens determinatum futuræ fruitionis*. Nam ad constituendum statum ut in lege municip. intelligitur non sufficit *possibile esse*, ut quis aliquando commodum aliquod fruendum ex aliquibus hereditamentis obtineat, quale v. g. per escheætam contingere potest, sed necesse est ut habeat jus præsens et fixum aut præsentis aut futuræ fruitionis.

363. Sed revera, ut jam vidimus, status qui ante Statutum De Donis feudum simplex conditionatum constituit, statuto lato feudum talliatum dicebatur. In priore casu postquam heres natus erat donatario commodum [*the interest*] donatoris ut *possibilitas* habebatur, et proinde donatario permissum erat feudum simplex absolutum sibi assumere. In posteriore donator feudum simplex retinere censetur, et habere *jus certum* eo in aliquo tempore futuro fruendi. Alia consequentia ex dicto statuto deducta respicit absorptionem [*the merger*] status minoris a statu majore quando *eidem personæ, eodem jure, et sine interventu alicujus status*

(*a*) The reversion to the donor of an estate tail is the residue of the *vested interest*. Steph. vol. 1., p. 249. A *vested interest* is an immediate right of present enjoyment, or a *present fixed right* of future enjoyment.

intermedii obveniunt. Sic si quis sit tenens agrorum in annos aut in vitam quorum feudum simplex ipsi per reversionem aut emptionem obvenit, status in vitam destruitur, quia a feudo absorbetur. Sed necessarium est ut uterque status jure proprio tenenti obveniat. Unde si tenens in annos moriatur, et eum qui reversionem habet agrorum in feudo simplici executorem testamenti sui constituerit, quo facto reversionarius in possessionem status in annos pervenit, hic status non mergitur in feudum, quia tenetur status in annos *en autre droit*. Sic etiam si vir qui habet reversionem in feudo eam quæ tenet in annos in matrimonium ducat, non absorbetur status in annos a feudo, quia maritus statum in annos non jure proprio sed jure uxoris possidet; sed doctrina de absorptione status minoris a statu majore non tenet quando ad eum qui feudum habet talliatum, feudum simplex etiam proprio jure revertitur, aut ab ipso emitur; et proinde non potestis, quamvis habet feudum simplex heredem ad quem vi tallii status descendere debet excludere nisi tallium prius abstulerit.

364. Simili fere modo per remissionem [*by remitter*], si is qui possessionem juris agrorum habet, sed possessione facti injuste privatur, possessionem facti titulo malo obtineat operatione ipsius legis ad suum verum titulum remittitur. Sic si Paulus possessione facti suorum agrorum injuste privetur, et Caius hos agros Paulo locet in spatium septem annorum, non per factum [*deed*], neque per obligationem, aut judicium in tabulas curiæ relatum [*by recognizance, or by matter of record*], hæc locatio est irrita, et Paulus agros occupat valide non vi locationis sed vi proprii sui juris, et locatio habetur tanquam nunquam extitisset. Sed si locatio confecta fuisset per *factum*, aut per *obligationem aut judicium in tabulas curiæ relatum*, Paulus ad verum suum titulum non remitteretur, sed ad reditus solutionem, et ad alia pacta servanda teneretur.

365. Status *in residuo* est ille quo quis potiri non potest in possessione nisi post terminationem status particularis in iisdem agris et tenementis, qui status particularis eodem tempore ac status in residuo creatur. Non tamen intelligendum est duo tantum status sic creari posse; tot enim esse possunt quot particulæ sunt in quas tota hereditas scindi potest. Sic si Petrus seisatus in feudo simplici agros dat Paulo in viginti annos, et post lapsum hujus temporis Jacobo in vitam ejus, et hoc mortuo Joanni ejusque heredibus in feudo, hereditas in tres partes scinditur; Paulus enim est tenens in annos, residuum vero Jacobo debetur in vitam suam, et post ejus mortem debetur Joanni in feudo.

Status itaque in residuo sicut status in possessione, potest esse vel in annos, vel in vitam, vel in feudo aut talliato aut simplici. Discrepat a *reversione*, quia reversio *manet in donatore* status particularis, sed residuum ex donatore necessario transit vel eo tempore quo residuum creatur, vel eo saltem momento quo status particularis cui residuum immediate succedit terminatur. Sic in exemplo allato residuum transit a Petro vel eo tempore quo creatur in gratiam Joannis ejusque heredum, vel eo saltem momento quo moritur Jacobus.

366 Quamvis nunc vi statutorum status in futuro incipiendus in hereditamentis etiam corporalibus per modum liberi tenementi creari potest, jure tamen com. talis status creari non potuit nisi per modum residui. Sic si Petrus seisatus in feudo agros suos abalienet Paulo in feudo aut in vitam a festo proximo S. Michaelis tenendos, abalienatio est prorsus irrita, et Petrus adhuc juxta præscripta legis com. municip. agros suos retinet, quamvis in conscientia damna Pauli, si quæ passa sit reparare tenetur. Ratio quare hæc abalienatio irrita habita est videtur esse quia nullum tenementum liberum in tenementis corporalibus jure com. creari potest sine seisinæ traditione. Sed per traditionem seisinæ possessio immediata necessario datur, et proinde cum possessione nonnisi in futuro habenda stare non potest. Sed quia traditio seisinæ non requiritur ubi de catallis realibus agitur, locatio in viginti annos a proximo S. Michaelis festo incipienda jure com. valida est.

367. Etsi vero jure com. liberum tenementum absolute creari non potest *in futuro* ob defectum traditionis seisinæ, per modum tamen residui hoc effici potest, quia traditio seisinæ fieri potest tenenti status particularis, et quoniam status particularis et ejus residuum nonnisi unum totum statum constituunt, tradito seisinæ facta tenenti status particularis jure com. sufficit ad liberum tenementum quod per modum residui creatur in residuarium conferendum. Sic si Petrus statum Paulo in vitam suam aut Paulo ejusque heredibus corporis concedit cum residuo quod Jacobo ejusque heredibus debetur, seisina Pauli sufficit ad residuum status Paulo transferendum; et idem efficeretur si status particularis Paulo datus fuisset in annos tantum, modo tamen status Paulo per traditionem seisinæ concessus fuisset; quamvis enim etiam jure com. traditio seisinæ necessaria non est ad hunc statum creandum, quia non est liberum tenementum, attamen effectum producit quoad Jacobum, quia residuum quod est liberum tenementum statim creatur, et a Jacobo possidetur [*vests in James*] durante termino Pauli, quo finito, status immediate ad Jacobum in possessione pertinet.

368. Ex ipso nomine *residui* intelligitur statum aliquem particularem (non tamen sufficit locatio ad arbitrium), necessario præcedere debere statum in residuo a quo residuum *sustentari* dicitur. Deinde nisi agatur de residuis contingentibus (de quibus statim), residuum debet ab eo qui statum abalienat, simul cum statu particulari statim exire, et ita constitui ut, *finito* statu particulari, et nec citius nec tardius, is cui residuum relinquatur, eo ipso statum qui in residuo erat possideat. Sic si Petrus statum in vitam concedit Paulo, cum residuo ad Jacobum in feudo talliato, ipse quidem Petrus feudum simplex retinet, sed simul cum statu in vitam Paulo concesso amittit statum talliatum Jacobo datum, ad quem ab ipso tempore in quo status creatus est jus certum pertinet illum statum mortuo Paulo possidendi et fruendi; si enim status Paulo concessus fuisset in vitam suam cum residuo ad Jacobum, post lapsum unius diei post mortem Pauli, hoc residuum nullius esset valoris, quia mortuo Paulo status ad Petrum aut ad ejus heredes revertetur, et proinde ad Paulum nisi per novam abalienationem non pertinebit. Neque ita constitui potest status per *modum residui*, ut residuarius ejus possessionem obtinere debeat quadam conditione impleta, ante regularem determinationem status particularis cui innititur; ut si status particularis Paulo in vitam concedatur, ea tamen conditione ut si Jacobus certam summam pecuniæ solvat, illico ad eum ejusque corporis heredes pertineat. Quamvis autem ita creari non potest status per modum residui, potest tamen residuarius *per accidens*, ut si possessor status particularis ab eo excidat, status possessionem ante lapsum termini constituti obtinere.

369. Status per modum residui creari potest aut in annos, aut in vitam, aut per modum feudi sive simplicis sive talliati. Status per modum doarii aut ex urbanitate exigi potest ex residuo in feudo, si status particularis præcedens sit in annos, non autem si sit liberum tenementum.

370. Hactenus dicta status *vestitos* in residuo, seu eos in quibus aliquis homo determinatus aut ejus heredes præsens jus certum et determinatum futuræ fruitionis accipit. Hujusmodi residua dicuntur vestita aut executioni mandata [*vested or executed remainders*]. In his et persona cui residuum datur, et finis status particularis debent esse determinati. Sic status datus Petro in vitam suam et post ejus mortem Paulo ejusque heredibus est determinatus, et quoad personas quibus residuum debetur, nempe Paulum ejusque heredes, et quoad finem status particularis qui Petro mortuo finietur. Si vero residuum aut concedatur [*be limited*] incertæ personæ aut pendeat ex eventu incerto, residuum *contin-*

gens aut *executioni mandandum* [*executory*] dicitur. Persona potest esse incerta vel quia non existit, vel quia quamvis sit in *esse*, non est determinata. Sic si status concedatur Petro in vitam cum residuo ad primogenitum Pauli qui adhuc filium non habet, persona est incerta quia non existit; sed si status detur Petro et Paulo in eorum vitas conjunctas cum residuo in feudo ad eum qui supervivet personæ existunt sed uter superstes futurus sit est prorsus incertum. In primo casu eventus potest nunquam evenire, et manifestum est hereditatem seu feudum permanere in concedente, ad quem mortuo Petro, et Paulo decedente sine herede, status revertetur. In secundo casu hereditas non revertetur ad concedentem, sed certo quamvis contingenter, aut ad Petrum aut Paulum pertinebit. *Residuum* etiam erit contingens quando ex incerto pendet casu, ut si status detur Petro in vitam suam cum residuo ad Paulum in vitam suam, et si Paulus morietur ante Petrum, tunc ad Jacobum in vitam suam, in hoc casu residuum Jacobi est contingens, quia pendet ex eventu prorsus incerto, nempe si Paulus morietur ante Petrum. Aut si status Petro concedatur in vitam suam, et post mortem Pauli Jacobo in feudo, in quo casu si Paulus Petro superstes fuerit, Jacobus nihil accipiet, et proinde quamvis eventus, id est mors Pauli, sit certus, *residuum* est contingens; et videtur quod durante vita Pauli feudum seu hereditas in eo a quo residuum concessum est permanet, et in casu posito ad ipsum revertetur. Statim ac Paulus Petro vivente moritur, residuum Jacobi vestitum est. Insuper observandum est, quod in casu supra posito, quando status datur Petro in vitam suam cum residuo ad Paulum in vitam suam, et si Paulus moriatur ante Petrum ad Jacobum in vitam suam, residuum Paulo concessum est *vestitum* [*vested*], quia quamvis forsan agros ipsi in residuo concessos nunquam actu possidebit, attamen et persona et eventus sunt certi et determinati. Similiter si status concedatur Petro ejusque corporis heredibus, et ipsis deficientibus Paulo ejusque heredibus, residuum Pauli est *vestitum*, quia in legmunicip. certum habetur heredes corporis Petri aliquando desituros, et ideo ejus statum particularem finem habiturum.

371. Axioma est juris com. nullum residuum creari posse postquam feudum simplex abalienatum est; quia per talem abalienationem totus status a donatore in donatarium transfertur. Attamen videretur *residuum contingens* in feudo simplici ita creari posse; quia si agri concedantur Petro in vitam suam, et si filium habuerit, illi filio ejusque heredibus in feudo simp.; si autem filium non habuerit, Jacobo ejusque heredibus in feudo simp., talis dispositio valida est. Sed quoniam in hoc casu feudum Jacobo

concessum non est *residuum* feudi Petri filio concessum, sed utrumque feudum est residuum proximum status particularis Petro dati [*these are concurrent, not consecutive remainders*], hæc ordinatio principio generali non contradicit. Feudum in hoc casu permanet in donatore status, donec residuum aut in Petri filio aut in Jacobo vestitum est (*a*).

372. Residua contingentia sequentibus præscriptis juris municip. reguntur, 1. Si *residuum sit liberum tenementum, status particularis cui innitur debet esse liberum tenementum.* Sic si Petrus agros concedit Paulo in viginti annos cum residuo ad heredes Caii nondum existentes, heredes Caii nihil accipent, sed elapso termino agri ad Petrum revertentur. Sed si locatio Paulo facta fuisset in vitam, residuum Caii heredibus concessum validum fuisset. Ratio regulæ est, quia ex præscripto legis liberum tenementum necessario a donatore transit eo ipso tempore in quo residuum per modum liberi tenementi creatur. Non potest vestiri in residuario, quia tale residuum non esset contingens sed vestitum, et proinde necessario vestiri debet in tenente status particularis. 2. *Omne residuum contingens necessario vestitur in residuario, aut durante statu particulari, aut eo instanti in quo terminatur.* Sic si Petro detur status in vitam suam cum residuo in feudo ad filium primogenitum qui nascetur Paulo, eo instanti in quo moritur Petrus status vestiri debet in primogenito Pauli; si enim Petrus mortuus fuisset antequam filius Pauli extitisset, status per modum residui omnino destrueretur. Hoc præscriptum legis adeo stricte acceptum erat a curiis juris com., ut status qui testamento legatus erat Petro in vitam suam, et ipso mortuo, filio suo primogenito in feudo, quum Petrus mortuus est relinquens uxorem suam gravidam, quæ filium postumum peperit, a filio postumo abjudicatus sit. Sed hoc judicium Curiarum Banci Regii et Communium Placitorum subversum est a summa regni curia [*the House of Lords*]. Judicium a summa regni curia factum nonnisi status qui per testamentum creati erant respiciebat, sed idem præscriptum per 10 et 11 Guliel. III., c. 16, ad status per matrimonialem aut aliam ordinationem creatos extensum est; ita ut filii postumi eodem jure succedant ac si vivente patre nati essent. Itaque residuum contingens in his circumstantiis fit vestitum simul ac filius Petri existit *in ventre sa mere*, et mortuo

(*a*) "Where the contingent remainder in fee is created by one of those conveyances which derive their operation from the Statute of Uses (as to which hereafter), it is clear that the fee remains in the grantor till the contingency happens; and where it is created by a will, the fee descends to the heir-at-law." Steph. vol. 1., p. 333. n.

Petro residuum vestitum eo ipso in statum in possessione convertitur. Aliter res se habet quando infans *in ventre sa mere* in statum jure hereditario succedit, quia ejus status talis non est donec natus sit, ut statum heredis præsumpti in iisdem agris excludat; et ideo emolumenta status non accipit nisi a tempore in quo nascitur, dum infans qui succedit vi statuti emolumenta accipit a tempore quo moritur tenens statûs particularis.

373. Quando ille ad quem residuum contingens conceditur est *in esse*, sed non determinatus tempore in quo residuum creatur, juxta idem præscriptum, eo instanti in quo determinatus est, status in eo vestitur non per modum *residui vestiti* sed per modum status *in possessione*. Sic si status concedatur Petro et Paulo quamdiu ambo vixerint [*during their joint lives*], cum residuo in feudo ad eum qui alteri superstes fuerit eo instanti in quo moritur Petrus habet Paulus statum non in residuo vestito sed in possessione. Si enim una dies intervenire debet post mortem unius antequam alter statum possideret, residuum esset irritum. Ad sustentandum residuum contingens necessarium non est ut tenens status particularis habeat possessionem facti, sed sufficit possessio juris.

374. Sicut status per modum residui evertitur per terminationem status particularis antequam casus ex quo residuum pendebat evenit, ita etiam tenuerunt curiæ juris residuum contingens everti potuisse etiam quando ipse tenens status particularis finem sui status fecit. Sic Petrus tenens in vitam cum residuo ad suos filios corporis nondum natos, et his extinctis cum residuo [*remainder over*] ad Paulum in feudo, potuit antequam filius ei natus erat, residuum contingens suorum filiorum evertere, aut per feoffamentum injustum [*a tortuous feoffment*], quo agros abalienavit in feudo antequam in filio suo vestiti erant, qua abalienatione ipse e statu suo excidit, aut per deditionem Paulo factam, in quo casu status in vitam in feudo absorberetur [*would be merged in the fee*]. Modus feudum contingens in his casibus contra possessorem status particularis tuendi per constitutionem fiduciariorum [*trustees*] excogitatus est. Si enim status tenentis in vitam aliter quam ejus morte terminatus esset, eo ipso vestitum erat per reliquum ejus vitæ in fiduciariis in hunc finem constitutis; et hic erat status particularis in possessione quo residuum contingens sustentabatur. Hic modus statum ordinandi, nempe patri in vitam suam, deinde filio suo primogenito ejusque heredibus corporis, his extinctis filio suo secundo natu maximo ejusque heredibus corporis, et sic deinceps aliis filiis prout quisque natu major erat, interpositis fiduciariis ad residua contingentia sustentanda statûs ordinatio stricta dicebatur. Nunc autem per 8 et 9 Vict., c. 106,

feoffamentum injustum nullum omnino producit effectum, et per s. 8 residuum contingens, quamvis status aliquis liberi tenementi præcedens per confiscationem [*forfeiture*], deditionem [*surrender*], aut absorptionem [*merger*] terminatus fuerit eundem habebit effectum ac si talis terminatio non obtinuisset.

375. Ex dictis videretur quando status alicui datur in vitam suam, et eo mortuo ejus heredibus, aut ejus heredibus corporis, ipsum nonnisi statum in vitam accipere, et ejus heredes alium statum per modum residui in feudo aut simplici aut talliato (*a*). Et revera si status etiam in eodem instrumento concessus fuisset Petro in vitam suam, et ipso mortuo heredibus corporis Pauli, Petrus nonnisi statum in vitam acciperet, et heredes Pauli diversum statum per modum residui. Et res ita se haberet si in diversis instrumentis status in vitam Petro, et status in feudo ejus filiis dati fuissent. Sic quando in *eodem instrumento* status in vitam datur Petro, et eo mortuo status in feudo aut simplici aut talliato ejus heredibus aut heredibus corporis ejus limitatur, Petrus non solum statum in vitam sed et residuum in feudo simp. aut talliato accipiet. Et quoniam status in vitam in his circumstantiis absorbetur per statum in feudo simp. aut talliato, Petrus vi instrumenti statum in feudo simp. aut talliato accipit, et ejus heredes aut heredes ejus corporis nullum statum per modum residui accipient.

376. Idem legis præscriptum obtinet quando in eodem instrumento vi cujus quis liberum acquirit tenementum, status in feudo simp. aut talliato, non immediate sed mediate ejus heredibus limitatur. Sic si status in vitam concedatur Petro, et ipso mortuo per modum residui contingentis Pauli filio nondum *in esse*, ejusque heredibus corporis, cum residuo, ad heredes Petri, Petrus totam accipiet hereditatem, quamdiu residuum filii Pauli est contingens. Quia Petrus vi instrumenti accipit non solum statum in vitam sed et feudum simplex, et residuum contingens filii Pauli non obstat ne status Petri in vitam per statum suum in feudo absorbeatur. Sed in hoc casu status in vitam solummodo *sub modo*, ut dicunt, a statu in feudo absorbetur; quia nato filio Pauli status Petri *aperietur*, ut dicunt jurisperiti, ad admittendum statum talliatum filii Pauli qui nunc est residuum vestitum, et mortuo Petro succedet filius Pauli feudo talliato in possessione, cum residuo in feudo simplici heredibus Petri. Ex hoc evidens est si filius Pauli *in esse* fuisset tempore creationis status, Petri statum in vitam ab ejus statu in feudo nunquam absorptum fuisse; hoc enim non permi-

(*a*) In creando statu per modum residui, verbum residuum (*remainder*) non est verbum *artis* quod dicitur, seu non est necessarium ad validitatem instrumenti in quo status creatur.

sisset status vestitus filii Pauli, et proinde quamvis Petrus et statum in vitam et feudum simplex accepisset, non accepisset feudum in possessione sed per modum residui vestiti (*a*).

377. Hæc doctrina ex singulari prorsus legis interpretatione deducitur, et dat antecessori jura omnino diversa ab iis quæ haberet, si ficta hæc sed omnino valida interpretatio legis non intervenisset. Seposita enim hæc doctrina Petrus haberet solummodo statum in vitam suam, posita autem hac doctrina ipse habet feudum simplex aut talliatum juxta naturam status ejus heredibus concessi. Si ergo status ejus heredibus concessus sit feudum simplex, potest de eo juxta arbitrium suum disponere; si vero sit feudum talliatum, ad hoc applicanda sunt principia quæ supra de feudis talliatis exposuimus. In duobus vero ultimis casibus, nempe quando intervenit residuum aut contingens aut vestitum alieno concessum inter statum in vitam antecessoris et statum in feudo ejus heredibus donatum, non potest hic statum alieno concessum excludere ut jam diximus, sed ipse totum statum suis heredibus concessum accipit.

378. Ad eos qui status habent in reversione aut residuo post mortem tenentis status particularis protegendos ab injusta occultatione mortis tenentis in vitam, per 6 Annæ, c. 11, provisum est, ut recursu habito ad Curiam Cancellariæ, et mandato in hunc effectum ab ea obtento, ii in quorum vitas status aliquis perdurat, semel singulis annis aut coram Curia Cancellariæ aut coram ejus transactoribus se præsentare cogi possint. Si hoc facere aut recusent aut negligant, pro mortuis reputandi sunt, et ille cui reversio aut residuum debetur agros et tenementa ingredi potest donec is in cujus vitam status antecedens perdurat, adhuc esse inter vivos probatur.

(*a*) This doctrine is founded on what is called the rule in Shelley's Case, which is thus technically expressed by Lord Coke—"*That whenever a man by any gift or conveyance takes an estate of freehold, and in the same gift or conveyance, an estate is limited either mediately or immediately to his heirs in fee or in tail, the word heirs is a word of limitation, and not of purchase.*" The word *purchase* in its legal signification comprehends every mode in which a man acquires a freehold estate by his own act, as distinguished from the act of the law. In this case, therefore, the words by which the estate is limited to *the heirs* of the tenant of the freehold in *fee* or *in tail* are to be understood as expressing the *quantity* of the estate which the ancestor is to take, and not as conferring any distinct estate on his heirs.

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA

DE STATIBUS QUI AD UNUM TENENTEM PERTINENT; DE STATIBUS QUI A PLURIBUS TENENTIBUS CONJUNCTIM TENENTUR; DE STATIBUS IN QUOS PLURES SIMUL JURE HEREDITARIO SUCCEDUNT; ET DE STATIBUS QUI COMMUNITER TENENTUR.

§ 1. *De statibus qui ad unum tenentem pertinent, et de statibus qui a pluribus tenentibus conjunctim tenentur.*

379. Hactenus de quantitate et qualitate statuum egimus; nunc de numero et connexione tenentium ejusdem status agendum est. Et quamvis primo aspectu hæc quæstio ad subjectum potius quam ad objectum dominii pertinere videatur, attamen objectum magis respicit, quia ejus cognitio necessaria est ad naturam ipsius status qui ab uno aut a pluribus tenetur explicandam. Attamen sicut in præcedentibus disputationibus aliqua quæ subjectum dominii respiciunt, ut capacitas legalis infantis in utero matris, necessario exposita erant, ita et quædam de præscriptis legis municip. quoad eos qui mat. juncti sunt, et quoad plures qui simul eodem statu potiuntur in præsenti disputatione proferentur, et ideo subjectum dominii his sub respectibus exponetur. Quando unus solus agros et tenementa possidet, hic modus tenendi *separatim* [*in severalty*], id est *separatim* ab aliis, dicitur. De eo modo tenendi nihil speciale dicendum est.

380. Ut idem status a pluribus teneatur, omnino necessarium est ex præscripto legis municip. ut possessio et commodum uniuscujusque tenentis complectatur omnes agros et tenementa in quibus status hujusmodi habetur. Si enim unus unum jugerum determinatum exclusive possideret, et alius alium, hic non esset unus status qui a pluribus teneretur, sed plures essent status qui a pluribus tenentibus separatim [*in severalty*] possiderentur. Quando vero idem status indivise a pluribus tenetur, *possessio* unius multis sub respectibus pro possessione omnium tenentium sufficit. His sub respectibus omnes status qui indivisim a pluribus tenentur conveniunt: sub aliis valde discrepant.

381. Status cujuscumque *quantitatis* seu diuturnitatis, sive sunt in possessione, sive in reversione aut residuo, tribus modis a pluribus tenentibus indivise teneri possunt; 1. a pluribus tenentibus conjunctis [*in joint tenancy*]; 2. a pluribus in quos jure hereditario descendunt [*in coparcenary*]; et 3. a pluribus communiter [*in common*]. Status qui a pluribus tenentibus conjunctis tenetur, est ille qui a duobus aut pluribus acquiritur in iisdem agris, *eodem tempore*, et *eodem titulo* (non tamen jure hereditario), sine limitatione in verbis instrumenti quo status creatur vi cujus pars distincta unicuique attribueretur. Sic si agri abalienentur Petro et Paulo sine limitatione qua pars distincta unicuique attribuatur, tenentes conjuncti horum agrorum in vitam constituuntur; et si eodem modo abalienentur ipsis eorumque heredibus, tenentes conjuncti feudi efficiuntur. 1. Titulus non solum debet esse idem, v. g. abalienationis per factum [*grant*], sed status necessario debet *eodem tempore et eodem actu* aut legali ut per abalienationis instrumentum, aut illegali ut per injustam occupationem agrorum alienorum creari. 2. Status tenentium conjunctorum necessario *eodem tempore* in ipsis vestitur. Sic si agri abalienentur Jacobo in vitam suam cum residuo ad Petrum et Paulum eorumque heredes, Petrus et Paulus tenentes conjuncti in residuo vestito constituuntur. Si vero residuum datum fuisset Petro et filio primogenito Pauli nondum in esse eorumque heredibus, et si Joannes filius Pauli postea nascitur, Petrus et Joannes non sunt tenentes conjuncti, quia tales non erant ab initio, quoniam residuum Petri erat vestitum, residuum Joannis contingens. Si vero Jacobus mortuus sit ante nativitatem Joannis, hic nihil omnino accipiet; si vero ante mortem Jacobi natus sit, residuum ipsum inter et Petrum æqualiter dividendum est.

382. Commodum quod ex agris percipitur a tenentibus conjunctis debet esse *idem quoad quantitatem* seu diuturnitatem status; ita ut unus non possit esse tenens in vitam, alius in annos, neque unus in feudo simp., et alius in tallio. Sed quantitas status Petri et Pauli qui sunt tenentes conjuncti debet esse eadem solummodo in quantum sunt tenentes conjuncti, quia in eisdem agris potest quis habere unum statum conjunctim cum aliis, et alium separatim [*in severalty*]. Sic si agri concedantur Petro et Paulo in ipsorum vitas conjunctas, et post eos mortuos heredibus Petri, Petrus et Paulus sunt tenentes conjuncti in ipsorum vitas conjunctas, et Petrus habet hereditatem separatim in feudo simplici; status tamen Petri in feudo non est omni modo in possessione (*a*),

(*a*) "Though a joint tenancy for life subsists [between Peter and Paul] with all the usual incidents, yet the estate of the joint tenant who has the fee [Peter],

dum vivit Paulus, qui jus vestitum habet, si Petro supervixerit, ad totum statum conjunctum in vitam suam accipiendum, ut infra exponetur. Hic status vestitus Pauli obstat quominus status Petri quem habet in vitam a statu ejus in feudo absorbeatur, sed si Paulus ante Petrum moriatur, status Petri in vitam a statu in feudo absorbetur; et si Petrus moriatur ante Paulum, Paulo mortuo heredes Petri in feudum non per modum residui sed jure hereditario succedent.

383. 4. Commodum quod percipiunt tenentes conjuncti debet esse integrum et æquale [*an entirety and equality of interest*], ita ut unusquisque "totum teneat conjunctim et nihil separatim," qui modus tenendi seu scisinam habendi in lege municip. *per my et per tout* exprimitur. Quamvis autem tenentes conjuncti partes distinctas agrorum non tenent, unusquisque jus habet solummodo ad debitam portionem emolumentorum accipiendam. Sic si sint duo tenentes conjuncti Caius et Lucius, uterque jus habet ad dimidiam partem emolumentorum, et jure etiam potitur dimidiam partem agrorum sine consensu alterius abalienandi.—Ad hoc efficiendum ne necessarium quidem est ipsos agros in duas partes dividere, nam Caius, v. g. nulla divisione agrorum facta, suum statum Jacobo abalienare potest (*a*). Sed hoc facto quamvis Lucius et Jacobus adhuc tenent *communiter* [*in common*], et uterque jus habet ad dimidiam emolumentorum partem, et ad dimidiam partem agrorum abalienandam, attamen *tenencia conjuncta* destruitur, et in tenenciam *in communi* convertitur, quia status Lucii et Jacobi neque uno et eodem actu neque eodem tempore creati erant. Et similiter si unus ex tenentibus conjunctis, Caius v. g. statum suum alteri tenenti conjuncto, Lucio nempe, cederet, tenencia conjuncta destrueretur, et Lucius nunc statum separatim teneret [*is tenant in severalty*].

384. Præcipua hujus status incidentia sunt 1. jus *accrescendi*, seu jus illud quo quando unus ex pluribus tenentibus conjunctis

is for many purposes [*particularly that of alienation*] an entire inheritance, not broken into a particular estate and remainder thereon." Co. Litt. 184, B., ap. Steph. vol. 1. p. 364. n.

(*a*) Si omnibus præscriptis legis municip. quæ ad tenenciam conjunctam constituendam servatis, status viro et uxori detur, stricte loquendo non sunt tenentes conjuncti sed tenentes totius status [*by entireties*], quia quum in jure ut *unica persona* respiciantur, non censentur tenere statum per partes æquales, sed ambo totum statum in solidum tenere reputantur, et ideo in jure dicuntur tenere *per tout et non per my*, neque alteruter de ulla parte status sine consensu alterius disponere potest. Attamen si in instrumento abalienationis expresse caveatur ut vir et uxor statum tanquam tenentes conjuncti teneant, hæc dispositio in jure valebat.

moritur, pars ejus non ad ejus heredes, neque ad eos qui ejus vicem gerunt transit, sed ad tenentes conjunctos qui supersunt pertinet, ita ut omnibus tenentibus conjunctis uno excepto mortuis, ipse totum statum secundum ejus naturam, sive in feudo simplici sive talliato, sive in vitam sive in annos separatim accipiat. Hoc præscriptum sic exprimitur apud antiquos jurisperitos: *Pars illa communis accrescit superstitibus, de persona in personam, usque ad ultimam personam* (*a*). 2. Ex alia regula juris, nempe quod jus accrescendi prefertur oneribus, sequitur nullum jus aut ad doarium aut ad statum ex urbanitate accipiendum a statu qui in tenencia communi possidetur existere posse; et proinde etiam quando aliquis ex tenentibus conjunctis partem suam abalienat, quamvis jus accrescendi aliorum tenentium quoad hanc partem destruitur, et tenencia conjuncta quoad partem abalienatam non amplius existit, uxor illius qui partem suam abalienavit nullum jus ad doarium acquirit, quia maritus nunquam habuit seisinam horum agrorum, nisi eo modo quo ipso mortuo ad alios tenentes superstites devenire debebant. Et hoc verum est quando unus ex tenentibus conjunctis suam partem alteri ex illis concedit. Et quamvis si status ab initio datus esset Petro et Paulo in ipsorum vitas conjunctas, et ipsis extinctis heredibus Petri, Petrus et Paulus tenentes essent conjuncti status in suas vitas concessi; attamen si status ab initio illis concessus fuisset solummodo in eorum vitas conjunctas, et hereditas aliquo alio modo ut per aliud abalienationis instrumentum, aut jure hereditario in Petrum devenisset, tenencia conjuncta dissolveretur, et quandocunque aut quomodocunque tenencia conjuncta dissolvitur, jus accrescendi destruitur. Si unus ex tribus tenentibus conjunctis partem suam abalienet, duo alii adhuc sunt quoad suas partes tenente conjuncti, et si abalienatio alicui ex tenentibus conjunctis facta fuisset, hæc quidem pars a tenencia conjuncta solvitur, sed aliæ duæ partes adhuc in tenencia conjuncta habentur.

385. Præter modos jam indicatos quibus tenencia conjuncta destruitur, etiam dissolvitur per agrorum divisionem, quando Petrus et Paulus tenentes conjuncti pasciscuntur agros inter se partiri eosque separatim tenere, et hanc partitionem facto rite confecto confirmant. Et quamvis jure com. partitio fieri non potest nisi de consensu omnium tenentium conjunctorum, attamen quivis ex tenentibus conjunctis mandatum [*an order*] a curia æquitatis obtinere potest vi cujus ceteri partitionem facere cogentur.

386. Ex principio quod coram lege vir et uxor sunt unica

(*a*) Ap. Steph. vol. 1. p. 348.

persona, si status conjunctus detur in feudo Petro ejusque uxori Annæ, et Paulo, Paulus si nihil in contrarium expresse declaretur dimidiam partem status conjuncti accipiet. Quando Petrus qui tenet agros conjunctim cum Paulo suam partem legat Caio, mortuo Petro non Caius sed Paulus agros accipiet, quia in ipso instanti mortis Petri ejus pars agrorum in Paulo vestitur, et Paulus jure suo vestito vi testamenti postea privari nequit. Et quamvis Petrus Paulo supervixerit, testamentum confectum dum erat tenens conjunctus invalidum est, quia nullum jus habuit hoc modo de sua parte disponendi. Itaque quando status est hereditarius omnino expedit tenenciam conjunctam dissolvere; aliter vero est quando Petrus et Paulus v. g. in suas vitas conjunctas tenent; quia dissoluta tenencia conjuncta, quando Petrus postea morietur ejus pars non ad suos heredes descendet, sed ad reversionarium pertinebit.

§ 2. *De statibus qui ad plures personas simul jure hereditario descendunt* [of estates in coparcenary], *et de statibus qui communiter tenentur* [of estates in common].

387. Status tenentium *comparticipantium* [*in coparcenary*] est status qui descendit jure hereditario non ad solum primogenitum, sed ad duo vel plures, et in æquali proportione ad eos qui in eodem gradu consanguinitatis conjunguntur cum eo a quo hereditas derivatur. Existit hic status aut juxta præscripta juris com. aut ex consuetudine speciali. Existit juxta præscripta juris com. quando Petrus v. g. qui tenet statum in feudo aut simplici aut talliato moritur, et ejus heredes proximi sunt duæ aut plures feminæ, ut duæ filiæ, duæ sorores, duæ amitæ, aut alii qui in earum jura succedunt; in quo casu status non ad unam sed ad omnes simul jure hereditario descendit; et hujusmodi heredes *comparticipantes* (*coparceners* sive *parceners*) dicuntur, quia omnes hereditatem participant. Existit hic status etiam consuetudine speciali, ut quando agri in *gavelkind* tenentur; juxta hanc enim consuetudinem omnes mares qui sunt in æquali gradu consanguinitatis cum eo a quo hereditas derivatur, ut omnes filii, omnes fratres, omnes avunculi, in æquales partes hereditatis jure hereditario succedunt.

388. In comparticipatione sicut in tenencia conjuncta requiritur unitas tituli ex parte comparticipantium, sed ipse titulus in utroque statu est necessario prorsus diversus. Titulus enim comparticipantium est necessario jus hereditarium; titulus tenentium conjunctorum semper actibus partium a quibus status

creatur ut per feoffamentum, per abalienationis iustrumentum conficitur. Proinde si duæ sorores agros emant a seipsis suisque heredibus tenendos, non sunt comparticipantes sed tenentes conjuncti. Hinc aliud exurgit discrimen inter status qui in comparticipatione et eos qui in tenencia conjuncta habentur; soli enim status hereditarii in comparticipatione teneri possunt; sed status sive in feudo sive simp. sive talliato sive in vitam sive in annos in tenencia conjuncta possunt haberi. Deinde quamvis comparticipantes agros indivisim tenent, unusquisque ex illis jus non habet ad totum statum [*an entirety of interest*], sed ad suam partem tantum quamvis indivisim, et mortuo uno ex comparticipantibus ejus pars non ad comparticipantes superviventes, sed ad ejus heredes transmittitur. Attamen quando quis jure hereditario succedit in agros qui in comparticipatione et promiscue a pluribus tenentur, et ipse est tenens in comparticipatione. Itaque quamvis titulus comparticipantium necessario idem est, non tamen necessario eodem tempore incipit; quia si Petrus possidens agros in feudo moriatur duas relinquens filias Mariam et Annam, hæ per modum comparticipantium æqualiter ad hereditatem succedent; et si Maria mortua sit duas filias relinquens, hæ fiunt comparticipantes cum Anna et jus habent ad æquales partes dimidiæ partis hereditatis. Si vero Anna mortua sit unam relinquens filiam, hæc erit comparticipans cum filiabus Mariæ, et dimidiam partem totius hereditatis accipiet. Nullum jus *accrescendi* inter comparticipantes, existit, quia quando unus ex illis moritur ejus agri ad ipsius heredes descendunt.

389. Quando aliquis ex comparticipantibus, etiam nulla partitione agrorum facta, suam partem abalienat, comparticipatio quoad hanc partem dissolvitur; hac enim abalienatione unitas tituli destruitur, et inter novum tenentem qui hanc partem status indivisim tenet et alios qui inter se adhuc sunt comparticipantes, tenencia in communi existit. Ita etiam quando tota hereditas in una persona vestitur comparticipatio destruitur, et hæc persona tenet separatim [*in severalty*]. Potest etiam comparticipatio destrui partitione voluntaria status inter tenentes ita ut unusquisque suam partem separatim teneat. Hoc fieri potest 1. per ipsos tenentes; 2. per amicum cui facultatem agros dividendi concedunt, in quo casu nisi aliter conventum sit, jus competit singulis sororibus partes divisas juxta prærogativam ætatis eligendi. Sed hoc privilegium est personale, et ad earum heredes non descendit, et proinde si primogenita sit mortua tempore partitionis, is qui in ejus statum jure hereditario succedit prædicto privilegio non potitur, et tunc ordo eligendi sorte aut alio modo determinandus est. Si

vero jus eligendi ad beneficium descendat in comparticipatione, et si inter sorores conveniri non potest quis privilegio primam præsentationem faciendi potitura sit, non solum ipsa soror natu maxima, sed et ejus heres, maritus, aut ii quibus sua jura transtulerit privilegio præsentandi prima vice gaudebunt, deinde proxima quæ natu major est eodem privilegio gaudebunt, et sic deinceps. 3. Divisio agrorum fieri potest a sorore natu maxima, sed tunc hæc ultimo loco eliget; cujus enim est divisio non ejusdem est electio. 4. Divisis agris inter sorores convenire potest ut partes quas singula obtinebunt per sortes determinentur. Et quævis ex illis, ceteris renuentibus, mandatum a curia æquitatis obtinere potest, vi cujus divisionem facere cogentur.

390. Quando duo aut plures eosdem agros vi diversorum titulorum, aut etiam vi ejusdem tituli, non tamen juris hereditarii, diversis temporibus obtenti, aut etiam eodem tempore, modo verba adhibeantur quibus ostenditur tenentes partes *distinctas* quamvis *indivisas* agrorum occupare, *in communi* teneri dicuntur [*by tenancy in common*]. In hac tenencia non necessario existit commodum aut *æquale* aut etiam *simile* inter tenentes, quia duæ tertiæ partes agrorum ad unum ex duobus tenentibus pertinere possunt. In hac tenencia non requiritur unitas tituli, unus enim tenere potest in feudo, alius in vitam, alius in annos; neque temporis in quo titulus acquiritur, neque habent singuli tenentes jus ad totum statum, quia unusquisque partem distinctam quamvis indivisam tenet, et proinde nullum jus accrescendi in ea obtinet. Unio inter tenentes in hoc tantum consistit, quod iidem agri promiscue tenentur. Quandocunque tenencia aut conjuncta aut in comparticipatione dissolvitur, partitione agrorum non facta in tenenciam in communi convertitur. Sic si agri dentur duobus viris, Petro et Paulo aut duabus mulieribus Mariæ et Annæ, et earum heredibus corporis, tenentes erunt conjuncti in vitam, sed statum hereditarium separatum [*a several inheritance*] habebunt; non enim possunt habere unum corporis heredem, ac ne in comparticipatione quidem eorum filii erunt tenentes; quia quamvis jure hereditario succedent quod tenenciam conjunctam excludit, hereditas tamen a diversis prædecessoribus derivatur, et ideo, partitione agrorum non facta, tenentes in communi constituuntur. In hoc itaque casu jus accrescendi ad tenentes nonnisi in eorum vitam pertinet, et illis omnibus extinctis heredes uniuscujusque ad ejus partem jure hereditario succedet. Si Paulus genuerit septem filios et tres filias, primogenitus Jacobus in totam hereditatem Petri succedet; et si Paulus nullum genuerit filium sed septem filias, omnes æquales partes hereditatis Pauli accipient eruntque

inter se comparticipantes, et nulla partitione agrorum facta, tenentes in communi cum Jacobo. Si vero agri dati fuissent Petro et Paulo in feudo simplici jus accrescendi existeret, et totus status ad Petrum si Paulo superviveret, et vice versa ad Paulum si Petro superviveret pertineret.

391. Potest tenencia in communi non solum modis prædictis sed etiam expressis verbis per abalienationis instrumentum creari, modo expresse declaretur eos quibus agri abalienantur debere partes distinctas quamvis indivisas sumere. Sic si dimidia pars agrorum non divisorum detur Petro et alia pars indivisa Paulo, vel si Petrus nulla partitione facta dimidiam partem suorum agrorum concedat Paulo, tenencia in communi constituitur. Si vero agri darentur Petro et Paulo inter illos æqualiter dividendi, in abalienationibus secundum jus com. factis, hi putarentur esse tenentes conjuncti, sed in abalienationibus testamento factis aut in Statuto De Usibus (de quo infra n. 395) fundatis, tenentes essent in communi. Jus enim com. tenenciæ conjunctæ favet, sed jus non ita antiquum abalienandi per testamentum et quod in Statuto De Usibus fundatur favet tenenciæ in communi; quia compertum est illud privilegium quod in tenencia conjuncta datur tenenti superstiti sæpe durum et etiam injustum esse, utpote menti abalienantis prorsus oppositum.

392. Quando Petrus v. g. agros suos duobus suis filiis Jacobo et Petro eorumque heredibus corporis, in communi tenendos concedit, ea conditione ut deficientibus heredibus Jacobi, ejus dimidia pars ad Petrum ejusque heredes corporis descendat, et vice versa, hujusmodi status residui transversi [*cross remainders*] dicuntur. Quando abalienatio fit per *factum* [*by deed*], hujusmodi status nisi per verba expressa creari non potest, nunquam enim in tali instrumento status *implicite* ita limitare permittitur, eo quod talem fuisse voluntatem donantis præsumatur; sed aliter est in testamentis, quia ibi etiam *implicite* status ita limitari potest, si ex verbis in testamento contentis talem fuisse testatoris voluntatem rationabiliter infertur. Dissolvi potest tenencia in communi vel per totum statum, emptione aut alio acquisitum modo ab uno ex tenentibus, vel ab aliqua alia persona, quia tunc tenencia est seperata [*in severalty*]; vel per partitionem aut voluntariam, aut factam ex mandato curiæ æquitatis quod quivis ex tenentibus obtinere potest.

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA.

DE STATIBUS ÆQUITABILIBUS [*of equitable estates*], SEU DE IIS QUI AB UNO AUT PLURIBUS QUI FIDUCIARII [*trustees*] NOMINANTUR, PROPTER USUM ALTERIUS TENENTUR [*of uses and trusts*], ET DE STATIBUS QUI PER COPIAM ROTULI TENENTUR.

§ 1. *De statibus æquitabilibus.*

393. Hactenus egimus de statibus *legalibus*, id est de iis quorum quis tum dominio tum emolumentis potitur. Hi status legales dicuntur, quia jus com. et curiæ juris com. vix ullum alium statum agnoscunt, aut ullam notitiam aliorum statuum habent. Sed quoniam in agris sicut etiam in plerisque aliis dominii objectis, dominium ipsius rei est ab ejus usu separabile; et quoniam protectio infantium et aliorum qui suas facultates per seipsos administrare nequeunt exigit ut hæc administratio aliis demandetur, status per modum *fidei-commissorum* apud omnes gentes excultas semper extiterunt. *Fides* in hoc sensu rite definitur a Domino Bacon (*a*); *obligatio conscientiæ unius ad intentionem alterius.* In antiquissimis temporibus hoc jus apud Romanos *precarium* dicebatur, eo quod ejus executio lege exigi non poterat, sed ex conscientia fiduciarii [*the trustee*] pendebat. Postea tamen remedium legale in curia Prætoris fidei-commissarii datum erat, et tunc *jus fiduciarium* appellabatur. Hoc jus a jure canonico et civili mutuatum, in Angliam introductum est circa finem regni Edv. III., præcipue, ut fertur, ad leges mortuæ manus [*of mortmain*] evitandas. Episcopi enim, clerici beneficiati, et domus religiosæ inter *corpora* [*corporations*] a lege computabantur. Corpus hoc sensu acceptum est aut unus individuus, aut aggregatio individuorum quibus eorumque successoribus lex artificialem et perpetuam existentiam a naturali omnino distinctam concedit: ipsi enim cum ipsorum successoribus eandem personam efformare cen-

(*a*) Ap. Stephen. tom. 1. p. 361, n. *d.*

sentur. Quoniam vero magna onera a dominis summis ex quibus agri per modum feudi tenebantur in heredes qui inter eorum vassallos computabantur occasione successionis mortuo antecessore imposita erant, et hi domini ipsos agros per eschætam non raro obtinebant; quæ commoda ex agris ad corpora pertinentibus minime obtinere poterant; quia hæc corpora ficta nunquam moriantur, neque criminis rea esse possint, et proinde agri qui ab ipsis tenebantur neque ex defectu heredis neque ex delicto tenentis ad dominum superiorem unquam reverterentur, idcirco hi agri *in manu mortua* esse dicebantur, quia domini rapaces nullum commodum ex eis derivare poterant. Ad hæc præcavenda corpora sive sola ut episcopus et parochus, sive aggregata ut domus religiosæ, pro seipsis suisque successoribus agros accipere sine licentia regia per varia statuta prohibita erant.

394. Clerici vero qui in iis etiam negotiis quæ civilem respiciunt reipublicæ administrationem longe doctiores et peritiores erant quam laici, constituendis fiduciariis a quibus agri in usum et commodum corporum tenebantur hæc statuta irrita effecerunt. Status hujusmodi definiri potest: *Status in quo agri uni dantur ea confidentia et fide ut eos ad usum et commodum alterius teneat.* Usus [*uses*] itaque et fidei-commissa [*trusts*] sunt correlativa; ille a quo agri propter usum et commodum alterius tenentur est fiduciarius [*the trustee*], et quia agri olim generatim per feoffamentum abalienati erant, *Feoffee to uses* dicebatur; ille autem ob cujus commodum agri ab alio tenebantur *cestui que use* nominatus est. Curiæ juris com. fiduciarium ut solum et verum dominum agrorum respiciebant; sed Curia Cancellariæ in qua jus secundum æquitatem administratum est, jus illius ob cujus commodum fidei-commissum constitutum est vindicabat, et fiduciarium statum secundum naturam fidei-commissi administrare cogebat. Dum itaque *cestui que use* a curiis com. juris, nisi esset in possessione agrorum, nullum dominium aut usum in iis habere agnoscebatur, et si esset in possessione ut tenens ex tolerantia reputabatur, a curiis æquitatis ut eorum verus dominus habebatur. Et quamvis per 15 Ric. II., c. 5, etiam status æquitabiles legibus *de manu mortua* subjiciebantur, attamen hic modus agros habendi tanta possidebat commoda, ut magna pars agrorum Angliæ ab uno in commodum alterius teneretur. Quamvis enim status æquitabiles a Curia Cancellariæ iisdem præscriptis subjiciebantur, quibus status legales regebantur in curiis juris com., attamen eorum rigor a curiis æquitatis multum moderatus est. 1. In statibus æquitabilibus libera tenementa creari et abalienari poterant per factum etiam secretum aut per testamentum sine ulla

traditione seisinæ, quia nulla mutatio in statu legali facta est. 2. Status æquitabiles potuerunt esse vel in possessione, vel in reversione, vel in residuo aut vestito aut contingente; et etiam limitari poterant pro commodo futuro simpliciter, sine subtilitatibus supra expositis quæ necessariæ erant ad residuum in statu legali constituendum. Quando status æquitabilis erat in possessione, aut in reversione aut in residuo vestito *usus in esse* dicebantur; in aliis casibus ubi usus in futuro erant, *usus contingentes* sive usus in *possibilitate* appellabantur. 3. *Cestui que use* eschætæ obnoxius non erat ob sanguinem quem dicunt corruptum [*attainder*], neque ex agris propter crimina excidebat. Ob hanc ultimam rationem, quo tempore bella civilia exardescebant, status æquitabiles fere ubique per Angliam constituti erant.

395. Per statutum vero 27 Hen. VIII., c. 10, *the Statute of Uses*, quod dicitur, quo usus *executioni* mandatur [*the use is executed*], *cestui que use* ipso facto vi statuti statum legalem ejusdem rationis ac status ejus æquitabilis accepit. Sic quicumque, sive erat persona naturalis sive ficta ut corpus [*a corporation*], ante statutum jus habebat ad usum in feudo aut simplici aut talliato, aut in vitam, aut in annos, sive in reversione sive in residuo, statum legalem ejusdem generis adeptus est, et status legalis fiduciarii omnino deletus erat. Vi statuti quando usus erat in possessione in statum in possessione, sine traditione seisinæ aut ulla alia ceremonia conversus est. Sic quando feoffamentum factum erat Petro ejusque heredibus, in usum Pauli ejusque heredum, status Petri abrogatus est, et status Pauli in feudum simplex in possessione conversus.

396. Usus creari potuerunt non solum pacto *expresso*, aut clausula in hunc effectum in ipso abalienationis instrumento contenta, sed etiam *implicite* quando ex ipsa natura abalienationis talis conditio in ea contineri judicabatur. Sic si Petrus feoffamentum fecisset suorum agrorum Paulo sine ullo pretio aut compensatione, *æquitas* præsumeret Petrum hoc fecisse in proprium suum usum et commodum, et proinde usum *implicitum* crearet, nisi Petrus expresse declarasset se hoc propter usum et commodum Pauli ejusque heredum fecisse. Tales usus consequentes [*resulting*] dicebantur. Usus etiam creari potuerunt per contractus facto munitos, absque solennitate instrumenti abalienationis; si enim Petrus propter compensationem [*the consideration*] pietatis [*of natural affection*] cum solennitate facti contraxisset tenere seisinam [*to stand seised*] *suorum agrorum ad usum* Pauli sibi sanguinis propinquitate conjuncti aut ad usum suæ propriæ uxoris sive alterius feminæ quam ducere intendebat,

curia æquitatis Petrum ut fiduciarium Pauli aut propriæ uxovis respiceret, et eum implere contractum cogeret. Sic etiam si Petrus pactus esset agros suos vendere Paulo pro pretio determinato, quamvis agros nondum aut facto aut alio instrumento abalienasset, curia æquitatis, si Paulus pecuniam debito tempore solvisset, Petrum ut ejus fiduciarium respiceret, qui proinde haberet seisinam agrorum propter usum Pauli. Sed vi statuti prædicti Paulus non solum usum, sed etiam seisinam agrorum sine ullo ingressu, habet.

397. Sed quamvis gravia mala et fraudes ex facilitate usus per facta secreta creandi oriebantur, attamen remedium ipso morbo longe perniciosius erat, et judices rigorem statuti temperare studebant. Imprimis itaque tenebant statutum effectum non habere nisi quando *una persona habet seisinam* ad *usum alterius;* et proinde si agri qui in mille annos tenentur assignentur Petro in usum Pauli, usus sine executione permanebit, quia Petrus non habet horum agrorum *seisinam* sed solummodo *possessionem.* Deinde si ipse *cestui que use* seisinam habeat, statutum non operatur, quia non est seisatus *in usum alterius.* Denique statuerunt statutum vim non habere *ultra seisinam;* sic si agri abalienentur Petro in vitam suam in usum Pauli in feudo, Paulus seisinam legalem nonnisi in vitam Petri accipit, et ideo usus nonnisi in vitam Petri executioni mandatur. Olim magna exarsit inter jurisperitos controversia, *ex qua seisina* usus contingentes exequi potuerunt. Sic ubi agri per feoffamentum abalienantur Petro ejusque heredibus, ad usum Pauli in vitam, cum residuo ad ejus filis nondum *in esse,* successive in tallio, cum residuo ad Joannem in feudo simplici, debet esse *seisina* vi cujus statutum usus filiis Pauli destinatos executioni mandare possit. Ad hanc difficultatem auferendam, fingebant Petrum [*the feoffee*] quamvis ejus seisina vera [*actual seisin*] omnino exhausta erat executioni mandando status æquitabiles sive usus Pauli et Joannis, adhuc retinere *scintillam juris,* seu *possibilitatem* seisinæ *futuræ,* propter commodum filiorum Pauli quando nascentur. Sed per 23 et 24 Vict., c. 38, s. 7, declaratur quod hujusmodi usus effectum obtinebunt, quando filii Pauli actu existent, vi seisinæ originalis ad usus, et quod nulla scintilla juris aut necessaria est, aut in Petro permanere censebitur.

398. Statutum æque arcte interpretatum erat a judicibus quoad ipsum usum. 1. Itaque statuerunt, et hæ omnes decisiones jam a longo tempore usu diuturno vim legis habent, usum super usum limitari non posse. Sic quando Petrus qui seisinam habet agrorum in feudo simplici, pascisitur et vendit [*bargains and sells*]

eos Paulo in unum annum, Petrus habet seisinam agrorum in usum Pauli, et vi statuti Paulus sine ulla seisinæ traditione et sine ingressu in agros, eorum possessionem facti unum annum accipit. Anno elapso ad Petrum revertentur. Hinc sequi videretur, si Petrus vendidisset agros Paulo in usum Jacobi, statum legalem in Jacobo vestitum fore, in cujus usum et commodum creatus est. Sed in hoc casu tradiderunt judices, usum implicitum in gratiam Pauli ex ipsa emptione oriri et *vi statuti* statum in possessione in eo vestitum esse, et hoc facto statutum nihil aliud operari posse; et ideo ex jure com. limitationem usus ad Jacobum omnino inefficacem et nullam esse. Propter eandem rationem si Petrus agros Paulo abalienaret in usum Jacobi, ex fide ut lucra ad Caium pertinerent, status legalis vi statuti in Jacobo vestiretur, et Caius nihil acciperet. Non tamen ita egerunt judices ut statum justum Caii destruerent, sed ut effectum Statuti De Usibus coarctarent, quia Curia Cancellariæ judicabat Caium quamvis non habuit usum qui vi statuti executioni mandari potuit, habere tamen statum justum, et proinde coegit Jacobum qui ut patet nihil accipere debuit in suum proprium commodum fidei-commissum in gratiam Caii servare et exequi.

399. Deinde per aliam decisionem judices effectum maxime perniciosum statuti sustulerunt. Hæc decisio est quod quando fiduciarius aliquod *munus activum* obeundum habet, non potest reputari ut tenens ad usum, aut saltem ad usum qui vi statuti executioni mandatur. Sic quando agri dantur Petro suisque heredibus cum onere reditus recipiendi, et lucra Paulo tradendi, Petrus non habet seisinam in usum Pauli qui vi statuti executioni mandatur, et ideo Petrus statum per modum fidei-commissi tenet, et ejus reditus Paulo tradere tenetur. E contra si agri dentur Petro ea conditione, ut Paulo reditus accipere permittatur, usus Pauli executioni mandatur, quia nullum munus activum in fiduciarium imponitur. Sed omne munus activum in fiduciarium impositum, ut vendere et dividere agros ob commodum aliorum, fidei-commissum ex operatione statuti excludunt. Usus executioni non mandati aut propter defectum seisinæ ex parte fiduciarii, aut quia ipse *cestui que use* seisinam habet, aut quia usus magis patet quam seisina, fidei-commissa *passiva* dicuntur; ceteri usus supra expositi qui executioni nonmandantur, fidei-commissa *activa* seu *specialia* nominantur.

400. Unde si Petrus velit Jacobo abalienare agros per modum fidei-commissi, necessarium solummodo erit usum super statum in annos concessum limitare, aut si limitatio fit super liberum tenementum usum super usum limitare. Sic si Petrus terminum agrorum quos in mille annos tenet abalienet Paulo in usum

Jacobi, quoniam Paulus horum agrorum non accipit seisinam sed solummodo possessionem usus a statuto executioni non mandatur, et ideo Paulus Jacobi fiduciarius permanet. Sed si Petrus agros quibus per modum liberi tenementi potitur abalienet Paulo in annos in usum Jacobi, usus executioni mandatur, et proinde status Pauli evertitur, et Jacobus statum legalem accipit. Quando igitur status super quem usus limitandus est liberum est tenementum usus super usum constituendus est; ut si Petrus agros abalienet Paulo ejusque heredibus in usum Joannis ejusque heredum in fide [*trust*] pro Jacobo ejusque heredibus. In hoc casu vi statuti Joannes statum legalem accipit, et Jacobus statum æquitabilem, quia quando usus executioni mandatur in casu Joannis nihil amplius operari potest statutum. In curiis itaque juris com. Jacobus nihil omnino accipit, in curiis vero æquitatis omnia lucra et emolumenta agrorum ipsi vindicabuntur. Similiter si Petrus abalienet agros quos tenet in feudo Paulo ejusque heredibus in usum ejusdem Pauli ejusque heredum, in fide pro Jacobo ejusque heredibus, Paulus seisinam habet agrorum, et usus etiam in ipso vestitur, et quamvis hic usus Pauli executioni non mandatur, quoniam seisina et usus in diversis personis non vestiuntur, attamen ex principio quod *constitui non potest usus super usum* Paulus accipit statum legalem et Jacobus æquitabilem. His argutis necessitati duos intermedios fiduciarios constituendi occurritur, Paulus enim solus ejusque heredes et ii qui in ejus jura succedunt [*his assigns*], fiduciarii Jacobi ejusque heredum et eorum qui in ejus jura succedunt constituuntur.

401. Ad constituenda fidei-commissa *activa*, quæ non solum sunt maximæ utilitatis sed etiam necessitatis in omni republica exculta, argutiæ prædictæ non sunt necessariæ, quia ipsa officia obstant ne usus executioni mandetur. Idem dicendum est de catallis personalibus, quia hæc non complectitur statutum, quod in terminis expressis ad agros tenementa et hereditamenta coarctatur, ex quibus proinde dari potest status legalis Petro in fide pro Paulo qui statum æquitabilem et usum possidebit. Et quamvis secundum jurisperitos (*a*) fidei-commissum juxta strictam hujus vocis significationem ex bonis personalibus constitui nequit, attamen sæpe necessarium est ut unus teneat hæc bona ob commodum alterius ut infantis, insani, &c., et a curiis æquitatis in omnibus casibus, et in aliquibus a curiis etiam jur. com. hæc fidei-commissa stricte custodiuntur et proteguntur. Sed jurisdictio circa fidei-commissa proprie et fere exclusive ad curias æquitatis pertinet;

(*a*) Cf. Steph. vol. 1., p. 377.

et quamvis aliqua pars hujus jurisdictionis in statutis Parlamenti nititur, attamen per fictiones et argutias judicum jur. com. et Cancellariorum præcipue acquisita et stabilita est. Omnes illi status qui olim nomine *usuum* florebant nunc nomine correlativo *fidei-commissorum* constitui possunt; et quoniam modus abalienationis per feoffamentum in desuetudinem abiit, fidei-commissum nunc *trust* aut *trust estate* et fiduciarius *trustee* appellantur, et ille ob cujus commodum fidei-commissum constituitur *cestui que trust* dicitur. Status fiduciarii est *legalis*, status *cestui que trust* æquitabilis.

402. Fidei-commissa dividuntur 1. in *activa* et *passiva*, de quibus jam diximus: 2. in ea quæ executioni mandata sunt [*executed*] (sed diverso prorsus sensu ab eo in quo vi statuti executioni mandantur), et ea quæ executioni mandanda sunt [*executory*]. Priora ea sunt in quibus fidei-commissum ab initio determinatum est, ita ut ille ob cujus beneficium constituitur statum æquitabilem immediate assequatur; posteriora ea sunt in quibus ille ob cujus beneficium constituuntur statum æquitabilem non immediate assequitur, sed ipsum assequi debet vi instrumenti quod in hunc finem fiduciarius exequi jubetur: 3. in explicita [*declared*], et implicita [*implied*]; priora ea sunt quæ expresse declarantur, posteriora ea quæ ex circumstantiis existere colliguntur. Ut si Paulus statum legalem abalienet Petro ejusque heredibus, ad usum Petri ejusque heredum propter fidei-commissa quæ postea a Paulo declarabuntur, quoniam agri Petro in proprium suum commodum non dantur, implicite oritur fidei-commissum in gratiam ipsius Pauli cujus fiduciarius Petrus constituitur. Hujusmodi fidei-commissa, quæ in gratiam ipsius donatoris status implicite oriuntur usus consequentes [*resulting trusts*] appellantur. Item si agri a Petro empti sunt, et pretium a Paulo solutum, fidei-commissum implicitum oritur, et Petrus a curiis æquitatis fiduciarius Pauli reputatur.

403. Quicumque agros tenere potest, etiam rex aut persona ficta ut corpus [*a corporation*], capax est fidei-commissum accipiendi (*a*). Axioma est in æquitate quod fidei-commissum nunquam irritum fieri permittetur propter incapacitatem fiduciarii ad ejus officium adimplendum; aut etiamsi nullus omnino fiduciarius constitutus sit. In hoc ultimo casu Curia Cancellariæ illam per-

(*a*) Neither the Crown nor a corporation aggregate could be seised as to any use except their own; that is, they might hold the lands, but were not compellable to execute the trust; but the case is otherwise with respect to a trust: this they may hold and must execute.

sonam fiduciarium constituet, ad quem status legalis eo quod nullus fiduciarius constitutus erat pertinebit, et ipsum fidei-commissum exequi coget. Status fiduciarii obnoxius est omnibus ordinariis *incidentibus* quæ ad dominium ordinarium agrorum annectuntur. Potest enim fiduciarius eum abalienare dum vivit, et si emptor fidei-commissum ignorans, pretio æstimatione digno agros acquisiverit, ne quidem a curia æquitatis ad agros cedendos, aut ad fidei-commissum adimplendum cogi potest; et *cestui que trust* solummodo actionem personalem contra fiduciarium ad reparationem damnorum obtinendam instituere potest. In aliis vero casibus fidei-commissum statui adhæret, et quicumque agros acquirit ipsum adimplere tenetur. Similiter mortuo fiduciario status legalis ad ejus heredes, aut ad eos qui ejus vice funguntur descendit, cum onere tamen fidei-commissum exequendi. Quando ratio ob quam institutum erat fidei-commissum desinit, puta quia institutum erat durante infantia legali *cestui que trust*, et is jam annum vigesimum primum complevit, et fiduciarius aut ejus heres agros aut aliud fidei-commissum retinet, a Curia Cancellariæ statum legalem *cestui que trust* abalienare cogetur. Et ex statuto quod Trustee Act dicitur A. D. 1850 lato si fiduciarius postquam jubetur a Cancellario statum legalem *cestui que trust* abalienare hoc facere aut recuset aut negligat, aut si sit infans, aut extra fines jurisdictionis Curiæ, aut si inveniri non possit, aut ubi plures erant fiduciarii si incertum sit quis eorum aliis supervixerit; aut utrum is qui novissime seisinam habuit sit inter vivos an mortuus; aut si sit mortuus quis sit ejus heres, aut quis ejus vice fungatur; aut si sit mortuus sine herede nullo facto testamento; ipsa Curia Cancellariæ potest possessionem agrorum, aut aliorum bonorum quæ per modum fidei-commissi constituta erant personæ seu personis quibus jure debentur tradere, aut aliquem ad abalienationem vice fiduciarii faciendam constituere. Quamvis adhuc secundum legem [*at law*] status fiduciarii ad ejus propria debita solvenda arripi potest, et ejus uxor potest ex eo *doarium* exigere, et si ipsa uxor sit fiduciaria ejus maritus jus ad statum ex urbanitate ex eo vindicare potest; attamen si quis his modis gravare fidei-commissum attentaret curiæ æquitatis hæc onera abjicerent, et jura *cestui que trust* vindicarent. Et ex statuto supra citato neque agri, neque pecunia fide publicâ mutua data, neque bona personalia etiam non possessa sed debita [*chose in action*] quæ ab aliquo per modum fidei-commissi aut vadi mortui [*mortgage*] tenentur aut *eschætæ* obnoxia sunt, aut committi possunt [*are forfeited*] ex eo quod fiduciarius, aut creditor hypothecarius [*the mortgagee*]

attinctus aut proscriptus fuerit [*has been attainted or outlawed* (*a*)], nisi quoad aliqua commoda et jura, si quæ sint, quibus ipse in his rebus in suum proprium commodum potitus sit.

404. Fidei-commissum aliquando constat ex jure aliquod emolumentum ex agris *alienis* percipiendi, ut si Petrus agros Paulo reliquat cum obligatione summam annuam ex iis Jacobo solvendi. Paulus habet statum tum legalem tum æquitabilem in his agris, sed status æquitabilis solutioni legati obnoxius est. Sed si totum emolumentum agrorum *cestui que trust* debeatur, ejus status in æquitate dominio vero agrorum æquivalere censetur. Sic si Petrus agros abalienet Paulo ejusque heredibus, ad usum Pauli ejusque heredum in fide pro Jacobo ejusque heredibus, in æquitate Jacobus habet statum in feudo simplici in his agris, et eorum verus dominus reputatur. Status per modum fidei-commissi creari potest aut in annos aut in vitam aut in feudo sive simplici sive talliato, et tallium auferri potest eodem modo ac si status esset legalis. Status minor etiam a majore absorbetur eodem modo, ac fit quando status sunt legales, sed requiritur ut uterque status sit æquitabilis, et ut nulla injustitia inde oriatur. Status æquitabiles iisdem etiam interpretationibus judicialibus ac præsertim judicio in casu Shelley prolato quod supra exposuimus reguntur, quia principium est apud judices æquitatis quod *æquitas sequitur legem*. Vidua etiam doarium exigere potest ex omni statu hereditario in possessione mariti, sive sit omnino æquitabilis sive partim legalis et partim æquitabilis, nisi per modum tenenciæ conjunctæ teneatur; et similiter in Anglia status ex urbanitate a marito ex statu æquitabili uxoris vindicari potest. Et sicut status legalis vi rescripti *elegit* occupari potest donec ejus domini debita solvantur, eodem modo occupari potest status æquitabilis; et judicia et præscripta [*rules*] curiarum juris superiorum, et mandata et decreta curiarum æquitatis effectum habent onerum [*operate as a charge*] super omnes agros, tenementa, et hereditamenta ex quibus debitor aliquod emolumentum secundum legem aut æquitatem derivat.

405. Attamen quoad creationem et limitationem status et quædam alia in quibus *usus* a rigore legis com. exempti erant, fideicommissa iisdem privilegiis potiuntur. Sed nunc per varia statuta status legalis magna ex parte a rigore juris com. liberatur, et etiam quando est liberum tenementur abalienari potest per factum aut testamentum sine ulla seisinæ traditione. Fidei-commissum

(*a*) Cf. infra ubi de titulo eschætæ.

olim stabiliri potuit per testimonium voce datum, sed per 29 Car. II., c. 3, s. 9, omnia fidei-commissa quæ agros respiciunt, iis exceptis quæ implicite ex interpretatione legis oriuntur, instrumento scripto et nomine personæ a qua fidei-commissum constituitur subsignato aut testamento scripto manifestanda et probanda sunt. Et per idem statutum similis probatio requiritur in concessione aut abalienatione [*the grant or assignment*] cujuscumque hujus generis emolumenti quod agros respicit. Potest fidei-commissum ita limitari ut ejus fruitio nonnisi in futuro inceptura sit sine subtilitatibus quæ requiruntur quando status legalis hoc modo constituitur. Non potest dominus feudi fidei-commissum sibi vindicare ut bona propter crimen commissa etiamsi ipse *cestui que trust* sit *attinctus*, quamvis in hoc casu rex illud vindicare potest. Neque fidei-commissum hereditarium propter defectum sanguinis hereditarii ad dominum feudi revertitur [*escheats*], sed in hoc casu ipse fiduciarius agros ab onere fidei-commissi liberos retinet.

406. Omnia hereditamenta corporalia, sive sint in possessione sive in reversione sive in residuo, et multa incorporalia ut reditus, jus præsentandi ad beneficium, &c., per modum fidei-commissi ordinari possunt. Sed ea quorum usus ab eorum possessione separari nequit, et quæ ipso usu consumuntur, ut jus viæ, jus ad agros compascuos [*common of pasture*], &c., per modum fidei-commissi ordinari nequeunt.

§ 2. *De statibus qui haberi possunt in agris qui per copiam rotuli tenentur.*

407. Ex dictis supra de villenagio constat hujusmodi status nonnisi in maneriis inveniri posse, et rationem status ex consuetudine manerii in quo existit pendere. In iis enim maneriis in quibus consuetudo obtinet ut heres antecessori succedat, status est hereditarius; in aliis in quibus alia prævalet consuetudo, juxta hanc in vitam aut in annos tenetur. Sed quamvis status qui per copiam rotuli tenetur potest esse in vitam aut hereditarius, non est liberum tenementum, quia tenura *vilis* est. Lex municip. inter statum legalem et statum ex consuetudine in iisdem agris distinguit; quoad priorem reponit seisinam et liberum tenementum apud dominum [*it supposes the seisin and freehold of the legal estate to be vested in the lord*], cujus dominici [*demesne*] status ex consuetudine pars esse censetur; et statum tenentis ex consuetudine respicit ut statum qui ad arbitrium domini tenetur. Sed quoniam est tenens ad arbitrium juxta consuetudinem manerii tenet in annos aut in vitam aut in feudo aut simplici aut talliato prout fert con-

suetudo manerii. Propter hunc statum tenens fidelitatem erga dominum præstare non tenetur, quia hoc incidens inter dominum et tenentem ad arbitrium non oritur. Tenura per copiam vix invenitur in Hibernia, sed etiam hodie satis communis est in Anglia, et quamvis hoc commodum habet quod præscripta Statuti De Donis agros qui per copiam tenentur non respiciunt, et proinde limitare agros homini ejusque heredibus corporis etiam post dictum stat. jure com. non statum talliatum sed feudum simplex conditionatum efficit, attamen *consuetudine* in pluribus maneriis status talliati constituti sunt.

408. Non solum vero in *quantitate* statûs, nempe ut sit in annos aut in vitam aut in feudo, status per copiam qui ex consuetudine jure hereditario aut in vitam tenentur statibus liberæ tenuræ æquiparantur; status enim hujusmodi sufficientis pretii jus confert suffragium ferendi in electione eorum qui personam populi in senatu inferiori gerunt, et tenens per copiam æque ac tenens liberi tenementi oneri *juratoris* officium obeundi obnoxius est. Quando doarium ex statu per copiam debetur, hoc nomine banci liberi [*free bench*] appellatur. Attamen tenura per consuetudinem eximitur a multis restrictionibus juris com. quibus libera tenementa coarctantur. Sic in abalienationibus agrorum qui per copiam tenentur inter vivos factis, quamvis nullum adjumentum ex Statuto De Usibus derivari potest, attamen status in vitam aut in feudo cujus fruitio nonnisi in *futuro* incipiet, in hac tenura constitui potest, et feudum simplex *post aliud feudum simplex* limitari, et dominus status potest cum aut sibimetipsi aut suæ uxori abalienare, et semper potuit modo postea indicando de eo per testamentum disponere.

409. Status per copiam rotuli a libero tenemento differt 1. quoad incidentia plura quæ in utroque statu diversa sunt, et 2. quoad titulum seu modum in quo acquiri et abalienari potest. Tenens per copiam etiam in feudo simp. nullum jus habet nisi ex consuetudine speciali quorundam maneriorum *vastam* committendi, v. g. arbores excidendi nisi ad ligna [*fuel*] aut ad reparanda agriculturæ instrumenta requirantur; neque metalla instituere, quia quoad hæc ut tenens ad arbitrium a jure municip. respicitur; et nihilominus nisi alicubi consuetudo specialis in hunc effectum existit, domino liberi tenementi integrum non est agros tenentis ingredi arbores collucare aut metalla exercere. Insuper per vastæ commissionem, aut per abalienationem in vitam aut in feudo factam iis modis quibus jure com. nonnisi agros liberæ tenuræ, non autem eos qui per copiam tenentur abalienari permittitur, tenens per copiam ex statu suo excidit, et agri ad dominum liberi tenementi revertuntur. Idem effectus producitur si tenens per copiam

agros locet ultra unum annum sine licentia domini tenementi liberi, aut opera [*services*] debita adimplere recuset, aut si tenenciæ in curia aperta renunciet [*disclaim*]. Etiam obtenta licentia domini agros nonnisi in annos non autem in feudo aut in vitam locare potest tenens per copiam, sed per deditionem [*surrender*] fictam domino liberi tenementi factam, et novæ tenentis admissionem [*admittance*] a domino, etiam in vitam aut in feudo eos abalienare potest.

410. Tenentes manerii sive per modum liberi tenementi sive per copiam suos agros tenent [*whether freeholders or copyholders*] reditus *quietos* (*a*) [*quit rents or rents of assize*] vulgo solvere obligantur, et tenentes per copiam multas [*fines*] domino liberi tenementi occasione aut *successionis* novi tenentis, aut *abalienationis* agrorum adhuc solvere tenentur. Hæ multæ sunt aut *certæ* et determinatæ *consuetudine* manerii; aut *arbitrariæ* utpote ex voluntate domini dependentes; sed quia hæc voluntas debet esse rationabilis, multas arbitrarias vix unquam ultra agrorum duplum pretium summum annuum [*two years' improved value of the lands*] exigere permittitur. Quando agri tenentur a tenentibus *in communi*, unusquisque debitam portionem hujus multæ domino solvere tenetur; tenentes vero conjuncti aut com-participantes solummodo ad unam multam pro omnibus tenentibus solvendam adstringuntur. Quoad tenentes conjunctos, primo mortuo, alii succedentes duplum pretium summum annuum agrorum domino solvere obligantur; secundo mortuo pretium unius anni; tertio mortuo pretium dimidii anni; et sic deinceps.

411. Olim heres aut legatarius qui successerat in statum per copiam cogi non poterat ex eo solvere debita antecessoris, sed nunc ex variis statutis status per copiam dum permanet in manibus ipsius tenentis qui ære alieno gravatur aut postquam ad ejus heredem aut legatarium transmittitur, vendi potest ad debita quæ ejus dominus contraxerit dissolvenda.

412. Ex quo Victoria regnare cœpit permulta statuta lata sunt ad mala auferenda quæ ex hac absurda tenura oriuntur. Per hæc curatores quidam qui *Copyhold Commissioners* appellantur constituti sunt, quibus approbantibus reditus, multæ, heriota, et jus domini ad arbores, et etiam ad metalla modo horum in pacto expressa mentio fiat, commutari possunt per conventionem initam inter dominum et singulos tenentes, aut inter dominum aut dominos ex una parte et tres quartas tenentium ex alia, in quo casu conventio omnes et singulos do-

(*a*) Cf. infra ubi de reditibus.

minos et tenentes manerii obligabit, modo prædicti domini jus habeant ad dodrantem redituum aliorumque commodorum ad dominos manerii pertinentium, et tenentes ad dodrantem emolumentorum quæ ex agris manerii ab omnibus tenentibus per copiam percipiuntur. Hæc conventio postquam a curatoribus rata habita fuerit, non solum ipsas partes, sed et eorum heredes, legatarios, et omnes alios qui in eorum jura succedent obligabit. Sed necessarium est indicium dare iis qui jure hereditario in statum per modum residui, reversionis, aut expectationis, proxime successuri sunt, quibus permissum est rationes contra conventionem coram curatoribus urgere. Necessarium etiam est ad validitatem conventionis ut omnia corpora [*corporations*] sive ecclesiastica sive civilia inter partes contrahentes inveniantur; et ut usus et fidei-commissa quibus agri tempore conventionis obnoxii sunt in quantum fieri potest serventur. Postquam commutatio ad effectum vi statuti adducta fuerit, aut factum [*a deed*] initum vi cujus partes ad voluntariam commutationem faciendam seipsos obligant, quamvis agri adhuc præcipue iis præscriptis juris quæ tenuram per copiam respiciunt reguntur, attamen si ex consuetudine manerii modo speciali jure hereditario transmittantur, hæc consuetudo nisi quoad *Gavelkind* in Comitatu Cantiæ, abrogatur, et modus quo agri jure hereditario transmittuntur juri communi conformis redditur. Præscripta etiam specialia quæ in tenura per copiam quoad doarium et statum ex urbanitate prævalent abrogantur, et præscriptis quæ in *libero socagio* obtinent conformantur.

413. Sed præcipue per statuta recenter lata facilitas præbetur tenuram vilem per copiam in tenuram liberi socagii convertendi [*of enfranchising the lands*]. Potest dominus cujuscumque manerii quicquid est emolumentum sive magnum sive parvum quod ex eo percipit, consentientibus curatoribus, omnes aut quoslibet agros suos qui per copiam tenentur, a tenura vili liberare, et in libero socagio concedere propter summam pecuniæ aut nunc aut postea solvendam aut etiam in ipsos agros liberatos impositam [*charged on the lands enfranchised*]. Pretium liberationis potest esse quorundam agrorum abalienatio aut jus ad metalla aut reditus ex agris liberandis solvendus; et tenentibus consensu curatorum obtento integrum est liberationem suorum agrorum accipere.— Hoc facto agri in posterum in libero socagio tenentur. Potest etiam sive dominus sive tenens, alterutro nolente, cogere liberationem agrorum *hereditariorum*, non autem eorum qui in annos aut in vitam tenentur, nisi in hoc ultimo casu tenens jure locationis perpetuo renovandæ potiatur. Compensatio domino solvenda in hoc casu secundum æstimationem transactorum determinanda est; et quando

urgente solo tenente liberatio decernitur, compensationem ex summa pecuniæ constare necesse est; quando urgente domino solo ex reditu qui ex agris emancipatis solvendus est. Quando liberatio fit ad instantiam unius tantum partis, ea omnes expensas solvere tenetur. Agris quocumque modo liberatis, eorum tenura fit libera, et ab omnibus consuetudinibus specialibus, ut Borough-English, Gavelkind (nisi quoad hanc in comitatu Cantiæ) eximuntur; iisdem vero usibus et fidei-commissis quibus antea onerati erant obnoxii reddi debent. Liberatio quæ una parte nolente fit ejus jura quoad metalla, mercatum sive nundinas, venationem [*game*], pisces, aut volucres, attingere nequit.

414. In tenencia per copiam sicut in tenencia libera status in legales et æquitabiles dividuntur. In statibus qui per copiam tenentur, duo genera commodorum semper, et quando status est æquitabilis tria inveniuntur. Primum pertinet ad dominum manerii qui liberum tenementum non autem statum aut legalem aut æquitabilem habet: secundum est tenentis ad quem status tum legalis tum æquitabilis pertinet, nisi fidei-commissum in agris constitutum sit. Quando status per modum fidei-commissi ordinatur, dominus manerii habet liberum tenementum, tenens agrorum seu fiduciarius statum legalem, et *cestui que use* statum æquitabilem.

DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA.

DE REBUS ET HEREDITAMENTIS INCORPORALIBUS, ET DE REBUS ET CATALLIS PERSONALIBUS, QUÆ OBJECTUM DOMINII HUMANI ESSE POSSUNT.

§ 1. *De natura hereditamenti incorporalis in genere, et de quibusdam hereditamentis in specie agitur.*

415. De natura hereditamentorum incorporalium in genere, et etiam de quibusdam hereditamentis incorporalibus in specie jam data occasione egimus. Ibi vidimus hujusmodi hereditamenta constare præcipue non vero exclusive ex juribus *in solo alieno*, et hæc jura in lucra [*profits*], ut jus pecora in agris alienis pascendi et levamenta [*easements*] ut jus viæ dividi. Sed quoniam sunt plura hereditamenta incorporalia, ut officia, dignitates, privilegia regia subditis concessa [*franchises*], quæ non constant ex juribus in solo alieno exercendis, sub hac descriptione comprehendi non possunt; et revera hereditamenta incorporalia a nostris jurisperitis ad systema bene ordinatum nunquam erant reducta, neque etiam completum eorum indicem tradiderunt (*a*). Secundum Blackstone (*b*) undecim genera hereditamentorum incorporalium in nostro jure agnoscuntur, nempe 1. jus præsentandi ad beneficium [*advowsons*]; 2. jus pecora pascendi, cespitem circumcidendi aut ligna cædendi in agris alienis, aut pisces capiendi in aquis alienis, quod jus *common* appellatur; 3. jus viæ per agros alienos; 4. officia; 5. dignitates; 6. privilegia regia subdito concessa [*franchises*]; 7. *corodia* [*corodies*]; 8. beneficia [*pensions*]; 9. census annui [*annuities*]; 10. decimæ; et 11. reditus. His addit Stephen (*c*) 12. jus ad lumina, et 13. jus ad ductum aquarum [*lights and water-courses*]. Quoniam vero præscripta juris municip. quæ jus præsentandi ad beneficia in his regionibus respiciunt ad Ecclesiam Catholicam nullatenus attinent, ad nostrum propositum non pertinet de iis disserere; et idem de decimis observandum est. Quoad *corodia*, et *beneficia*

(*a*) Cf. Steph., vol. 1., p. 656. (*b*) Vol. 2., p. 29. (*c*) Vol. 1., p. 657.

prout in præsenti materia a jurisperitis intelliguntur, sufficit dicere ea fuisse quoddam genus stipendii [*a species of allowance*] quod olim ab iis domibus religiosis quæ ab ipso rege conditæ erant ipsi propter sustentationem domesticorum ejus præstabatur. De reliquis hic agendum est.

416. Prima species jurium sive hereditamentorum incorporalium de qua tractandum est communis [*common*] appellatur, quia horum hereditamentorum fruitio ad plures communiter [*in common*] pertinet. Non hic loquimur de jure civium quoad loca publica privatis non appropriata, et ad totam communitatem aut omnino aut in ordine ad certum usum pertinentia. Hæc ipsa loca sunt objecta dominii publici, et jura quæ competunt individuis quoad hæc loca tractantes de dominio publico investigabimus.— Hic itaque loquimur de jure quod alicui communiter cum aliis competit commodum ex agris alienis reportandi. Ad hoc hereditamentum constituendam duo requiruntur: 1. jus in jure dominii fundatum, et 2. ut hoc jus respiciat lucrum ex agris alienis percipiendum. Non itaque sufficit jus per vias publicas ambulandi, quia hoc jus non fundatur in jure dominii sed in jure quod habent cives ut membra reipublicæ talibus bonis fruendi. Ideo tale jus inter hereditamenta non recensetur, quamvis is qui civem in exercitio hujus juris sine causa impediret, ejus jus strictum violaret, et veræ injuriæ reus esset. 2. Hoc jus *lucrum ex agris alienis* percipiendum respicere necesse est. Ideo jus viæ per agros alienos non pertinet ad hereditamentum de quo tractamus, non solum quia non possidetur a pluribus communiter, sed etiam quia non lucrum sed levamentum respicit. Neque jure *communis* [*of common*] sensu exposito potiuntur tenentes *conjuncti*, aut *com-participantes*, aut in *communi*, quia eorum jus quamvis cum aliis commune non agros alienos, sed eos quorum ipsi dominium habent respicit.

417. Jus ad hereditamentum commune de quo nunc agimus quadruplicis est generis, nempe 1. jus ad pascua, 2. jus cespitem circumcidendi [*turbary*], 3. jus ad *estovers*, et 4. jus piscationis.— Ex his jus ad pascua est frequentissimum, et est jus pecora in alienis agris pascendi. Quadruplex distinguitur jus ad pascua communia, nempe 1. jus ad pascua quod agris *vi tenuræ* adjungitur [*appendant*], 2. jus ad pascua quod agris non vi tenuræ sed alia ratione annectitur [*appurtenant*], 3. jus propter vicinitatem [*because of vicinage*], et 4. jus quod ipsi personæ annectitur [*in gross*].

418. 1. Jus ad pascua communia quod agris adjunctum est, est jus quod habent tenentes terræ arabilis manerii sua pecora quæ idonea sunt ad terram colendam aut stercorandam pascendi in *vasto*

[*the waste*] manerii, et inde hæc pascua *communia* dicuntur.—Quid intelligatur per *vastum manerii* supra exposuimus. Omnes agri manerii qui liberis tenentibus in *socagio* concessi erant propter officia domino præstanda culturæ addicti erant, et quoniam terra neque coli neque stercorari potest sine pecoribus, ideo omnes liberi tenentes manerii sine ulla speciali concessione jure pecora quæ necessaria erant ad terram colendam et stercorandam, quæ *commonable beasts* dicuntur, ut equi, boves, vaccæ, oves, &c., in pascuis manerii communibus pascendi potiti sunt. Inter hæc pecora porci, hirci, anseres, et alia hujusmodi non includuntur. Ab initio itaque *common appendant* vindicari non poterat nisi ratione agrorum qui omnino culturæ destinati erant, sed nunc de facto vindicatur ratione prædiorum quæ etiam pascua continent, quia quando jus pecora prædicta pascendi in pascuis manerii communibus alicui prædio annectitur, præsumitur hoc prædium ab initio culturæ omnino addictum fuisse. Hoc jus nisi a tenentibus manerii vindicari non potest, et proinde quoniam agri ex domino manerii immediate teneri non possunt post statutum *Quia emptores* (18 Edv. I.) qua *subinfeudatio* abolita est, pascua communia manerii post hoc tempus creari non potuerunt, neque jus ad eorum fruitionem nunc aliter quam titulo præscriptionis vindicari potest.

2. Jus ad pascua communia non vi tenuræ sed alia ratione annexum [*common of pasture appurtenant*] differt a priori hereditamento, quia vindicari potest ratione agrorum qui sunt in manerio diverso ab eo in quo pascua communia sita sunt, et alias bestias præter *commonales*, nempe porcos, hircos, anseres, &c., complecti potest. Itaque quoniam hoc jus ex ipsa natura tenuræ non oritur, sed in voluntaria concessione domini manerii nititur, vindicari non potest ut jus *generale omnium tenentium* liberorum alicujus manerii, sed a singulis ex titulo aut expressæ concessionis aut præscriptionis derivari debet.

3. Pascua communia *propter vicinitatem* existunt ubi pecora incolarum unius vici [*township*] in pascuis communibus alterius vici propinqui sine molestia vagari permittuntur. Sed hoc jus est tantum permissivum, incolæ enim unius vici nullum jus habent ad pecora sua pascenda in pascuis communibus alterius, quamvis talis consuetudo ab antiquissimis temporibus extiterit, quia nulla *consuetudine* jus *emolumenti* ex agris alienis percipiendi stabiliri potest. Ideo incolæ unius vici sine consensu incolarum alterius possunt sua pascua communia circumsepire, et pecora incolarum alterius vici a pascuis communibus arcere. In aliquibus locis jus aliquatenus simile existit inter eos qui distinctas partes ejusdem agri aperti tenent, eorum pecora post messem in

toto agro promiscue pascendi. Sed hoc jus præscriptione nititur, et usu ita stabiliri potest, ut quamvis dominus suam partem agri circumsepiret, ea adhuc antiquo juri compascendi post messem subjaceret.

4. Jus ad greges pascendos in agris alienis quod certis agris non alligatur sed ipsi personæ adnectitur *in gross* existere dicitur. Hoc jus stabiliri potest aut per factum [*by deed*], aut per præscriptionem qua quis qui per se solum corpus [*a corporation sole*] est, jus pascendi in agris alienis ut sibi suisque antecessoribus ante multa secula debitum vindicat. Tale jus est hereditas distincta, nullam habens connexionem cum aliis agris quorum hujus juris possessor dominus esse potest.

419. Jus ad pascua communia cujuscumque est generis potest per totum annum existere, in quo casu interminatum [*unlimited*] dicitur, aut intra aliquod tempus anni coarctari, in quo casu circumscriptum [*limited*] appellatur. Quoad numerum pecorum quæ in pascuis communibus alicui pascere permittitur; in pascuis communibus *in gross* numerus potest esse interminatus, et ideo *without stint* aut *sans nombre* esse dicitur. In aliis autem speciebus pascuorum communium restringitur aut ad certum numerum determinatum, aut ad debitam proportionem pecorum, ita ut jus uniuscujusque tenentis ad pascua communia tutum servetur.

420. Jus piscationis quod pluribus competit [*common of piscary*] est jus piscandi in aquis alienis, et jus cespites circumcidendi in alienis agris jus commune *of turbary* dicitur. Hæc hereditamenta aut abalienatione [*by grant*] aut præscriptione acquiri possunt, sed jus cespites circumcidendi potest esse aut *appurtenant* aut in *gross;* sæpius tamen est *appurtenant*, et titulo præscriptionis nititur. Sed nihilominus titulo præscriptionis vindicari non potest ut *appurtenant ad agros*, sed solummodo *ad domum quamdam* determinatam.

Jus commune *of estovers* est jus ligna aut ad domum instruendam, aut propter usum sive domus sive prædii necessaria ex agris alienis auferendi, et aut abalienatione aut præscriptione acquiri potest. Aliud jus commune quod *common in the soil* dicitur, est jus in solo alieno effodiendi ad carbonem bituminosum, metalla [*minerals*], &c. comparanda.

421. Per 20 Hen. III., c. 4 [*Statute of Merton*], dominus manerii, aut etiam *vasti* quamvis dominus manerii non sit, potest partem pascuorum communium sepire sibique vindicare, modo pascua communia sufficientia relinquantur iis qui jure ad hæc potiuntur. Sed modus pascua communia circumsepiendi in Anglia et Wallia, ubi pascua communia præcipue sita sunt,

nunc per 8 et 9 Vict., c. 118 [*the Inclosure Commission Act*] et per plura statuta subsequentia præscribitur. Horum stat. discussio ad nostrum propositum non pertinet. Sed aliquando domini divites et potentes sine ullo jure partem pascuorum et etiam aliorum locorum communium sibi vindicant et sepibus circumdant, et plebs aut ob timorem injustæ vexationis aut ob paupertatem his iniquis invasoribus resistere non possunt. Dominus agrorum in quibus alii jure cespites circumcidendi, aut ligna propter usus supra expositos auferendi potiuntur, plerumque hos agros sepire non possunt, neque ulla lex generalis, sicut in casu pascuorum communium, de sepiendis agris qui juribus prædictis obnoxii sunt lata est. Sed per stat. quæ nonnisi aliqua loca specialia respiciunt, agri juribus prædictis obnoxii in his locis sepiri possunt.

422. Secunda species hereditamentorum incorporalium est jus viæ non publicæ sed privatæ quo quis facultate per agros alienos transeundi potitur. Hoc jus aut expressa concessione, aut præscriptione, aut etiam quia non respicit lucrum sed levamentum ex agris alienis percipiendum, consuetudine acquiri potest. Jus viæ potest esse aut annexum alicui domui sive aliquibus agris [*appurtenant*], aut ipsi personæ adhærere [*in gross*]. Etiam oriri potest ex necessitate, si enim Petrus Caio concedat portionem soli in medio suorum agrorum implicite viam concedit, et Caius sine injuria [*without trespass*] per agros Petri ad suam portionem transire potest.

423. *Officia* tertiam speciem hereditamentorum incorporalium constituunt. Officium ut hic accipitur, est jus negotium sive publicum sive privatum exercendi, et commoda, et lucra, si quæ sint, ex eo provenientia percipiendi. Quoniam homo in officio aliquo statum habere potest illud est objectum dominii, et quoniam jure hereditario ex sua natura transmitti potest, hereditamentum dicitur quamvis de facto plerumque nonnisi in annos aut in vitam possidetur. Ipsum officium est hereditamentum, sed in his casibus status quem tenens in eo habet est solummodo in annos aut in vitam. Supremus magistratus in nostra republica jure hereditario transmittitur, et proinde status regis est hereditarius. Officia vero inferiora plerumque non sunt hereditaria; Cancellarius, enim, judices, &c., sua officia solummodo in vitam tenent; vicecomes [*the sheriff*] nonnisi in unum annum, et ministri regis ad ejus arbitrium aut potius ad arbitrium senatus inferioris. Dividuntur officia in suprema et inferiora: supremum officium leges ferendi ad Parlamentum pertinet; officium supremum leges exsecutioni mandandi ad regem; omnia alia officia utpote his

subjecta *subordinata* [*subordinate*] dicuntur. Alia autem officia sunt publica, alia privata. Officia publica ea sunt quæ jus dant iis qui ea obeunt se interponendi alienis negotiis sine eorum consensu; talia sunt officia supra enumerata, Regis, Judicum, magistratuum inferiorum, et etiam eorum qui constabularii ordinarii [*common constables*] dicuntur. Officia privata ea sunt quæ jus non conferunt in eum qui talia officia jure exercet se interponendi negotiis alienis sine eorum consensu; ut officia medici, chirurgi, advocati qui negotia privatorum gerere suscipit; non autem advocati qui maleficos nomine principis judicio persequitur, quia hoc officium publicum est. Innumera sunt officia privata, sed de iis necessarium non est quidquam dicere, nam quando jurisperiti officia inter hereditamenta incorporalia recensent, plerumque nonnisi officia publica intelligunt. Itaque quæ hic dicuntur de publicis officiis intelligenda sunt.

424. Jus aliquem ad officium *antiquum* designandi plerumque ad regem, sed aliquando ad subditum pertinet. Nova officia possunt etiam a rege creari, modo tamen legibus et constitutioni regni aut bono publico non sint contraria. Sed quando nullum damnum inde patitur respublica potest officium conferri per modum status ad arbitrium regis, sicut constituuntur magistratus inferiores, qui etiam infra sex menses post mortem regis officio privantur, aut in annos ut vicecomes, aut in vitam, ut judices excepto Cancellario, aut in feudo aut simplici aut talliato. Alia vero officia sunt fidei [*of trust*], quorum præcipua sunt judicialia, alia ministerialia, quæ sub judicio aut mandato alterius perficiuntur. Sic officia eorum omnium qui exsequuntur judicia curiarum juris com. et decreta Cancellariæ sunt ministerialia. Officium vicecomitis quod etiam mulier exsequi potest, est partim judiciale et partim ministeriale; judiciale quoad munus pacis regni conservandæ, ministeriale quatenus decreta curiarum exsequi tenetur, et eos qui jure potiuntur suffragia dandi in electione eorum qui personam populi gerunt in senatu inferiori convocare, et per se aut per procuratores [*deputies*] in locis ad suffragia accipienda destinatis præsidere. Officia enim ministerialia plerumque impleri possunt per procuratores; judicialia vero plerumque impleri debent ab ipso qui officio potitur; et ideo neque judex, neque etiam magistratus inferior potest alium ad ipsius munus obeundum constituere. Propter hanc rationem officia judicialia per modum reversionis non fere concedi possunt, quia quamvis tempore concessionis reversionarius capax officium obeundi esse posset; attamen tempore quo officium ipsi obveniret ceri posset ut prorsus incapax esset. Sed quoniam officia minis-

terialia perfici possunt per procuratores, ideo per modum reversionis concedi possunt. Per 5 et 6 Edv. VI., c. 16, nullum officium judiciale, nec aliud *fidei* (paucis exceptis) vendi potest, et talis venditio non solum est invalida, sed venditor incapax officium tenendi efficitur: et per 49 Geo. III., c. 126, actus vendendi aut negotiandi de venditione talium officiorum, aut aliorum officiorum publicorum quæ ibi numerantur, pœnæ obnoxius [*penal*] efficitur. Quando jus officium conferendi ad regem pertinet, plerumque per ejus literas apertas [*letters patent*] confertur, et qui suscipit officium, plerumque jusjurandum dare tenetur se munus sui officii fideliter exsequturum esse, quod *to be sworn in* dicitur.

425. Quarta species hereditamentorum incorporalium sunt *dignitates*. Dignitas est honor qui a rege in aliquem confertur. Præcipua dignitas est paris [*the dignity of a peer or of the peerage*]. Omnes cives in nostra republica pertinent aut ad nobilitatem aut ad plebem [*to the nobility or commonalty.*] Inter ipsos nobiles diversi quidem sunt gradus, nempe Ducis, Marchionis, Comitis, Vicecomitis [*Viscount*], et Baronis. Potest dignitas concedi in vitam (quamvis senatus superior nuperrime declaravit talem parem jure suffragium dandi non potiri) (*a*), aut per modum hereditatis. Pares nunc creantur aut per rescriptum regis [*by writ*] aut per diploma regium [*by patent*]. Creare per rescriptum regis est convocare [*to summon*] aliquem ut se sistat in senatu superiori sub titulo istius *baronatus* quem regi donare ei placuerit. Hic est modus antiquissimus parem creandi, sed non confert dignitatem paris, donec baro qui sic creatus est sedem suam in senatu superiori occupaverit. Hoc modo nonnisi dignitas baronis confertur, et nemo alius præter filium primogenitum paris qui gradu saltem vicecomitis aut etiam comitis potitur dignitate Baronis sic ornatur. Quamvis enim primogenitus paris qui non raro ad senatum superiorem per rescriptum evocatur, nunquam ibi sedem occupaverit, ejus filii dignitatem paris non amittent quia debito ordine avo succedent. Quando vero aliquis qui dignitate baronis per rescriptum ornatur sedem suam in senatu superiori occupaverit, dignitas hereditaria est, et descendit ad *omnes heredes corporis ejus tum feminas tum mares*, quamvis nulla mentio heredum in rescripto facta fuerit. Casu primogenitorum parium excepto nemo nunc dignitate paris ornatur nisi per diploma regium. Nisi mentio heredum facta sit in diplomate dignitas non erit hereditaria sed in vitam tantum, sed is qui dignitate paris in

(*a*) In the case of ex-Baron Parke, created a life peer by the title of Baron Wensleydale. The peerage was soon after conferred on him as an inheritance.

vitam solummodo ornatur jure suffragium dandi in senatu superiore adhuc non potitur. Per diploma regium potest dignitas in quocumque gradu ut baronis aut ducis concedi, et pro quocumque statu hereditario. Status paris nunc ordinarie homini ejusque heredibus maribus corporis limitatur; si vero diu sine heredibus maribus permanserit, non raro per novum diploma dignitas ejus fratri aut qui ei proxime conjunctus est sanguine ejusque heredibus maribus corporis per modum residui conceditur. Jus primogenituræ intermares semper servatur; aliter est quoad feminas: si enim Petrus qui dignitatem paris pro se suisque heredibus corporis possidet, moriatur nullum habens heredem masculinum, sed tres filias superstites relinquens, dignitas in suspenso [*in abeyance*] manet, donec una ex iis eligitur a rege quæ ad dignitatem antecessoris succedat.

426. Plebs quoque in diversos gradus dividitur, quamvis omnes ut æquales a lege respiciuntur, hoc in sensu quod omnes dignitate paris carent et omnes inter plebem numerantur. Ex plebe primum locum tenent equites S. Georgii seu ii qui classi turmali Periscelidis quæ dicitur [*Knight of the Garter*] adscripti sunt. Proxime accedunt quædam dignitates quæ certis officiis publicis annectuntur, ut privati consiliarii regis, judices curiarum superiorum legis et æquitatis. Hos proxime sequuntur equites vexillarii [*knights banneret*], modo creati sint a rege personaliter in campo tempore belli et sub regio insigni. Si autem non ita creati sint eorum dignitas dignitati baronettus cedit. Nulla ex iis dignitatibus est hereditaria sed in vitam solummodo. Proxima dignitas baronettus [*a Baronet*] est hereditaria. His succedunt equites Balnei [*Knights of the Bath*] qui dicuntur. Inde nomen ortum est quia olim is qui ad hanc dignitatem elevandus erat, ipsa nocte antequam dignitate equitis ornatus est lavare tenebatur. Hæc ipsa dignitas in plures gradus dividitur. Ultimum gradum hujus inferioris nobilitatis tenent equites baccalaurei [*knights bachelors*] (*a*), sed consuetudine abrogata, vi cujus omnes qui agros immediate a rege tenebant annuâ unius feudi militaris mercede censos [*a knight's fee*, quæ tempore Edv. II. libb. Anglic. xx. valebat), equites fieri cogebantur, dignitas equitis baccalaurei non magni habetur (*b*).

(*a*) Derivatur a verbis Gallicis *bas*, inferiore, et *chevalier*, equite, unde nomen Latinum baccalaureus. Ducange, Baccalaureus.

(*b*) "The lowest graduates in the universities are styled *bachelors*, and were formerly addressed with *sir* before their *surnames*, as in Latin they are still called domini. It is somewhat remarkable that whilst this feudal word has long been appropriated to single men, another feudal term of higher dignity, viz., *baron*, should, in legal language, be applied to those who are married." Mr. Justice

427. Qui doctrinam insignium explicant [*the heralds*] proximum locum attribuunt iis qui ordinem centuriatus [*of colonels*], aut servientis ad legem [*a sergeant-at-law*], aut gradum doctoris in aliqua ex tribus facultatibus attigerunt. Nomina armigeri [*of esquire*], et ingenui [*of gentleman*] non sunt nomina dignitatis sed solummodo cultus [*of worship*]. Quatuor sunt genera armigerorum: 1. Filii primogeniti equitum, et eorum filii primogeniti in perpetuum. 2. filii primogeniti filiorum juniorum parium et eorum filii primogeniti in perpetuum. Hi utrique *armigeri natalitii* dicuntur. 3. Armigeri creati per literas regis apertas, et eorum filii primogeniti. Sed hic modus armigeros creandi jam pridem in desuetudinem abiit. 4. Illi qui virtute officii armigeri constituuntur, ut magistratus inferiores, et alii officium aliquod *fidei* sub rege tenentes et qui armigeri in instrumento quo officium illis committitur nominantur. His adjici debent jurisconsulti [*barristers-at-law*], armigeri equitum Balnei [*of the Bath*], quorum uniusquisque tres tempore suæ creationis constituit; omnes pares aliarum nationum, et filii parium Magnæ Britanniæ, aut Hibernæ, aut Scotiæ quia quamvis plures ex illis Domini ex urbanitate nominantur, coram lege sunt tantum armigeri, et ita necessario in omnibus legalibus processibus et actionibus nominandi sunt.

428. Titulus ingenui [*of gentleman*] ad clericos, litium procuratores [*attorneys*], professores artium liberalium, &c., pertinet. Putat Sir Thomas Smith (*a*) hoc nomen in his regionibus facillime acquiri. "As for *gentlemen*," ait, "they be made good cheap in this kingdom; for whosoever studieth the laws of the realm, who studieth in the universities, who professeth the liberal sciences, and (to be short) who can live idly, and without manual labour, and will bear the part, charge, and countenance of a gentleman, he shall be called master, and shall be taken for a gentleman." Liberi prædii possessor [*a yeoman*] est ille qui potitur libero tenemento agrorum quod XL solidis quotannis valet. Hic status sufficiens erat ut possessor jurator esse potuerit, in eligendo milite comitatus [*a knight of the shire*] suffragari, et alia agere ad quæ conficienda lex hominem *probum* et *legalem* requirit. Reliqua plebs ex negotiatoribus, artificibus, et opificibus componitur, de quibus et ceteris omnibus,

Christian, ap. Steph. vol. 2., p. 634, n. "A peer cannot surrender or lose his nobility but by death or attainder; though there was an instance in the reign of Edward IV. of the degradation of George Neville, Duke of Bedford, on account of his poverty, which rendered him unable to support his dignity." Ibid. p. 632.

(*a*) Cf. Steph. t. 2., p. 638.

per 1. Hen. V., c. 5, cautum est, *that they must be styled by the name and addition of their estate, degree, or mystery, and the place to which they belong, or where they have been conversant, in all indictments. But by* 14 *et* 15 *Vict., c.* 100, *s.* 24, *no indictment shall in future be held insufficient for want of, or imperfection in, the addition of any defendant.*

De censibus annuis quamvis sunt hereditamenta incorporalia, nihil hic dicemus, quoniam necessario de iis agendum erit in tractatu de Contractibus.

429. 5°. Cursus aquarum [*water-courses*] aliam hereditamentorum incorporalium speciem constituunt. Jus ad cursum aquarum est jus quod habet quis ad fluxionem [*to the flow*] fluminis aut rivuli, qui per agros suos profluit, aut cujus una saltem ripa ad ipsum pertinet. Solum amnis navigabilis, saltem usque quoad æstus maris accedit ad regem pertinet; si vero non sit navigabilis et una ripa ad Petrum altera ad Paulum pertineat, *prima facie, ut aiunt, Petrus unius dimidii et Paulus alterius dimidii terræ* in fundo fluminis dominio potitur. Jus tamen ad terram super quam aqua profluit distingui potest a jure ad usum ipsius aquæ profluentis, quamvis hoc jus prima facie pertinet ad eum qui terram possidet, super quam aqua profluit. Quamvis enim, ut jam vidimus, aqua profluens nequit sub dominio cujusquam permanenter subjici, attamen quodam modo per occupationem actualem ejus usus appropriari potest. Jus ad usum aquæ complectitur jus ut cursus fluminis ab omni impedimento domino juris injurioso liber servetur, ut ne in aliud alveum deflectatur, et ut ejus salubritas ne imminuatur per aliquam commixtionem rerum noxiarum, etiam dum defluit per agros alienos. Quamvis jus ad usum aquæ prima facie ad eum pertinet qui dominio soli super quod profluit potitur, hoc jure privari potest aut per expressam conventionem qua jus suum alteri cedit, aut per præscriptionem. Proinde si Paulus stabilire potest ex concessione aut Petri aut ejus antecessorum aut ex præscriptione, se jure potiri molam habendi propter cujus commodum amnis qui per agros Petri naturaliter defluceret, in alium cursum deflectitur, Petrus non potest amnem in cursum liberum naturalem restituere. Habet enim Paulus jus ad cursum aquæ propter finem specialem molam circumagendi cui jus generale Petri titulo occupationis innixum cedere debet.

430. 6°. Jus luminum [*lights*] est hereditamentum incorporale. Ex jure nat. constat Petrum jure potiri ut radii solis liberum accessum ad ejus fenestras habeant. Si autem domus Petri in ipsis finibus suorum agrorum ædificata sit, Caius qui agros

vicinos occupat potest murum construere quo lumen a fenestris Petri excludetur. Si vero vi pacti cum Petro initi aut præscriptione Caius lumen a fenestris Petri excludere vetitus sit, Caius non potest etiam in propriis suis agris murum ædificare, aut aliquid aliud efficere, quo accessus radiorum solis ad domus Petri fenestras impediatur.

431. 7°. Privilegium [*a Franchise*] est concessio facta subdito a Principe alicujus partis eorum jurium specialium quæ ad regem exclusive pertinent [*a portion of the Royal Prerogative*]. Vindicari potest jus ad hæc privilegia aut ex expressa donatione Principis aut ex præscriptione. Numerus horum privilegiorum est fere infinitus, et aut ab uno homine aut a multis simul, et tam a persona ficta seu corpore quam a persona naturali haberi possunt. — Sed idem individuum privilegium quod antea Petro concessum est non potest Paulo dari, quia hoc Petrum jure suo acquisito privaret. Sic alicui comitatui jura regalia concedere [*to make it a county Palatine* (*a*)] est privilegium quod a pluribus personis simul possidetur. Privilegium est concedere quibusdam personis jus seipsos in unum corpus aggregandi cum potestate quosdam actus tanquam si unicam personam efficerent peragendi, cum jure perpetuæ successionis, et hoc privilegio potiuntur et totum corpus et membra singillatim sumpta. Est quoque privilegium habere locum exemptum a jurisdictione vice-comitis [*a bailiwick exempt from the jurisdiction of the sheriff*] ubi is solus cui tale privilegium indultum est [*the grantee*] iique qui vice ejus funguntur jure omnes processus legales exequendi potiuntur. Quædam privilegia maneriis annectuntur ut tenere curiam vicanam [*a court leet*] ad jus administrandum in quibusdam causis criminalibus inter tenentes et alios incolas manerii occurrentibus. Potest etiam civis privatus aut ex concessione Principis aut præscriptione jus acquirere ad bona *wairata* [*waifs*], ad bona naufragio deperdita [*wrecks*], ad pecudes errantes [*estrays*], ad thesauros inventos [*treasure trove*], ad pisces regios, et ad bona confiscata, quæ omnia infra ubi de regiis vectigalibus exponentur. Potestas legalis habendi mercatum, nundinas, trajectum [*a ferry*], et similia cum jure vectigal [*a toll*] exigendi; aut habendi Forestam [*a forest*], Chaccam [*a chase*], Vivarium [*a

(*a*) A county Palatine is so called from *palatium*, because the possessors of this franchise enjoyed *jura regalia* in their particular jurisdictions as fully as the king in his palace. There are three counties palatine in England—Chester, Durham, and Lancaster; but these franchises are now vested in the Crown. Cf. Steph., vol. 1., pp. 133-137.

park], Warennam [*a warren*], aut Piscationem [*a fishery*] sunt privilegia quando habentur a subdito, quia hæc omnia partem regii privilegii constituunt. De his omnibus pauca dicenda sunt.

432. Itaque potest quis aut ex regis concessione aut præscriptione jus habere mercatum aut nundinas habendi, aut scapham ad transvectionem viatorum a quibus vectigal exigetur servandi, quæ jura nisi uno aut altero ex his titulis innitantur aut statuto Parlamenti muniantur constitui nequeunt. Vi titulorum prædictorum potest quis sibi vindicare dominium [*may lawfully claim to be lord*] mercatus aut nundinarum, quamvis non sit dominus soli eo in loco in quo habentur. Similiter sibi vindicare potest dominium trajectus quamvis non sit dominus agrorum per quos amnis fluit aut alterutrius ripæ, modo tamen jure ad solum potiatur, in quantum necessarium est ut ii quos transvehit scapham conscendere et ex ea escendere possint. Jus vectigal exigendi ab iis qui mercatum, &c., frequentant, plerumque, sed in casu mercatus aut nundinarum non necessario, partem privilegii constituit. Vectigal exigitur vel propter venditionem mercium, et ab emptore solvitur, vel propter locarium [*stallage*] vel propter licentiam perticas ad varios usus in terram infigendi [*pickage*] et alia hujusmodi. Jus tamen regis privilegia concedendi vi quorum vectigal in cives imponitur a Parlamento caute et suspiciose observatur, neque ullum onus nisi sit rationabile per hæc vectigalia in plebem imponi potest. Rationabile vero censetur quando officia quæ perficiuntur propter commodum publicum ab eo cui privilegium vectigal exigendi tribuitur, sufficiunt in æstimatione communi ad onera imposita compensanda. Operam sufficientem ad vectigal moderatum compensandam is præbet in casu mercatus qui locum aptum ad mercatum aut nundinas concedit, aut onus varia negotia in eo moderandi suscipit; et in casu trajectûs, qui scapham propter commodum viatorum servat ubi flumen vado transiri nequit. Quando summa quæ per modum vectigalis exigitur justâ major est, ipsum privilegium est contra legem et ejus concessio irrita efficitur.

Qui privilegiis prædictis potitur actionem contra eos qui vectigal debitum solvere recusant, aut ejus solutionem eludunt, instituere potest, et etiam contra eos qui aliquid ejus privilegio nocivum peragunt, ut si novum mercatum aut nundinas, aut trajectum in loco vicino constituant, unde numerus eorum qui ejus mercatum, &c. frequentant minuitur. E contra actio criminalis [*a criminal indictment*] ipsi possessori privilegii intendi potest, si per ejus factum aut etiam negligentiam voluntariam cives legitimo usu mercatûs &c. priventur.

433. De privilegiis quæ ab antiquioribus jurisperitis quo tempore lingua Latina usi sunt nomine *Forestæ, Chaceæ*, et *Warennæ Liberæ* appellabantur pauca dicere sufficiet. Privilegium Forestæ est jus servandi venationis gratia feras et volucres Forestæ, Chaceæ, Vivarii, et Warennæ, id est omnia animalia feræ naturæ quæ venatione aut aucupatione insectantur [*are pursued in field sports*] in aliqua parte terræ sylvestris aut pascuorum, quæ in hunc finem seponitur; cum legibus specialibus et præpositis qui ad septum venationis [*the game*] custodiendum constituuntur. Quamvis enim jure nat. quisque jus habet prædicta animalia in suis agris servandi quando hoc fieri potest sine injuria aliorum, attamen jure municip. prohibitum est locum seponere etiam in proprio solo in quo fera animalia non mansuefacta [*in their wild state*] solummodo oblectationis causa [*for the mere purpose of amusement*] detineantur. Quædam animalia fera non mansuefacta, ut cervi, cuniculi et similia in territorio in hunc finem seposito a privatis personis servari possunt, modo tamen non solummodo venandi causa sed etiam ut bona [*property*] serventur. Sed hæc præscripta legis municip. minime obligant in conscientia, et a regibus Angliæ lata erant, ut ipsi sibimetipsis privilegium venatus exclusive vindicarent. Per abusum hujus privilegii reges Normanni populum iniquissime opprimebant. Hoc privilegium regium primo coarctatum erat per Magnam Chartam, et postea per 16 Car. I., c. 16, et per plura statuta regni Victoriæ justissime fere omnino abrogatum; ita ut a pluribus seculis reges eo non usi sint. Hoc privilegium in antiquis temporibus non raro subditis concessum est, et a ceteris hereditamentis incorporalibus in hoc discrepat quod haberi potest non tantum in agris *alienis* sed etiam in *propriis*. Sed per 16 Car. I., c. 16, nullus locus tanquam Foresta haberi potest, in quo curiæ Forestæ habitæ non erant infra spatium sexaginta annorum ante an. 1. regni Car. I. Fictione juris Rex aut alius dominus Forestæ dominium aliquod imperfectum [*qualified*] in fera animalia quamdiu in Foresta manent habere censetur, ita ut nemini ea intra ejus terminos capere, neque ex eo arcere permittatur. Si vero fera extra fines forestæ vagatur est nullius et ad primum occupantem pertinet. Utrum vero injustitiæ reus esset qui eos intra fines Forestæ occideret et auferret dicetur ubi de restitutione agetur. Sed quoniam Deus terram humano generi dedit in ejus usum et sustentationem, potest lex municip. justissime præcipere ne dominus agros suos feraces in septum ad animalia feræ naturæ conservanda seponat.

434 *Chacea* [*a chase*] est privilegium regium subdito concessum animalia fera in certo territorio in agris sive alienis sive propriis oblectationis causa servandi. In hoc tantum differt a

Foresta, quod leges Forestæ in Chacea administrari nequeunt. Privilegium Vivarii [*of a Park*] in his differt a privilegio Chaceæ, quod haberi nequit nisi in solo proprio, et quod circumsepiatur necesse est. Warenna Libera [*a Free Warren*] est privilegium regium subdito concessum bestias et volucres Warennæ in solo aut proprio aut alieno servandi. Animalia Warennæ sunt lepores, cuniculi, capreæ, perdices et phasiani. Privilegia quæ habentur in agris alienis inde plerumque orta sunt, quod domini qui his privilegiis regiis potiti sunt, venditis agris adhuc hæc privilegia sibi expresse retinebant.

435. Jus liberæ piscationis [*a free fishery*] est privilegium quo rex alicui exclusivam concedit facultatem piscandi in flumine *publico*. Jam antea exposuimus hereditamentum piscationis communis [*common of piscary*] quod in jure piscandi in alienis aquis consistit. Ibi quæstio erat de fluminibus privatis seu non navigabilibus, quæ quoad usum sub dominio privato constituuntur. Solum fluminum navigabilium saltem usque quoad maris æstus accedit ad regem pertinet; jus piscationis ad omnes cives. Jus autem publicum piscationis olim auferri poterat aut per regiam donationem aut per præscriptionem, quæ in aliqua antiqua regia donatione niti censetur, quamvis nullum vestigium talis donationis nunc existat. Tale autem privilegium a rege concedi non poterat post tempus Joannis regis, quia hæc potestas a principibus per Magnam Chartam ablata est; et proinde nunc nullum tale privilegium vindicari potest, quod originem Magna Charta antiquiorem non habeat. Jus autem piscationis communis utpote objectum dominii privati ab uno privato ad alium libere abalienari potest. Juxta præscripta juris municip., jus liberæ piscationis confert dominium quoddam imperfectum [*a qualified property*] in pisces, etiam in flumine navigabili libertate gaudentes, quod satis absonum est et præscriptis ipsius juris municip. contradicit, quia ei qui jure piscationis in flumine non navigabili potitur nullum dominium in pisces attribuitur donec capiuntur.

§ 2. *De reditibus* [of rents].

436. 8°. Ultima species hereditamentorum incorporalium de quibus dicendum est sunt reditus. Reditus [*rent*] *est compensatio quæ statutis temporibus* [periodically] *et in certa determinata quantitate a tenente hereditamenti corporalis ex lucris ab ipso tenemento perceptis domino a quo ipsum tenet redditur.* Debet ergo esse compensatio sive in pecunia sive in frumento, sive in aliqua alia re licita, quæ propter possessionem et usum agrorum redditur. Etiam debet statutis temporibus solvi, ut semel aut bis

in anno, aut singulis bienniis, trienniis, &c. Compensatio debet esse determinata in quantitate, aut saltem determinabilis, ut v. g. sexta pars lucri uniuscujusque anni, etenim juxta axioma legale, "Id certum est quod certum reddi potest." Compensatio debet quoque solvi ab ipso tenente; si enim ab alio debita sit, erit quidem obligatio solvendi vi alterius contractus, sed non erit reditus, neque *incidentia* specialia reditus habebit. Non autem requiritur ut tenens sit in possessione agrorum, quia reditus potest reservari quamvis agri solummodo in residuo aut in reversione concedantur; sed quando tenencia est in residuo aut in reversione, reditus actu solvendus non erit, nisi postquam tenens possessionem agrorum obtinuerit. Hereditamentum ex quo reditus reservatur debet esse corporale, et proinde reservari nequit in concessione juris ad pascua communia; aut in concessione juris ad privilegia subdito concessa, &c., nisi tamen a rege concessa sunt qui per privilegium ex hereditamento incorporali reditum reservare potest; et idem privilegium aliquando per statutum speciale Parlamenti subdito conceditur. Attamen si reditus reservatur in concessione hereditamenti incorporalis, conductor [*the lessee*] summam reservatam solvere cogetur non quidem ut reditum, sed vi contractus. Reservari debet reditus ex lucris perceptis ex ipsis agris, hoc sensu quod reditus constare non potest in reddenda domino aliqua parte agrorum qui tenenti locati erant. Unde reservari non potest per modum reditus aliqua pars graminis agrorum qui locati sunt, quia hoc utpote fructus agrorum naturalis tanquam eorum pars respicitur. Attamen hic contractus erit in se validus et obligatorius, quamvis pars statuta graminis non per modum reditus debebitur. Bene tamen potest pars frumenti per modum reditus reservari; hic enim fructus est ex parte industrialis, et proinde non respicitur ut pars agrorum sed ut lucrum ex eorum cultura perceptum. Hoc sub respectu discrepat reditus ab exceptione in concesisone alicujus alterius rei facta [*from an exception in a grant*], quæ semper ex aliqua parte ipsius rei concessæ constat: ut si quis agros suos alteri vendat, reservatis sibi metallis, quæ partem ipsorum agrorum constituunt. Sed quamvis juxta præscripta legum reditus ex lucris ex agris perceptis solvi debet, quando ut communiter fit, certa summa annua pecuniæ reservatur, tenens hanc summam solvere recusare non potest quamvis summam debitam ex agris minime lucratus sit. Denique compensatio debita domino a *tenente redditur*, in quo ab aliis hereditamentis incorporalibus differt, quia nemo reddere tenetur Petro jus quod ipse Petrus habet ad pascua communia, sed ipse jure suo carebit, nisi hoc sibi *sumat*, et ideo hujusmodi commoda *to lie in prender* dicun-

tur. Sed tenens reditum domino *reddere* tenetur, et proinde dicuntur reditus *to lie in render.*

438. Reditus juxta præscripta jur. com. triplicis sunt generis: nempe 1. reditus qui ei debetur cui debetur fides [*rent service*]; 2. vectigal annuum ex terra in feudo simp. abalienata reservatum, aut reditus ex agris non abalienatis alicui a domino concessus, addita clausula in utroque casu ut bona in agris inventa occupare liceat [*a clause of distress*], si reditus tempore debito solutus non fuerit [*rent charge*]; et 3. reditus siccus [*rent sec*]. Prima ergo species reditus est ea quæ ei debetur cui debetur fides [*fealty*], sive aliud munus [*service*] ei debetur sive non debetur. Hic reditus *rent service* dicitur, quia tenens saltem munus fidei domino semper præstare tenetur. Nullius est momenti quo titulo fides debeatur, sive quod is cui debetur sit solummodo dominus supremus territorii ad quod feudum pertinet [*on account of his being lord of the seigniory*], sive quod reversionem agrorum retineat. Sic si Petrus habeat seisinam in feudo simplici agrorum quos a Paulo domino summo manerii tenet, et ex quibus certum reditum antiquitus reservatum solvere tenetur, aut si Caius qui habet seisinam in feudo simplici agros Julio abalienat in feudo talliato, aut locat in vitam aut in annos, uterque reditus est *rent service,* quia munus fidei tum Paulo tum Caio debetur. Quando hic reditus debito tempore non solvitur, potest dominus ex jure com. agros tenentis ingredi et bona et catalla ibi inventa arripere [*make a distress*], sine ulla actione legali, ad reditus solutionem obtinendam.

439. In aliis duabus reditus speciebus munus fidei domino non debetur. Prima species quæ *rent charge* dicitur duobus modis creari potest: 1. quando Petrus agros suos Paulo abalienat in feudo simplici, reditu reservato, cum clausula expressa in abalienationis instrumento ut si reditus debito tempore non sit solutus, ipsi fas sit agros ingredi et sine ulla actione legali bona et catalla ibi inventa arripere. In hoc casu nulla fides debetur, quia is ad quem reditus pertinet, neque est dominus supremus [*lord paramount*] tenentis, neque jure reversionis potitur. Similiter si Petrus seisinam habens quorundam agrorum reditum ex iis per factum Paulo concedit, additâ clausulâ ut Paulo fas sit sine ulla actione legali agros ingredi et bona et catalla in iis inventa arripere, si reditus debito tempore solutus non sit, hic reditus erit *a rent charge.* Secunda species quæ reditus siccus [*rent sec*] appellatur, est reditus qui ei debetur qui neque ex debito fidei, neque ex conventione speciali jure agros ingrediendi, &c. [*the power of distress*] potitur.

Sed caute distinguendum est inter vectigal annuum ex agris aba-

lienatis in feudo simplici reservatum, et reditum siccum ex una parte, et censum annuum [*an annuity*] ex altera; quia census annuus tantum a *persona* a qua conceditur debetur [*is chargeable only on the person of the grantor*]. Itaque si Petrus per factum concedat Paulo xx. libras quotannis solvendas nulla agrorum ex quibus percipi debet facta mentione, erit tantum census annuus personalis; et tamen hic status erit hereditarius si v. c. Petro ejusque heredibus donetur, quia Petro mortuo non ad ejus administratorem aut executorem sed ad ejus heredem descendet. Hinc docet Blackstone (*a*) hunc statum esse immobilem, quod sane pugnat cum definitione status immobilis, qui ex agris aut domibus, aut ex juribus ex iis derivatis constare debet. Ideo Stephen (*b*) contendit hunc statum esse mere personalem quamvis per quandam inæqualitatem legis [*a legal anomaly*] jure hereditario transmittitur. Status qui ex reditibus constat duplici modo creari potest, nempe 1. quum agri ex quibus reditus reservatur abalienantur; et 2. sine agrorum abalienatione. Reditus reservari potest ex agris qui sunt abalienati aut in vitam aut in annos aut in feudo simp. aut talliato, et *rent service* creari non potest nisi quando reditus ex agris abalienatis quidem, non tamen in feudo simp., reservatur. Si enim quis agros suos in feudo simp. abalienet, reservato reditu, tenens non a domino a quo agri abalienati erant, sed a proximo domino summo [*the next lord paramount*] agros tenet, et proinde quoniam fides [*fealty*] domino a quo reditus reservatus est non debetur, reditus non erit *rent service*, sed *rent charge*. Hæc ultima species non solum creari potest quando agri in feudo simplici abalienantur, sed etiam sine ulla abalienatione agrorum, quando eorum dominus alicui per factum reditum ex iis concedit. Hic reditus erit siccus si is cui conceditur non accipit potestatem vi pacti expressi agros ingrediendi, &c. [*of making a distress*], si reditus tempore debito non sit solutus.

440. Quamvis sunt reditus qui aliis nominibus designantur, omnes tamen ad prædictas species revocari possunt. Reditus quem tenentes alicujus manerii ex omni memoria temporum domino solvebant *rent of assize*, i. e. reditus fixus et determinatus dicitur, quia neque a domino neque a tenente nisi mutuo consensu mutari potest. Hic reditus ex parte tenentium quorum tenura est libera *reditus capitalis* [*head rent*] appellatur; ex parte tenentium per copiam reditus quietus [*quit rent*], quia per solutionem hujus reditus tenens est quietus et liber ab omnibus aliis oneribus. Sed quoniam tenentes, sive eorum tenura est libera sive per copiam, ad fidem domino præstandam obligantur, hi reditus ad speciem quæ *rent service* dicitur pertinent. Quando

(*a*) Vol. 2., p. 40. (*b*) Vol. 1., p. 684.

reditus ad maximam aut fere maximam mercedem annuam agrorum pertingit reditus extortus [*Rack rent*] dicitur. Quando agri in vitam aut in annos abalienantur summo reditu reservato, hic reditur est *rent service*, quia tenens munus fidelitatis erga dominum præstare tenetur. Si vero agri abalienentur in feudo, summo reditu reservato in feudo (quod tamen vix unquam occurrit), aut reditu aliquo alio qui ad quartam saltem partem summæ annuæ mercedis agrorum tempore reservationis pertingit reservato in feudo, hic dicitur reditus agrorum *ad firmam* in feudo locatorum [*a fee farm rent*], quia agri in quorum abalienatione tantus reditus reservatur, tenenti ut ab eo colentur locari censentur. Quum vero reditus reservatus quando agri abalienantur in feudo ad hanc proportionem annuæ mercedis agrorum non pertingit reditus primarius [*chief rent*] appellatur. Sed quoniam a tempore quo latum est Statutum *Quia emptores* nemo locare potest agros a seipso tenendos in feudo, tenens non tenetur fidem præstare domino cui reditus debetur, et ideo reditus non est *rent service*, sed *rent charge*, si vi clausulæ in instrumento abalienationis is cui debetur reditus jure agros ingrediendi propter reditum debito tempore non solutum potiatur; aut *rent sec* si hoc jus non habeat. Sed quamvis hæ omnes species redituum adhuc existunt, de facto tamen præcipuum discrimen inter eas nunc abrogatum est, quod in diversis remediis legalibus quibus tenentes ad reditus solvendos adigi poterant situm erat, et potest is cui reditus etiam siccus debito tempore non est solutus, vi statutorum agros ingredi et bona et catalla ibi inventa arripere. Et quidem postquam munus fidei præstandæ in desuetudinem abiit, fundamentum præcipuum quo distinctio redituum nitebatur eversum est.

Si convenerit de loco in quo reditus solvendus est, ibi solvi debet; aliter solvendus est in ipsis agris ex quorum lucris reservatur. Solutio exigi potest legaliter ipso die quo debetur ante solis occasum. Quando reditus regi debetur solutio fieri debet aut iis qui ejus munere in curia Scaccarii [*Court of Exchequer*] funguntur, aut in rure ei qui a rege constituitur ad ejus reditus recipiendos.

441. In Hibernia Decimæ in reditum qui *Tithe rent charge* dicitur conversæ sunt. Ipsis dominis agrorum hunc reditum a tenentibus exigendi munus mandatum est, et ut pars ipsius reditus agrorum a plerisque efflagitatur. Hic reditus est fixus et determinatus. Sed per statutum 32 et 33 Vict., c. 42, quo ecclesia Anglicana ut a lege constituta in Hibernia eversa est, et divitiæ quibus Ecclesia Catholica spoliata est aliqua ex parte in usus publicos conversæ, hic reditus ipsis dominis agrorum pro

pretio omnino insufficiente dari mandatur. Præscriptum de hac materia in sect. 32 satis late traditur, sed caput rei hoc est quod domini agrorum solvendo paulum ultra præsentem reditum annuum loco decimarum constitutum per quinquaginta duos annos a die primo Jan. 1871, computandos totum, reditum redimere possunt (*a*).

In Anglia quamvis per 6 et 7 Guliel. IV., c. 71, decimæ in reditum in agros impositum converti possunt, attamen hic reditus non est fixus nisi in unum annum, sed in singulis annis juxta frumenti pretium computandus est. Viri pro commutandis decimis [*Tithe Commissioners*] per stat. cit. constituti sunt, quibus annuentibus commutatio decimarum fieri potest in unaquaque parochia per conventionem voluntariam initam inter eos qui decimas solvere tenentur et eos quibus solvendæ sunt. Et etiam una tantum parte commutationem exigente possunt prædicti administri per adjudicationem quæ utramque partem obligabit [*a compulsory award*] decimas in reditum fixum ex agris percipiendum [*a rent charge*] convertere. Reditus qui vice decimarum imponitur ab aliis reditibus in hoc discrepat, quod propter alios reditus non solum agri sed et ipsa persona tenentis obnoxia est. Sed propter reditum in vicem decimarum substitutum persona tenentis obnoxia non est, sed si reditus non solutus fuerit in spatium unius et viginti dierum postquam solvi debuerint, bona et catalla in agris inventa arripi et vendi possunt.

442. Jam vidimus hereditamentum corporale cui hereditamentum incorporale annectitur abalienari posse, hereditamento incorporali non abalienato et vice versa; quandocumque alterutrum fit, hereditamentum incorporale deinceps per se et independenter, seu, ut dicunt jurisperiti, *in gross* existit. Quando hereditamentum incorporale ut accessorium hereditamenti corporalis existit iisdem

(*a*) The Commissioners appointed to carry into effect the "*Act to put an end to the Establishment of the Church of Ireland, and to make provision in respect of the Temporalities thereof*," may by sect. 32, at any time after the 1st of January, 1871, sell any rent charge in lieu of tithes vested in them *to the owner of the land charged therewith*, in consideration of a sum equal to 22½ times the amount of such rent charge; and upon such sale being perfected, the rent charge shall merge in the land. And upon the application of *any owner* so purchasing, the Commissioners may declare by order his purchase money, or any part thereof, to be payable by instalments out of the land; such instalments to be payable from a day named in the order for 52 years next ensuing. The amount of each instalment is to be calculated at the rate of £4 9*s*. per cent. on the purchase money; that is, on 22½ times the present rent. From the £4 9*s*. per cent. is to be deducted such sum in the pound as the owner shall be ascertained by the Commissioners to have been on an average of five years preceding the passing of the Act entitled to deduct for poor rates from the tithe rent charge. Or, if he pays the £4 9*s*., he can lessen the 52 years by computing the amount of poor rates.

præscriptis juris municip. quibus ipsum hereditamentum corporale regitur. Quando hæc hereditamenta existunt separatim [*in gross*], iidem status in iis constitui possunt qui in hereditamentis corporalibus inveniuntur, et magna ex parte eisdem legibus quoad *titulum* seu quoad modum in quo acquiri et abalienari possunt reguntur. Attamen, ut patet, modus abalienandi per traditionem seisinæ in abalienatione hereditamentorum incorporalium adhiberi nequit.

443. Quum jus alicujus ad reditus percipiendos intervallo inter tempora ad solvendum statuta terminetur, v. g. per mortem Petri qui jure ad reditus in vitam suam potitur, ex jure com. ii qui in ejus jura succedunt nihil accipient. Et idem dicendum est etsi reditus morte Petri non terminetur, sed eo mortuo ad Caium per modum reversionis aut residui pertinere debeat; in hoc enim casu Caius totum reditum ab ultimo die quo solvi debuit accipiet quamvis Petrus mortuus non sit nisi uno die antequam proxima solutio debita sit. Sed vi statutorum recentiorum (*a*), is cujus jus ad reditus aut ad alias solutiones periodicas quæ constitutæ fuerint per instrumentum confectum post diem 16 Junii, 1834, vel per testamentum si testator ante dictum diem mortuus non sit, in intervallo inter unam alteramque solutionem sive morte sive aliter terminatum fuerit, pro rata [*an apportionment*] accipiet usque ad tempus in quo ejus jus finitum fuerit, nisi expresse convenerit ut in fine status nulla talis distributio fiat. Statutum non complectitur pecuniam solvendam vi pacti assecurationis [*a policy of insurance*]; et in casu reditus reservati in locatione agrorum et tenementorum, tenens reditum solvere tenetur ei cui solvendus esset, si statutum latum non fuisset. Sed is qui totum reditum sic accipit æqualem distributionem modo supra explicato secundum et legem et æquitatem facere tenetur. Quando tenens privatur aliqua parte agrorum ex quibus reditus reservatus est, v. g. si ejiciatur ab aliquo cujus titulus ad agros titulum locatoris superat, aut si ipse tenens partem agrorum domino legaliter cedat, solummodo tenetur partem proportionalem reditus solvere. Sivero ab ipso domino aliqua parte agrorum injuste privetur, nullum reditum solvere tenetur dum injuste excluditur. Ex simili præscripto si Petrus habeat centum jugera agri quibus jus ad pascua communia adnectitur [*is appurtenant*], et si viginti horum jugerum Caio abalienet, hic jus ad pascua communia pro rata parte habebit.

(*a*) Cf. 4 et 5 Guliel. IV. c. 22.

§ 3. *De rebus et catallis personalibus quæ secundum præscripta juris municip. inter objecta dominii humani numerantur.*

444. Definitionem rerum mobilium sive corporalium sive incorporalium supra n. 253 exposuimus. Res mobiles sunt aut animatæ ut animalia, aut inanimatæ. Inter bona inanimata numerantur non solum pecunia, vasa aurea et argentea, gemmæ, &c., sed et ea quæ gignuntur a terra [*vegetables*] postquam a terra separantur, arbores a terra avulsæ, &c. Animalia sunt aut domitæ aut feræ naturæ. Animalium domitæ naturæ, ut equorum, vaccarum, ovium, &c., homo *absoluto* dominio potiri potest. Dominio animalium feræ naturæ dum naturali gaudent libertate nemo potitur; si vero hominis potestati subjiciantur, is ad quem pertinent dominium habet non absolutum sed conditionale [*qualified*], quia ad eum solummodo pertinent quamdiu libertatem naturalem non recuperabunt. Sed quantumvis animalia domitæ naturæ extra territorium domini vagantur, adhuc sub ejus dominio manent. Non solum res mobiles corporales, sed et incorporales seu jura quæ ex rebus corporalibus mobilibus derivantur, quæ catalla incorporalia dici possunt, objecta dominii humani constituunt. Status seu dominium quod in rebus mobilibus habetur, esse potest aut in *possessione* quæ *chose in possession* appellatur, aut in *actione* quæ *chose in action* dicitur. Dominium quod in rebus mobilibus habetur potest esse imperfectum, non solum quando ipsum objectum talis dominii incapax est, ut animal feræ naturæ, sed etiam ob imperfectionem tituli quo res dominii absoluti capax alicui in suum commodum alligatur, ut titulus vectoris ad merces quas de loco in locum transportandas accipit.

445. Status qui ex rebus mobilibus constat easdem fere habet modificationes quoad *quantitatem* quas supra de statibus qui in rebus immobilibus habentur exposuimus. Potest enim homo habere dominium perfectum rei mobilis, quod feudo simplici rei immobilis æquivalet; vel dominium in vitam aut in annos tantum. Sed quamvis quis perfectum dominium hujusmodi rerum habet, domino mortuo, cæ non ad heredem sed ad eum qui vice defuncti fungitur descendent, cum obligatione eas inter illos dividendi ad quos juxta testamentum defuncti, aut si nullum confecerit testamentum juxta præscripta legis pertinent. Neque potest status in feudo aut simplici aut talliato ex rebus mobilibus ordinari, et ideo si Petrus per factum aut testamentum catalla sua personalia det Caio ejusque heredibus aut ejus heredibus corporis limitatio in utroque casu est irrita: in primo enim casu Caio mortuo catalla non ad ejus heredem sed ad eum qui vice ejus

fungitur descendent, et in secundo casu sicut in primo Caius catalla absoluto jure accipiet et ea ad arbitrium potest alienare. Potest tamen nunc Petrus bona sua personalia, ut libros aut supellectilem aut pecuniam limitare Paulo in vitam ejus cum residuo ad Caium, et si Paulus hæc bona damnificare aut dissipare attentet, potest Caius mandatum ad ipsum cohibendum [*an injunction*] a curia non solum Æquitatis sed etiam juris com. obtinere. Sed res mobiles non possunt securæ ab abalienatione reddi per longius temporis spatium, quam in casu rerum immobilium conceditur, et in Anglia præscriptis statuti 39 et 40 Geo. III., c. 98, supra expositis subjiciuntur. Si autem limitatio facta fuisset Paulo in vitam suam cum residuo ad Caium et ejus heredes aut heredes corporis ejus, limitatio quoad heredes prorsus irrita est.

446. Res mobiles sicut et immobiles possunt aut ab uno separatim [*in severalty*] teneri, aut a pluribus in tenencia conjuncta [*joint tenancy*], aut in tenencia in communi [*tenancy in common*] possideri. Sed non possunt possideri in *com-participatione* [*in coparcenery*] quia ad hanc tenenciam constituendam status debet jure hereditario transmitti. In tenencia tam conjuncta quam in communi eadem fere præscripta juris obtinent quæ supra exposuimus quando de eisdem tenenciis in rebus immobilibus egimus. Sic si equus simul pluribus detur, servatis conditionibus, quas supra agentes de tenencia conjuncta in rebus immobilibus exposuimus, hi omnes equum in tenencia conjuncta possidebunt, et *jus accrescendi* inter eos existet: et si tenencia conjuncta destruatur, v. g. quia unus suam partem vendiderit, emptor erit non tenens conjunctus sed in communi cum aliis equui possessoribus. Sic etiam si duobus aut pluribus centum nummi legantur, eo pacto ut inter eos æqualiter dividantur, hi erunt tenentes in communi. Quamvis vero in instrumento quo status pluribus conceditur eo pacto ut inter illos æqualiter dividatur, nulla sit dispositio vi cujus tenentes debent partes distinctas, quamvis non divisas sumere, ii quibus status donatur non erunt tenentes conjuncti sed in communi quando agitur de sorte [*the stock*] societatis ad mercaturam faciendam constitutæ [*a firm*]. Et idem etiam dicendum est de aliis societatibus [*companies*] quarum sors [*capital*] ad lucrum faciendum destinatur, quia quamvis earum pecunia et alia bona conjunctim teneantur, non tamen jure accrescendi reguntur, sed mortuo aliquo ex sociis ejus pars non ad socios sed ad eum qui vice ejus fungitur descendet. Attamen hoc non obtinet nisi *de proprietate in possessione* agitur; si enim *proprietas sit in actione*, jus actionem intendendi aut ad debiti solutionem, aut ad damni reparationem obtinendam ad socios superstites pertinet; sed hi debitam portionem iis

qui vice defuncti funguntur solvere tenentur, et si recusent ad hoc faciendum a curia æquitatis cogentur.

447. In rebus mobilibus sicut in immobilibus status legalis potest uni concedi propter usum et commodum alterius, cujus ille tunc fiduciarius constituitur, et curiæ æquitatis statum *cestui que use* agnoscent ejusque jus vindicabunt. Neque etiam vi Statuti De Usibus usus qui in rebus mobilibus constituitur executioni mandatur, sed status legalis et æquitabilis apud suos diversos dominos manent, et fiduciarius statum in commodum *cestui que use* a curiis æquitatis administrare cogetur.

DISPUTATIO VIGESIMA QUARTA.

DE DOMINII SUBJECTO.

§ 1. *De dominii subjecto in genere. Sola natura intelligens est dominii capax. De dominio Dei et Angelorum.*

450. Ille est subjectum dominii cui objecta dominii adnecti possunt modo supra exposito in ejus proprium commodum. Quoniam vero ex probatis omne dominium exigit potestatem moralem, non semper quidem expeditam, sed radicalem saltem, re utendi aut alienandi ad arbitrium domini, manifestum est solam naturam rationalem dominii esse capacem. Dixi exigi potestatem *radicalem*, quia ut statim demonstrabimus infantes sunt dominii capaces, quamvis ipso jure naturali potestate carent expedita de rebus suis disponendi. Præterea, ut argumentatur Lugo (*a*), "Ille solus habere potest jus qui capax est injuriæ patiendæ : equus autem non patitur injuriam si sine causa etiam occidatur. . . . Ratio est clara; quia ille solus patitur injuriam qui invitus eam patitur : debet autem esse invitus non quidem per voluntatem qua velit rem suam, sed per voluntatem qua velit retinere jus ad rem ipsam, seu obligare alios, ne eam auferant : Bruta vero non possunt habere talem voluntatem cum nec obligationem moralem, nec turpitudinem cognoscere possint; ergo non possunt esse invita, sicut non possunt dare licentiam, vel transferre dominium."

451. Deus habet dominium absolutissimum et perfectissimum omnium creaturarum, quod nullomodo abdicare potest; et proinde creaturæ rationales comparatæ non ad Deum, sed inter se dominium inferius proprium et exclusivum quarundam rerum habere possunt. Angeli sunt dominii capaces, "et dominium aliquorum bonorum spiritualium habent : sunt enim domini suæ famæ et honoris, unde habent jus, ne in eo bonorum genere injuste lædantur" (*b*). Potuit Deus, si ita voluisset, domi-

(*a*) De Just. disp. 3. n. 1. (*b*) Lugo de Just. disp. 3. n. 5.

nium rerum corporalium illis concedere ; de facto tamen hoc in mundo angeli dominium non habent talium rerum, neque homo rem aliquam injuste usurpando unquam injuriam in angelum inferre censetur. Dominium ergo inferius bonorum corporalium hujus mundi et jurium et commodorum quæ ex illis derivantur habent soli homines juxta illud : " Cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum" (*a*).

452. Quoniam homines non solum singillatim sumpti, sed et ipsæ societates sive civiles sive ecclesiasticæ sunt dominii capaces, ut jam ostendimus, conveniens erit in præsenti disputatione de dominio singulorum hominum disserere ; in sequentibus de dominio variarum societatum agemus. De capacitate solummodo quarundam personarum disputatur, quia homines generatim sumptos esse dominii capaces de origine dominii agentes jam adstruimus.

§ 2. *Utrum infideles, hæretici, peccatores, et infantes etiam in utero materno sint dominii capaces? et a quo jure hanc capacitatem accipiant infantes ?*

453. Quoniam itaque capacitas dominii a natura rationali derivatur, neque ulla lege ad hanc capacitatem obtinendam requiritur aut virtus naturalis, aut fides, spes, aut caritas, infideles, hæretici et peccatores sunt veri dominii capaces. Et revera si per peccatum, aut hæresim, aut infidelitatem quilibet dominium suarum rerum temporalium amitteret, tota societas humana destrueretur. Ad quem pertinerent res quarum dominium sic amitteretur ? An ad rempublicam ? Sed ipsa respublica temporalis potest esse legitima, etsi iniqua, heretica, aut infidelis est, ut statim dicemus. Num hæc bona ad omnes cives fideles et sanctos pertinerent ? An essent nullius ? In alterutro casu ad latrocinia, homicidia, et ruinam reipublicæ cito perveniretur. Non hic dico Deum non potuisse aliter res ordinare. Profecto enim, hæc incommoda auferendo, statuere potuit ut soli sancti seu fideles essent dominii capaces. Sed de facto hoc non fecit Deus in præsenti rerum ordinatione. Equidem possunt homines propter quædam crimina, legitima interveniente auctoritate, non solum bonis (*b*) sed et vita privari. Sed hoc ipso quod intervenire legitimam auctoritatem necesse est ostenditur,

(*a*) Psalm. 113. v. 16.

(*b*) Juxta probabiliorem sententiam nomen *feloniæ* derivatur ex *fee*, seu feudum, et *lon*, pretium, quia propter hoc crimen noxius bonis et agris privatus est, et dominii bonorum incapax redditus.

nulla crimina, jure solo nat. aut divino spectato, homines dominii bonorum incapaces efficere.

454. Non constat quemquam unquam docuisse homines dominio *bonorum suorum* privari, hoc ipso quod scelus admiserint (*a*); sed Wiclefus et Joannes Hus docuere homines per peccata mortalia potestate *jurisdictionis* tam temporalis quam spiritualis privari, ut patet ex Concilio Constantiensi (sess. 8 et 15), ubi hæc propositio quæ est 15ª Wiclefi et 30ª J. Hus damnata est: *Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus episcopus, dum est in peccato mortali.* Hic non agendum de jurisdictione spirituali quâ propter hæresim publicam privantur viri ecclesiastici. Quod vero attinet ad jurisdictionem temporalem, certum est apud omnes Catholicos, neque peccatores, neque hæreticos, neque infideles esse hujus jurisdictionis incapaces. "Veritas Catholica," ait Lugo (*b*), "colligitur clare ex Scriptura, in qua reges Ethnici et peccatores dicuntur veri principes, et observandos esse, ac honorandos obsequio tributis et obedientia iis præstita monet Paulus ad Rom. 13.; Petrus 1. Ep. cap. 2.; Christus etiam Mat. 22. . . . Ratio est clara; quia homo per peccatum non amittit jus quod habet ad propriam vitam et famam, nec minus patitur injuriam si hæc ei auferantur; ergo nec amittit jus quod habet ad res alias temporales." Porro quamquam potestas jurisdictionis *exerceri* debet ob bonum non privatum sed publicum, attamen ejus *possessio* est verum bonum ex parte ejus vel eorum qui ipsam habent, cujus fruitione sine justa et gravissima causa privari non possunt. Doctrina Ecclesiæ est potestati temporali legitimæ constitutæ obtemperandum esse, modo leges non sint iniquæ, quantumvis ipse princeps in moribus aut fide sit perditus. Juvat quoniam pro contraria doctrina citatur (*c*) hac de re verba magni Augustini adducere. "Quæ cum ita sint," ait (*d*), "non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum non nisi solis piis: regnum vero terrenum et piis et impiis: sicut ei placet, cui nihil injuste placet. . . . Ille igitur unus verus Deus, qui nec judicio, nec adjutorio deserit genus humanum, quando voluit, et quantum voluit Romanis regnum dedit: qui dedit Assyriis, vel etiam Persis . . . Qui ergo Persis dedit segetes, sine cultu deæ Segetiæ; qui alia dona terrarum sine cultu tot deorum, quos isti rebus singulis singulos, vel etiam rebus singulis plures præposuerunt: ipse etiam regnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti regnare crediderunt. Sic etiam hominibus, qui Mario, ipse Caio Cæsari;

(*a*) Cf. Molina. tom. 1. tr. 2. D. 19. n. 1. (*b*) D. 3. s. 1. n. 11.
(*c*) A Barbeyrac ap. Carriere de Just. cap. 4. n. 64. quem cf.
(*d*) De Civitate Dei, lib. v. c. 21. Hanc quæstionem late et docte prosequitur Molina, tom. 1. De Just. tr. 2. D. 19. quem conf. si vacat.

qui Augusto, ipse et Neroni : qui Vespasianis, vel patri, vel filio suavissimis imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo. Et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatæ Juliano."

445. Infantes etiam et amentes sunt capaces dominii. Hoc de infantibus expresse declarat S. Paul. ad Galat. iv. 1 : "Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium." Quod autem et infantes et amentes sunt dominii capaces usu et consuetudine omnium gentium excultarum constat. Dubitari quidem potest utrum aliquis dominium acquirere possit solo jure nat. spectato, absque actu propriæ voluntatis, qualis esset rei acceptatio (*a*), in quo differunt infantes a dormientibus et ebriis, quia in his voluntas suas res *tenendi* habitualiter perseverat. Attamen habent infantes et amentes jure nat. dominium horum bonorum quæ homo immediate a natura accipit, et qui eos occideret, vulneraret, libertate privaret, aut tanquam non legitimos traduceret, veræ injuriæ erga eos solo jure nat. spectato reus esset. Bona vero externa possident jure gentium aut jure quod apud omnes gentes excultas agnoscitur. Distinguendum enim est inter facultatem dominio utendi, et facultatem dominium habitualiter possidendi ; prior usum rationis exigit, non item posterior, quæ ut vidimus in potentia seu facultate rationali sedem habet. Voluntas vero necessaria ad nexum inter dominum et rem, *suam* constituendum jure apud omnes gentes recepto, aliquando immediate ab ipso jure, aliquando voluntate aliorum ut parentum, tutorum, &c., suppletur. Eodem enim jure quo stabilita est transmissio bonorum defuncti ad ejus liberos etiam absentes, omnibus aliis exclusis, stabilita est eorum successio quoque, quamvis infantes aut amentes sint. Etiam apud nos (*b*) sicut apud quasdam alias gentes (*c*) dominii capax efficitur infans nondum natus seu *in ventre sa mere.* "*An infant in ventre sa mere, or in the mother's womb, is supposed, in law, to be born for many purposes. It is capable of having a legacy, or a surrender of a copyhold estate made to it. It may have a guardian assigned to it ; and it is enabled to take by descent, and to have an estate limited to its use, and to take afterwards by such limitation, as if it were then actually born. In the case of descent, however, the presumptive heir may enter and receive the profits for his own use till the birth of the child*" (*d*).

(*a*) Cf. Lugo. D. 3. n. 15. et 16. ; Bill. Disp. 3. a. 1.
(*b*) Steph. tom. 1. p. 561.
(*c*) Cf. Carriere, tom. 1. n. 65.
(*d*) Steph. loc. cit. pp. 143-4. In jure etiam civili statutum erat ; Qui in utero sunt, in jure civili intelliguntur in rerum natura esse, cum de eorum commodo agatur.

§ 3. *De filiorum-familias, seu potius eorum qui nondum an.* 21um *compleverint dominio.*

456. Per filios-familiarum in jure civili intelligebantur ii qui sub potestate paterna constituti erant. Nisi filii emancipati essent, patriæ potestati usque ad an. vigesimum quintum completum subjiciebantur (*a*). In antiquioribus reipublicæ temporibus, respiciebantur potius ut *res* patris quam ut homines ita ut in illos potestate etiam vitæ et necis potitus esset. Imperator autem Adrianus patrem in exilium egit eo quod filium suum necasset, quia "patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere" (*b*). Omnia etiam bona filii-familias quacumque ratione obtenta ad patrem primitùs pertinebant. Postea vero ut juvenes ad militiam allicerentur, 1. *peculium castrense* institutum est, quo a jure paterno excepta erant bona occasione militiæ acquisita, ut stipendium, præda ab hoste capta, dona sive a ducibus, sive a parentibus sive ab aliis intuitu militiæ accepta. 2. Eadem immunitas pertinuit ad ea bona quæ filius quasi *militando in curia* vel palatio acquisivit, seu occasione, ut dicebatur, militiæ togatæ, sacræ, aut literatæ; hæc bona peculium *quasi castrense* appellata sunt. Huc revocata sunt omnia bona quæ filius-familias ex officiis publicis, judicis, advocati, medici, lectoris, comparavit, aut quæ ad clericum etiam sola insignitum tonsura non solum ex officio clericali, sed ex quocumque titulo *adventitio* advenerunt (*c*). 3. Peculium aliud quod ad filios-familiarum advenit, aliunde quam ex bonis patris, vel intuitu patris, *adventitium* dicebatur. Talia erant bona accepta a matre aut a propinquis in linea materna, aut ab extraneis, aut quæ propria industria, aut ex prospera fortuna ut ex inventione thesauri, comparata sunt. Hujus peculii dominium ordinarie penes filium-familias erat, sicut peculium castrense et quasi castrense, sed ab illis in hoc discrepabat quod usufructus ejus, et administratio ad patrem ordinarie pertinebant. Aliquando tamen filius-familias peculii adventitii non solum dominium directum sed et usumfructum et administrationem possidebat; et hoc *peculium extraordinarium* seu *irregulare* dicebatur; et a peculio castrensi et quasi castrensi in hoc tantum discrepabat, quod per testamentum peculium extraordinarium alienare non poterat. 4. *Peculium profectitium* constabat ex bonis quæ filius-familias ex

(*a*) Instit. 1. 28. 1. (*b*) Ff. 48. 9. 5.
(*c*) Lugo Disp. 5. sect. 2. nn. 21. et 22.

bonis paternis negotiando lucratus est, aut quæ ei intuitu patris data erant. Dominium et ususfructus horum bonorum ad patrem pleno jure pertinebant.

457. Sed quoniam, ut ait Lugo (*a*), "Patria potestas est jus quoddam, quod habet pater in filios, et in eorum bona, quod quidem non est de jure naturali vel divino, sed de jure civili Romanorum; quod consuetudine, vel legibus provinciarum abrogari in totum, vel in partem potest," operæ pretium erit investigare jura patris in filios et in eorum bona spectato jure nat. et deinde præscripta juris municip. introspicere. Sicut enim jus gentium et municipale capacitatem in infantes aliquando etiam nondum natos conferunt dominium possidendi; sic sine dubio, propter justissimas rationes et propter eorum proprium commodum potest respublica exercitium jurium dominii, ex parte etiam eorum qui jam usum rationis adepti sunt restringere, usquedum ad ætatem maturiorem pervenerint. Itaque videndum est quale dominium minoribus spectato jure nat. et municip. competat.

458. Quamvis infantes ante usum rationis dominii sunt capaces, attamen ipso jure nat. res suas administrare nequeunt. Itaque sicut durante tempore infantiæ parentes ipso jure nat. infantem sustentare, fovere, et educare obligantur; ita utique si habeat bona quæ ad parentes nullomodo pertinent, eorum administratio ad patrem et ipso deficiente, nullo alio ad hoc munus obeundum constituto, ad matrem naturaliter deferetur. Sed difficile esset jure solo nat. spectato determinare quandonam hæc patria potestas cessare debeat et administratio ipso filio concedi. Itaque in omnibus nationibus excultis hoc positivis statutis determinatur: et quidem apud Græcos et Romanos ad an. vigesimum quintum completum ætas pupillaris perducta erat. Sed hæc ætas in varia spatia minora apud Romanos divisa erat. A nativitate enim usque ad an. septimum completum perduravit *infantia;* ab an. septimo usque ad quartum decimum completum erat ætas *pueritiæ;* a quarto decimo usque ad vigesimum quintum completum erat ætas *pubertatis.* Sed pueritia in duas partes divisa erat. A septimo anno usquedum puer an. decimum et sex menses complevisset erat ætas infantiæ proxima; per quod tempus minores propter quæcumque crimina puniri non potuerunt. Ab hac ætate usque ad an. quartum decimum completum erat ætas pubertati proxima; et intra hoc spatium si *doli capaces* inventi fuissent propter crimina puniri potuerunt; sed leges eorum crimina magna indulgentia respiciebant. Pueri anno quarto decimo completo et puellæ duodecimo ex jure civ. et canonico, mat.

(*a*) De Just. Disp. 5. sect. 1. n. 1.

contrahere potuerunt, et hoc præscriptum in leg. nostra municip. servatur. Non tamen e pubertate excesserunt conjuges ante an. vigesimum quintum completum (*a*). Sed ne hac ætate quidem adepta et mat. contracto a patria potestate liberati erant nisi emancipati fuissent. Multis tamen modis a patria potestate etiam ante hanc ætatem emancipari potuerunt, sed de his ad nos non pertinet pertractare, quoniam apud nos non vigent (*b*).

459. Secundum leges nostras municip. ætas *infantiæ* ad an. vigesimum primum completum permanet. Annus autem vigesimus primus completus censetur die præcedente anniversarium nativitatis diem, ita ut si quis natus sit vesperi die primo Januarii, A.D. 1847, ad ætatem plenam mane die ultimo Decembris, A.D, 1867, pervenerit. Hac ætate adepta plenam habet potestatem et in suam personam et suis bonis ad arbitrium utendi. Neque parentes, neque curatores [*guardians*] jus ullum habent ex legibus municip. in iis quæ pertinent aut ad personas aut ad administrationem bonorum quæ liberi aut pupilli jure proprio possident quum hanc ætatem adepta fuerint. Is quidem qui facultates alicui elargitur quaslibet conditiones legi non repugnantes potest imponere; ideoque sicut dare potest Joannes statum Petro in vitam cum residuo ad Paulum, sic potest eundem statum Petro dare usquedum Paulus an. vigesimum quintum, aut trigesimum compleverit. Ita et potest pater vel aliquis alius per factum aut testamentum statum fiduciariis abalienare propter commodum Petri et Pauli, ea lege ut status ad Petrum et Paulum pertinere non debeat nisi postquam v. g. an. vigesimum sextum compleverint. Sed hujusmodi restrictiones sunt speciales et privatæ ab aliquo in abalienatione sui status confectæ, et *capacitatem* Petri et Pauli in iis quæ pertinent ad suas personas aut ad bonorum suorum administrationem non attingunt. Et in personam minoris et in bona cujuscumque generis, quorum dominium nexu aliquo speciali non ligatur, potestas sive patris sive curatoris, post an. vigesimum primum omnino desinit. Itaque tota quæstio eos solos respicit qui ad hanc ætatem nondum pervenerunt.

460. Et quidem in jur. municip. quamvis filius-familias toto tempore pupillaris ætatis *infans* dicitur, attamen diversis temporibus infra hoc spatium diversam capacitatem habere censetur. Infra an. septimum infans reus esse nequit feloniæ, sed solummodo minoris offensæ [*of a misdemeanour*], quia ad feloniam constituendam requiritur ut actus ex intentione scelerata [*with felonious*

(*a*) Cf. Steph. tom. 2. p. 315. et t. 4. p. 108.
(*b*) Cf. si lubet Lugo Disp. 5. n. 6. et seq.

intention] patratus fuerit, quam in tam tenera ætate suspicari non possumus. Ab an. septimo usque ad an. quartum decimum puer prima facie doli incapax esse judicatur, sed si positive probetur eum doli capacem fuisse eo tempore quo crimen commisit, et illud scienter et malitiose perpetrasse, malitia supplere ætatem censebitur, et propter scelera atrociora etiam morte multari poterit Et revera puer annos tantum octo natus qui convictus est quod duo horrea Abendoniæ succendisset patibulo affixus est; et in temporibus recentioribus alius puer decem annos natus, qui ex propria sua confessione lecti socium trucidaverat eandem pœnam subiit. Attamen ante an. quartum decimum completum puer pœna proscriptionis [*of outlawry*] multari non potest. Sed hac ætate adepta puer doli capax esse judicatur; adhuc tamen quibusdam privilegiis potitur circa offensas minores *omissionis*. Sic in judicium adduci nequit eo quod pontem aut viam publicam reparare neglexerit quando eam reparare debuerit; quamvis in eisdem circumstantiis si an. 21um complevisset, et accusari, et si convictus fuerit, aut pecunia multari potest aut in carcerem includi.

461. Quamvis puero etiam adepto usu rationis res proprias usquedum an. 21um compleverit administrare non permittitur, attamen procurator esse potest alterius, et ejus contractus aliique actus in quibus vicem alterius implet erunt validi ejusque auctorem [*principal*] obstringent. Infans etiam nondum natus seu *in ventre sa mere* potest valide exsecutor testamenti qui dicitur constitui, sed exemplar testamenti a curia in hunc finem instituta approbatum [*probate*] obtinere non poterit donec an 21um compleverit. Potest infans fiduciarius esse et agros per modum vadi mortui tenere, sed non potest illos abalienare donec sui juris fiat. Curia tamen Cancellariæ vi statutorum quemlibet qui sui juris est eligere potest, qui agros quos infans per modum fidei-commissi aut vadi mortui tenet ejus vice abalienet. Quamquam minor munus juratoris obire nequit, potest tamen testis esse in lite: et puer qui vicesimum et puella quæ septimum decimum an. complevit, validam ordinationem status sive immobilis sive mobilis intuitu mat. efficere possunt. De contractibus initis ab iis qui an. 21um nondum compleverint videndum est utrum contractus manifeste sit in commodum an in incommodum minoris secundum judicium tribunalis a quo ejus confirmatio aut rescissio exigetur. Diximus secundum judicium tribunalis, quia si nulla sit disceptatio nec ulla fraus, utraque pars contractui stare potest vel si sit disceptatio de validitate contractus, et inter partes rescindere contractum conveniat, utique hoc efficere possunt. Si autem is qui an. 21um nondum compleverit rescissionem contractus exigat

et altera pars recuset, vel si minor bona vi contractus accepta consumpserit, et pretium de quo convenerat pendere recuset, lite instituta coram aliquo tribunali si contractus manifeste utilis fuerit minori validus declarabitur. Hinc potest puer postquam rationis usum adeptus est, se in tabernam opificis tradere [*bind himself apprentice*]; sed quamvis hic contractus in se validus est, non potest is in judicium vocari propter violatas conditiones alias [*covenants*] quæ in facto quo se in tabernam opificis tradidit [*the deed of apprenticeship*] appositæ fuerint. Item validi sunt ejus contractus pro rebus quæ ad vitam cultumque pertinent, nempe pro cibo, potu, vestimentis, medicina, et educatione, in quibus omnibus æstimandis, an necessaria sint necne, ratio ejus conditionis et facultatum habenda est. Si vero hæc ipsi suppeditata fuerint dum cælebs in domo paterna viveret, ubi res quæ ad victum cultumque pertinebant ipsi suppeditabantur, a tribunalibus pro his pendere non cogetur, quia vere necessaria non erant, nec hujusmodi contractus in ejus commodum conducunt Si contractus sint in prejudicium filii familias, a tribunalibus irriti ipso facto declarabuntur. Hinc contractus a filio-familias initus ad quem adimplendum sub pœna multæ adstrictus est, omnino irritus a tribunalibus judicatus est.

462. Quando res necessariæ ad usum et cultum non ipsi minori sed ejus uxori aut filio legitimo suppeditantur, ipsi suppeditari reputantur, et vidua quamvis minor sit obnoxia est impensis funeris mariti solvendis. Si contractus non sit manifesto aut in commodum aut in incommodum ejus qui in tutela est, non est ipso facto aut validus aut irritus, sed is qui in tutela erat tempore contractus, an. 21° completo eum aut confirmare aut irritare poterit. Hinc si minor aut agros aut merces aut alias res mobiles abalienet aut emat, contractus non erit irritus sed irritari potest vel ab ipso minore quando adultam ætatem assecutus fuerit, vel ab iis qui in ejus jura succedent si antequam hanc ætatem adeptus sit mortuus fuerit. Nemo testamentum validum conficere potest antequam an. 21um compleverit. Ut minor adulta ætate adepta contractus suos antea initos aut irritet aut confirmet valide, tenetur ordinarie assensum aut dissensum per scriptum instrumentum nomine suo subscriptum significare. Quidam vero contractus confirmantur meris actibus quibus minor adulta ætate adepta ita eos validos efficere jure municip. censetur ut rescindi nequeant. Sic si minor agros colono in aliquot annos locaverit, et adulta ætate adepta reditus a conductore accipiat, contractum irritare non poterit, neque agros exigere ante diem præstitutum in quem concessi erant. Item si minor agros con-

duxerit, et adulta ætate adepta eorum possessionem retineat, contractus postea rescindi non potest, et agros usque ad terminum constitutum tenere cogetur. Minor non potest contractum validum inire pro venditione aut emptione possessionum immobilium; ne curator quidem ejus quamvis a Curia Cancellariæ constitutus fuerit statum ejus immobilem abalienare potest. Minor contractum societatis inire potest, sed propter contractus initos ab ejus sociis (aut etiam propter contractus a seipso initos nisi modo exposito) durante ejus ætate pupillari non erit obnoxius, nisi in societate postquam an. 21um compleverit perseveret. Facultas minoris sua jura in judicio vindicandi lapsu temporis non aufertur [*is not barred*], et restrictio temporis intra quod sua jura vindicare permittitur a die quo an. 21um compleverit computatur. Possunt minores suas operas locare, vel opus aliquod perficiendum suscipere; et modo summa quæ exigitur quinquaginta libras non excedat possunt per seipsos actionem intendere in Curiis Comitatus in Anglia ad hanc summam exigendam: actionem quoque intendere possunt in Hibernia coram advocato qui præsidet et solus judex est in causis civilibus in trimestribus magistratuum comitiis, modo summa quadraginta libras non excedat.

463. A jurisperitis declaratur minores plerumque esse inhabiles ad ullum actum *legalem* perficiendum. Quamvis enim conceditur eorum contractus esse quandoque validos, hoc non oritur ex obligatione *legali* ipsius actus, sed vel ex necessitate rei, vel quia contractus ad eorum commodum tendit. Ideo exceptis casibus jam expositis non possunt per seipsos ullam actionem etiam in curiis æquitatis instituere; neque potest actio civilis in ullo casu contra ipsum minorem institui, sed necessario contra ejus *curatorem ad litem* (de quo infra) intenditur. Similiter minor actionem civilem nisi per *procuratorem ad litem*, aut per amicum proximum [*his prochein amy*] intendere nequit. Et quamvis procuratores rerum forensium qui quibusdam muneribus curiarum juris com. [*attorneys*] aut curiarum æquitatis [*solicitors*] præponuntur, iis in curiis inter cujus officiales numerantur suorum clientum causas suscipere possunt; attamen procuratori minoris se sistere coram judice vice hujus non permittitur [*cannot enter an appearance for him*], sed minor aut in propria persona quando causa est criminalis, aut per curatorem in causis civilibus se coram judice sistere tenetur. Quamvis enim actioni obnoxius non est propter meram contractus violationem, attamen non solum propter crimina publica, ut incendii, homicidii, latrocinii; sed etiam si privatis injuriam fecerit, velut si quem percusserit, aut si libellum famosum scripserit, potest ipse in judicium adduci. Qui an. 21um non

compleverit non potest cogi bona cedere [*become a bankrupt*]; neque in jus vocari propter debita quæ negotiando contraxerit; et quamvis pro rebus ad victum cultumque necessariis solvere cogetur, attamen summam quam syngraphâ [*his note or bill*] interpositâ se propter has res soluturum promisit reddere non cogetur, sed petitor nulla syngraphæ ratione habita res necessarias suppeditatas fuisse probare tenebitur.

464. Ex dictis facile inferri potest quatenus præscripta legis civilis de possessionibus filiorum-familias apud nos vigeant. Bona enim quæ nomine peculii castrensis et quasi castrensis in lege civili donantur, apud nos ad minorem pleno jure pertinent, nisi quod illa per testamentum legare non potest; sed hoc non oritur ex defectu dominii, sed quia ante an. 21um completum testamentum conficere non potest. Idem fere dicendum est de peculio adventitio. Quæcumque enim bona minor proprio labore absolute acquirit ad ipsum absolute pertinent. Quoad eam vero partem hujus peculii quæ neque ex bonis paternis derivatur, neque intuitu patris conceditur, ut bona accepta a matre aut a propinquis in linea materna aut ab extraneo, aut quæ ex prospera fortuna ut ex inventione thesauri comparata sunt, dicendum est neque ipsum thesaurum neque ejus administrationem ex justitia stricta ad patrem pertinere. Bona autem mobilia ut vestimenta, gemmæ, &c., quæ minori a propinquo in linea sive materna sive paterna sive ab extrancis donantur sine ulla restrictione, a patre vindicari possunt; si autem data essent in proprium ipsius usum et commodum hæc ipsi æquitas vindicaret, ac ne administrationem quidem eorum pater sibi arrogare posset. Bona vero immobilia quæ minori in suo proprio nomine abalienata sunt (nisi per modum fidei-commissi ei concedantur) ad eum proprie pertinebunt, neque pater earum administrationem vindicare potest. Imo si abalienatio absolute facta fuerit a patre filio suo sine ullo pretio æstimatione digno [*without valuable consideration*], minor statum tum legalem tum æquitabilem accipiet, nisi pater jam antea quæ ad vivendum necessaria sunt in eum contulerit. In simili casu si Caius alienus statum Julio Pauli filio minori abalienasset, Julius fiduciarius Caii constitueretur, et statum solummodo legalem acciperet. Sed si Caius etiam verbis declarasset se voluisse ut Julius statum in suum proprium commodum possideret, is statum tum legalem tum æquitabilem acciperet: et administratio status infantis ejus patri qua tali nunquam conceditur, sed ad eum ut curatorem sui filii non raro pertinet ut infra declarabitur. Apud nos itaque pater neque dominio neque administratione bonorum potitur quæ liberi ejus proprio jure possi-

dent, et restrictiones quibus in administratione bonorum suorum subjiciuntur in eorum proprium commodum omnino ordinantur (*a*). Leges municip. quibus potestas minorum in iis quæ ad bona sua administranda pertinent intra certos limites coarctatur, sunt justitiæ et æquitati nat. omnino consentaneæ, quoniam juniores a dolosis hominibus non raro deciperentur et rebus suis nisi lex obstaret injuste privarentur. Attamen non pauci juvenes qui ætatem adultam nondum adepti sunt, satis versuti et dolosi inveniuntur; et ipsi opportunitate legum ad alios spoliandos abutuntur. Ad hæc damna reparanda lege municip. cogi non possunt, sed rei sunt injustitiæ in foro Dei, et nisi damna injuste illata reparare conentur sine dubio in æternum damnabuntur.

465. Peculium profectitium in quantum constat ex bonis quæ minor ex bonis paternis negotiando lucratus est, in jure municip. sicut in jure civili pleno jure ad patrem pertinent. Disputatur autem quatenus filius-familias sibi occulte compensationem facere possit, si pater injuste ei pretium ejus laboris pendere recuset. Si filius vivat in domo paterna ibique quæ ad victum cultumque necessaria sunt secundum suam conditionem accipiat, certum est ei plerumque non licere quidquam de bonis paternis in proprium usum sumere, nisi de consensu patris rationabiliter præsumpto. Talis est communis sensus omnium hominum qui in hujusmodi rebus versantur, et contraria doctrina ad confusionem non solum familiarum sed et totius reipublicæ duceret. Insuper si filius-familias putet se justam mercedem sui laboris a patre non accipere, integrum ei est a domo paterna discedere et plenam compensationem sui laboris alibi quærere. Attamen si pater necessaria ad victum

(*a*) If a man purchase an estate and take a conveyance of it in the name of a stranger, although he has no declaration of trust from the stranger, yet the estate shall be his, if he can prove that it was paid for with his money. But if he who paid for the estate shall deliberately, though only verbally, declare that the estate was for the stranger's benefit, he shall be entitled to retain the estate as his own. "And if you take a conveyance for one of your children, for whom you have not made a provision, without declaring him a trustee for you, the *consideration* of blood between you will fix the estate in the child, although *illegitimate*, for his own benefit; nor can you defeat his claim by any *subsequent* declaration of your intention. The same rule applies to a purchase in the name of your wife, or of a grandchild, if his parent be dead. But all purchases of this kind are open to objection. If you intend the conveyance to be for the party's own benefit, it should be expressly declared to be so on the face of it. If, on the contrary, you mean it to be in trust for yourself, the trust should be declared by the deed, or you should take a declaration of trust by a separate instrument. If you and another purchase lands, and advance the money in equal portions, and take a conveyance to yourselves and your heirs, the survivor will take the whole estate; for the pur-

cultumque secundum ejus conditionem non concedat, potest de præsumpto consensu patris quantum ad hoc rigide necessarium est de bonis paternis auferre. Sed hoc periculi plenum est, et juvenes hortandi sunt ut abstineant a tali modo agendi, non tamen semper urgendi. Si vero pater bona sua in ebrietate, luso, &c., dissipet, ita ut moraliter certum sit fore ut tota familia ad inopiam redigatur, possunt uxor et liberi de facultatibus patris subtrahere quantum necessarium fore judicent ad futuras necessitates tum ipsius patris tum etiam totius familiæ. Si itaque aut filius-familias aut filia in officina patris adstet ad negotia commercii peragenda, cernatque rem familiarem ob prodigalitatem patris deperire, nobis videtur posse summam moderatam ad suas futuras necessitates inscio patre seponere. Primo aliquid forsan ratione laboris extraordinarii retinere potest. Sed de hac materia quando de restitutione tractabimus recurret sermo.

§ 4. *De obligationibus et juribus parentum circa personas et facultates liberorum, et de obligationibus liberorum erga parentes: de potestate tutorum et curatorum in personas et facultates suorum pupillorum; de legis municip. præscriptis de personis et facultatibus mente captorum.*

466. In præsenti § præsertim de liberis legitimis tractabimus; præscripta tamen juris municip. quæ liberos haud legitimos respiciunt in decursu indicabuntur. Parentes jure nat. et divino tenentur suos liberos sustentare, protegere, atque educare. Lex civilis obligabat parentes dum vivebant ut sustentationi liberorum

base would be supposed to be made by you jointly on the chance of survivorship, which may happen to one of you as well as the other. But where the proportions of the money are not equal, and this appears in the deed itself, the rule is otherwise, and the survivor will be a trustee for the representatives of the other, in proportion to the sums which you severally advanced. However, even where the money is advanced equally, you should never take a conveyance in this way; but the estate should be conveyed to you and the other purchaser in moieties. There is no relying on the joint tenancy; the other party may defeat it by a secret deed, which, if you survive, will be produced, and his heir will be entitled to his share; whereas, if he survive, he will keep it back, and claim the whole estate.

"In all cases of *joint undertaking* or partnership, although the estate will belong to the survivor at law, yet in equity he will be a trustee as to the share of the deceased partner for his representatives; so that if you and another were to take a building lease jointly, and lay out money in erecting houses on the land, the survivor would be compelled to assign a moiety of it to the representatives of the deceased." Lord St. Leonards' "Handy Book of Property Law," 3rd ed., pp. 36, 37.

suorum provideret (*a*); neque potuerunt eos per testamentum exhereditare, nisi rationabilem causam cur hoc fieret redderent; et si aut nulla aut insufficiens causa allegata fuisset testamentum utpote non ex officio pietatis conditum prorsus irritum declararetur. De præscriptis juris municip. circa testamenta, ubi de contractibus, agemus. Ex jure com. nulla actio intendi potuit parentibus qui suos liberos sustentare recusarent; sed tribunalia ex levibus etiam indiciis judicarent contractum a patre initum fuisse ut ea quæ ad victum cultumque necessaria sunt suis filiis legitimis suppeditarentur. Sed nunc ex variis statutis parentes suis liberis cujuscumque sunt ætatis, modo seipsos sustentare nequeant, victum et vestitum præbere tenentur. Non tenentur parentes suos liberos etiam in teneris annis sustentare quando ipsi liberi facultatibus ad suam propriam sustentationem sufficientibus potiuntur. Neque lex coget parentes res luxuriosas aut superfluas eorum liberis suppeditare, sed tantum quæ ad vitam cultumque sunt necessariæ. Ac ne has quidem providere tenentur parentes quando liberi etsi adultam ætatem nondum assecuti sint, necessaria ad victum cultumque proprio labore et industria comparare possunt. Sed liberos quamvis ad adultam ætatem pervenerint alere tenentur parentes si propter morbum aut alium casum seipsos sustentare nequeunt. Hæc obligatio sustentandi liberos astringit non solum patrem et matrem sed et avum et aviam eorum pauperum qui seipsos proprio labore sustentare non possunt. Parentes et avus et avia suos liberos et nepotes sustentare tenentur quando aut facultatibus in hunc usum sufficientibus gaudent, aut ex fructibus suæ industriæ et laboris hoc onus sustinere possunt. Si vero recusent, a tribunalibus hoc munus obire cogentur, et summa propter sustentationem liberorum solvenda aut in trimestribus magistratuum comitiis, aut a duobus aut pluribus magistratibus in comitiis minoribus congregatis [*in Petty Sessions*] determinabitur. Si vero pater aut mater, &c. fugiat suos liberos sine rebus necessariis ad vitam derelinquens, mandatum [*a warrant*] a magistratibus prædictis obtineri potest vi cujus ejus reditus, bona, et catalla apprehendi et vendi possunt ad res necessarias in sustentationem ejus liberûm obtinendas. Ipse pater, &c., etiam apprehendi potest, et in carcerem includi si voluntarie negligat aut recuset suam familiam sustentare, unde onus eos sustentandi in curatores qui pecunias publicas in usum egenorum impendendas administrant conjicitur. Insuper omnia subsidia quæ ex legibus

(*a*) Ff. 25. 3. 5.

de sustentandis pauperibus constitutis dantur alicujus hominis libero sive liberis qui an. sextum decimum nondum compleverint (nisi sint cæci aut surdi simul et muti) ut ipsi patri, &c., suppeditata reputantur. Maritus omnes liberos sive legitimos, sive non legitimos quos uxor ante mat. ex illo pepererit, inter membra suæ familiæ computare et sustentare tenetur, et propter res quæ ad victum cultumque pertinent quæ iis suppeditatæ fuerint usquedum an. 16um compleverint obnoxius habetur. Quando puer criminis convictus condemnatur ad ludum emendandæ juventuti a republica constitutum [*a reformatory*], pater, aut vitricus, si facultates sufficientes possideat, quinos *schillingos* singulis hebdomadibus propter ejus sustentationem solvere cogi potest. Eandem summam contribuere tenetur propter sustentationem liberorum qui in scholis industrialibus custodiuntur. Sed revera quoniam parentes istorum liberorum sunt plerumque valde pauperes, contributio prædicta ab iis vix unquam exigitur.

467. Obligatio quæ a jure municip. imponitur parentibus sustentandi suos liberos in ipsa lege nat. fundatur. Nam etsi obligatio patris ad filium suum inopem sustentandum non in justitia stricta sed in pietate fundetur, et ideo non injustus sed inhumanus et impius habetur qui filio suo inopi subvenire recuset, attamen ejus concives jus strictum habent ne onus sustentandi liberos alienos in se imponatur. Unde quamvis parentes qui inopiæ suorum liberorum non sunt opitulati, iis transacta necessitate restituere non tenentur; bene tamen restituere tenentur iis in quos rationabiliter nolentes onus sustentandi liberos alienos impositum est. Supponitur autem parentes ipso tempore quo res necessariæ ad vitam suis liberis deerant iis ex suis facultatibus aut labore et industria opitulari potuisse; si enim parentes pauperes essent tum re tum spe eo tempore in quo eorum liberi ex facultatibus concivium sustentabantur, quamvis divites postea inopinato facti fuerint restituere concivibus non obligantur. Si autem eo tempore in quo necessaria ad vitam suis liberis deerant, parentes eis subvenire potuerunt certum est apud nos hos parentes ad restitutionem teneri; quia lex municipalis non solum obligat parentes ad suos liberos sustentandos; sed etiam judicat omnia ad vivendum necessaria quæ pueris ex pecuniis publicis in sustentationem pauperum erogandis tribuuntur, ipsis eorum parentibus suppeditari. Observandum tamen est maritum primo loco teneri liberos suos et etiam liberos uxoris sustentare, neque potest uxor cogi ex iis propriis facultatibus ad sustentationem familiæ contribuere, quamdiu maritus ejus facultatibus sufficientibus potitur.

468. Aliæ obligationes parentum, uempe ut liberos suos protegere et educare debeant, ad præsentem tractationem non pertinent. Lex municip. non obligat parentes ad liberos defendendos, sed solummodo iis permittit hoc jus naturale exercere. Parentes qui aliquem aggressi sunt et percusserunt [*have committed assault and battery*] seipsos coram jure municip. expurgare possunt si ita egerint in defensione suorum liberorum. Possunt etiam parentes suos liberos adjuvare in eorum litibus pecunia, testibus comparandis aliisve modis, sine crimine se immiscendi litibus alienis, ob quod quis pecuniâ multari potest et in carcerem includi (*a*). Parentes gravissime tenentur suos liberos pie et religiose educare. In iis quæ spectant ad fidem et mores parentes Catholici regimini pastorum ecclesiæ subjiciuntur. Quoniam vero reipublicæ maxime interest bonos et religiosos habere cives, facultates et alia necessaria ad bonam et religiosam juventutis institutionem omnino suppeditare tenetur.

469. Jura parentum circa personas liberorum omnino diversa sunt ab eorum juribus circa facultates quas filii-familias in suum proprium commodum possident. Pater jus habet ad custodiam personarum omnium liberorum utriusque sexus ab an. septimo usque ad an. unum et vicesimum completum, nisi ante hoc tempus mat. validum contraxerint. Usque ad an. septimum completum, id est durante ætate infantiæ [*the age of nurture*] potest mater, modo tamen adulterii convicta ne fuerit, mandatum a Cancellario aut a Magistro Rotulorum obtinere, vi cujus pater aut curator infantem ipsi tradere tenebitur usquedum an. septimum compleverit. Post septennium autem completum pater (nisi hoc jure ob aliquam gravem causam privatur) semper jure potitur ad custodiam personarum omnium liberorum legitimorum donec an 21um compleverint, aut mat. validum contraxerint. Pater hoc imperium etiam post suam mortem exercere potest, aliquem ad officium curatoris suorum liberorum per testamentum constituendo. Si autem pater moriatur nullo tutore constituto, mater jus habet ad custodiam personarum suorum liberorum donec 21um compleverint aut mat. validum contraxerint.

(*a*) This crime is called ***maintenance*** ; that is, the crime of officious intermeddling in suits with which one has no concern, for this tends to keep up quarrels amongst neighbours. A man may, without incurring the crime of maintenance, maintain a suit in which he has any interest ***actual*** or ***contingent***, or the suit not only of his child, but also of his near kinsman, servant, or poor neighbour, out of charity and compassion.

470. Liberi vicissim tenentur amorem, honorem, reverentiam et obedientiam præstare parentibus. In honore parentibus debito contineri obligationem iis in eorum necessitatibus temporalibus subveniendi, et manifestum est ex ratione, et ita interpretandum esse quartum decalogi præceptum ipse Dominus noster, Mat. xv. 5, 6, testatur. Lege municip. obligantur liberi parentum pauperum qui aut cæci sunt aut claudi aut senio confecti ita ut laborare non valeant, ad eos sustentandos, et si facultatibus in hunc finem sufficientibus gaudeant, et hoc officium pietatis implere recusent, lege municip. id efficere cogi possunt. Quantitas eodem modo determinatur atque in casu parentum qui liberos sustentare coguntur, et possunt liberi personas parentum defendere, et eos in causis agendis adjuvare.

471. Pater, mater, et tutor ad quem custodia personæ minoris pertinet, possunt si ipsis invitis detineatur, rescriptum [*a writ*] quod *habeas corpus* appellatur ex aliqua ex curiis juris superioribus obtinere, vi cujus ille qui minorem detinet eum coram curia sistere cogetur, et si sit teneræ ætatis patri, matri aut tutori tradetur. Si vero talem ætatem attigerit ut curia ipsum idoneum judicet cui eligendi optio detur, patri, &c., non tradetur, sed ei libere decedere permittetur. Hæc ætas non determinatur in jure, sed plerumque idoneus habebitur si an. 14um compleverit. Si infans non sit legitimus, mater per *habeas corpus* ipsum a patre eripere potest etiam postquam an. septimum compleverit. Per 24 et 25 Vict. c. 100, s. 56, si aliquis illicite aut vi vel fraude sive blanditiis abducet aut detinebit infantem qui nondum an. 14um compleverit, intentione eum subtrahendi a cura parentis, tutoris, aut alterius personæ quæ curam legalem ejus personæ habet, aut animo aliquid ex ejus persona furandi; aut eadem intentione hospitio accipiet infantem quem illicite ablatum fuisse cognoverit, feloniæ reus erit, et aut ad servitutem pœnalem in septem annos damnari poterit, aut in carcerem in duos annos includi. Et per sect. 55 quicumque illicite abducet, aut abduci faciet puellam innuptam quæ 16um an. nondum compleverit, a custodia patris et contra ejus voluntatem, aut a custodia cujusvis qui legalem curam istius personæ habuerit reus erit offensæ minoris [*of a misdemeanor*] et in duos annos in carcerem detrudi poterit. Pater potest etiam suum liberum infantem rationabiliter corrigere, aut hanc facultatem tutori aut ludimagistro delegare, qui tunc circa hoc munus loco parentis constituitur. Quamquam autem mater, patre mortuo et nullo tutore testamentario constituto, jus habet ad custodiam personæ suorum liberorum qui minores sunt, ipsa tamen non potest per testamentum tutorem constituere.

472. Per 3 et 4 Vict., c. 90, Curia Cancellariæ auferre potest custodiam personæ minoris ab ejus parentibus aut tutoribus, si ipse minor convictus et ad pœnam damnatus fuerit propter crimen quod feloniæ reatum habet, et si curiæ placuerit ejus custodiam aliis personis tradere, et parentes cogere potest ut ejus sustentationi et educationi provideant. Præterea infans qui an. 16um nondum compleverit, si convictus fuerit coram aliquo judice aut pacis justiciario et condemnatus in custodiam in spatium haud minus duodecim dierum, potest per dictum judicem aut justiciarium pacis in unam ex scholis ad reformandam juventutem destinatis demandari, ibique per spatium non minus quam duorum neque plus quam quinque annorum detineri. Judex præterea aut justiciarius damnare potest parentem aut vitricum, si facultates habeat, ut summam non plus quam quinque schillingorum singulis hebdomadibus in ejus sustentationem contribuat. In Anglia nova curia pro causis matrimonialibus et divortiis instituta, quando aliqua causa coram ea agitur, potest sive antequam sive postquam decretum in ipsa lite protulerit, de custodia, sustentatione, et educatione liberorum providere; et etiam jubere ut actio fiat de liberis custodiæ Curiæ Cancellariæ tradendis. Deo gratiæ debentur quod hæc curia in Hibernia non existit. Mulier ad officium tutoris constituta per mat. postea initum ipso facto pritur officio, quia tunc sub potestate mariti agere censetur. Excepto casu supra exposito quo custodia minoris qui criminis convictus est a parentibus abstrahitur, Curia Cancellariæ tutorem infantis non constituet excepto casu rarissimo, quando nempe curatoris consensus requiritur ad mat. minoris legitimum reddendum, nisi ipse facultates proprio jure possideat. Cura enim personæ liberorum suorum jure tum nat. tum municip. pertinet ad parentes; sed ut vidimus nullo jure ne administrationis quidem circa bona suorum liberorum potiuntur. Equidem si nullus curator a Curia Cancellariæ constituatur, ut ordinarie fit quamdiu pater aut etiam mater vivit, administratio bonorum infantis naturaliter curam ejus personæ sequitur. Tunc patri vel eo mortuo matri permittitur munus curatoris bonorum infantis suscipere. Potest etiam ex facultatibus infantis impensas ad victum cultum et educationem necessarias deducere. Sed quando minor an. 21um compleverit, patre vel matre exigere poterit rationem omnium lucrorum quæ ex facultatibus ejus percepit, et hæc omnia, deductis impensis necessariis, ei postulare licebit. Insuper antequam an. 21um compleverit potest ipse minor aut quivis alius etiam alienus libellum supplicem Cancellario dare, a quo alius curator bonorum, et causa sufficienti exposita, etiam personæ minoris constitui potest.

Quoniam itaque apud nos administratio bonorum minoris non pertinet ad patrem qua pater est, sed in quantum ei munus curatoris assumere permittitur, de variis curatorum speciebus nunc agendum est.

§ 5. *De variis speciebus tutorum qui ex præscriptis juris municip. apud nos agnoscuntur.*

473. Apud Romanos *tutor* curam habebat impuberum; *curator* autem puberum qui nondum adultam adepti sunt. Apud nos officia tutoris et curatoris non distinguuntur; et octo sunt tutorum sive curatorum species. Sed ex his duæ tantum species plerumque constituuntur, nempe tutor testamentarius, et tutor qui a Cancellario designatur. Ex 12 Car. II., c. 24, pater per factum aut testamentum, præterquam Londinii in ipsa urbe, et in quibusdam aliis civitatibus et oppidis, curatorem tam personæ quam bonorum sive mobilium sive immobilium liberorum suorum constituere potest. Complectitur hoc statutum liberos qui tempore mortis patris nondum nati sunt, et extendi potest tempus tutelæ ad arbitrium patris usque ad an. 21um completum, sed non ultra; et finita tutela, tutor rationem reddituum et emolumentorum reddere tenetur. Mater non potest tutorem testamentarium constituere, neque pater pro filiis non legitimis. Pater etiam antequam an. 21um attigerit tutorem filiorum suorum legitimorum constituere potest per factum, non autem per testamentum.

Non potest pater per testamentum directe religionem filii sui infantis salvam præstare; quia quamvis ipse mandaverit filium suum in religione Catholica educari, Judices custodiam ejus a matre aut ab alio qui jure ad ejus custodiam potitur non auferent, quamvis eum ad fidem hæreticam amplectendam inducat. Si pater nullum tutorem sui infantis constituerit, mater erit tutor nutricia [*his guardian by nurture*] donec an. 21um compleverit. Sed nullum jus habet mater contra tutorem testamentarium ad custodiam infantis postquam an. septimum compleverit; et proinde pater si virum pium et orthodoxum constituerit liberorum suorum tutorem, eorum fidem quantum in ipso est tutam præstare poterit. Quoniam hæc materia est magni momenti, non inutile erit quasdam sententias in tribunalibus nuperrime latas proferre. Quædam puella filia patris acatholici defuncti cujus mater erat Catholica in schola acatholica educata et sustentata erat. Postulavit mater ut puella quæ nondum undecim annos nata est sibi redderetur, et rogatione facta apud Curiam Banci Regii, ibi per mandatum *Habeas Corpus* quod dicitur adducta est matrique tradita sine ulla

quæstione utrum religionem Catholicam amplecti vellet necne. Aliter tamen egisset tribunal si puella an. 14um complevisset; in eo enim casu ipsam interrogasset an vellet se sub tutela matris constituere, religionemque Catholicam profiteri necne, et ad ipsius proprium arbitrium sententiam tulisset. Attamen quoniam mater paupertate laborabat, aliqui acatholici facultates puellæ dederunt, quo facto ipsam sub tutela Curiæ Cancellariæ posuerunt [*made her a ward of Court*], a qua ex complexu matris erepta est et scholæ Protestantium restituta. Judices itaque Banci Regii filios-familias a tutela parentum non abstrahent nisi eos crudeliter tractaverint; sed Curiæ Æquitatis sibi vindicant potestatem in quibusdam casibus accipiendi dona quæ ills liberis pro sustentatione offeruntur, et ex ipso infante etiam teneræ ætatis quærent quam fidem profiteri velit, et si declarat se religionem acatholicam amplecti velle, eum a tutela matris suæ Catholicæ subtrahent. Aliam accipe sententiam Curiæ Æquitatis in Anglia latam. Filius postumus parentum Catholicorum paucis abhinc annis in Ecclesia Catholica baptizatus est. Mater apostata facta religionem Protestantium amplexa est filiumque suum in eadem religione educavit. Post aliquot annos, et antequam puer decimum an. complevit ejus consanguinei Catholici a Curia Æquitatis postularunt ut puer a tutela matris eriperetur, et in fide patris educaretur. Curia interrogato puero de religione quam amplecti vellet, declaravit eum ita imbutum fuisse principiis Protestantismi ut periculosum esset ea perturbare. Tutela itaque infantis soli matri relicta est, a qua in religione acatholica educatus est, eamque fidem professus est. Num eadem lata fuisset sententia si parentes fuissent Protestantes et mater post mortem mariti fidem Catholicam amplexa esset non constat. Dictæ sententiæ Curiarum Juris Comm. et Æquitatis a quibus Judices nunc recedere vix possunt, a Domino St. Leonards citantur—Handy Book of Property Law, pp. 82, 83.

474. Libello supplici dato ad Curiam Cancellariæ, causâ infantis sive legitimus est sive non legitimus, qui nullum alium habet tutorem, modo tamen facultates proprias possideat, ea curatorem ejus personæ et bonorum constituet. Imo quamvis parentes sint inter vivos, aut infans tutorem etiam testamentarium habeat, Curia Cancellariæ ex causa sufficienti alium tutorem personæ et bonorum infantis designabit. Attamen hic tutor nullum statum [*estate*] habet in agris sui pupilli, neque ullum emolumentum ex iis percipere potest, nisi id quod ei in sustentationem et educationem infantis ab ipsa Curia præfinitur. Tutor vero testamentarius statum habet in agris sui pupilli, et eorum dominus ad tempus dicitur. Potest agros ob beneficium sui pupilli locare, aut ipse illos justa annua mercede occupare, et actionem proprio

nomine contra quemvis qui eos illicite ingrediatur intendere. Potest tutor aut testamentarius aut a Curia Cancellariæ designatus locationis instrumentum validum, obtenta tamen approbatione Curiæ Cancellariæ, in spatium XXI annorum concedere. Sed ne tutor testamentarius quidem, sine approbatione Curiæ Cancellariæ, locationis instrumentum concedere potest quod pupillum postquam an. 21um compleverit obliget. Uterque tutor finita tutela rationem non solum damnorum ab ipso tutore illatorum, sed etiam eorum quæ propter ejus negligentiam graviter culpabilem obvenerunt, reddere tenetur. Libellus supplex ad removendum patrem, aut matrem, aut alium tutorem quocumque modo constitutum, vel ab ipso infante si judicio ipse sufficienti præditus sit, vel ab aliquo consanguineo aut amico, vel etiam ab alieno, ad Curiam Cancellariæ dari potest. Quando infans sub tutela Curiæ Cancellariæ constitutus est, nullus actus fieri potest aut circa ejus personam aut facultates sine Curiæ licentia ; et qui hoc præscriptum transgrederetur, v. g. inducendo ut discederet a custodia curatoris, aut ut matrimonium sine consensu Curiæ contraheret, reus esset contemptûs Curiæ, et in carcerem conjiceretur. Si quis duceret pupillam Curiæ Cancellariæ sine ejus consensu, nullam potestatem in facultates uxoris acquireret, et ipsa Curia eas in usum ipsius pupillæ ejusve liberorum disponeret.

475. Idem dicendum est de muliere quæ nuberet pupillo sine consensu Curiæ. Quamvis autem Curia Cancellariæ potestatem habet in personam et bona pupillorum suorum, attamen si pater aut mater pupilli sit inter vivos, Curia Cancellariæ iis committet curam personæ infantis, nisi sint omnino inepti ad hoc munus suscipiendum, et summam annuam in sustentationem et educationem pupilli illis concedet. Et si pupillus sit dives, et parentes aut alii liberi sint pauperes, Curia summam satis liberalem patri aut matri concedet, ex qua ipsi sibi et aliis liberis secundum conditionem suam providere possint. Si vero pater aut mater ex præsumpto consensu filii sui, ex ejus facultatibus ea quæ necessaria sunt ad sui ipsius suæque familiæ sustentationem desumpserit, pupillus quando an. 21um compleverit a patre aut matre omnium bonorum rationem jure exigere potest. Si vero moriatur ante hanc ætatem absque liberis legitimis, omnia emolumenta ejus status immobilis, et omnia ejus bona et catalla ad patrem pertinebunt.

476. Non potest Curia Cancellariæ custodiam personæ infantis a parentibus, aut a tutore testamentario auferre nisi ob gravem causam, puta si pater reus sit magnæ crudelitatis erga suos liberos, aut si impius sit, ebriosus, aliisve vitiis deditus quibus mores liberorum corrumpantur. Quoniam ut vidimus is qui an. 21um non

compleverit, nullam actionem civilem intendere potest, quando talis actio necessaria est aut ad ipsum vindicandum, aut ad possessiones ejus ab injusto possessore obtinendas, Curia Cancellariæ ejus patrem aut tutorem, aut aliquem alium qui ejus causam suscipiat (qui *prochein amy* dicitur) ejus tutorem ad litem designabit. Hic tutor, qua tutor est, nulla potitur potestate aut in personam aut in bona pupilli, et si ipse pupillus non possideat facultates sufficientes ad impensas litis solvendas, tutor ad litem eas solvere obligabitur.

477. Omnis filius ex præscripto juris municip. qui extra mat. validum natus est non legitimus habetur. Ex jure tum ecclesiastico tum civili omnes filii qui extra matrimonium nati sunt per subsequens parentum matrimonium legitimi efficiuntur. In jure nostro nisi matrimonium ante natum filium ineatur is spurius et filius nullius reputatur. Jam diximus custodiam personæ filii spurii pertinere ad matrem, quæ si facultates sufficientes habeat, obligatur quamdiu innupta manet, infantem ut partem suæ familiæ sustentare, donec is an. sextum decimum compleverit, aut ipse jure proprio res ad vitam necessarias comparaverit [*has gained a settlement in its own right*]; aut si sit puella, donec mat. contraxerit. Quando mater matrimonio juncta est, maritus tenetur liberos tum legitimos tum spurios ut partem suæ familiæ sustentare. Si mater innupta filium suum spurium sustentare recuset, potest in carcerem conjici ibique in opera pœnali detineri. Si autem mater facultates sufficientes non possideat, re delata a matre apud magistratum aut ante infantem natum, aut infra annum post, si ipsa aliquem nominatim ut infantis patrem denuntiet, mandatum [*a summons*] obtinebit, quo accusatus citabitur ut aut ipse compareat, aut per advocatum, aut per procuratorem [*attorney*], apud duos aut plures magistratus in comitiis minoribus [*petty sessions*] congregatos. Si his utriusque partis testimonio audito visum sit causam matris confirmatam esse, possunt patrem putativum condemnare ut pecuniam in sustentationem infantis solvat, vel singulis hebdomadibus vel aliis temporibus, aut ipsi matri aut alteri cui commissa est cura infantis, si mater aut mortua sit, aut insana, aut in carcerem detrusa, aut si ob aliam causam non sit idonea ad curam infantis suscipiendam. Et hanc summam si vere sit pater infantis in conscientia solvere tenetur. Si magistratus certam summam singulis hebdomadibus solvi jubeant, solvenda est donec infans aut mortuus fuerit aut an. 13um compleverit, aut mater matrimonium contraxerit. Si vero is quem matrem esse filii sui spurii denuntiat, infra primum annum post infantem natum pecuniam in sustentationem dederit, potest

in jus apud magistratus vocari quovis tempore antequam infans 13um compleverit, ut pecuniam ad filium putativum sustentandum conferre cogatur.

478. Quatenus consensus parentis aut tutoris necessarius sit, ut is qui an. 21um nondum compleverit, aut matrimonio antea junctus non erat, legitimum matrimonium ad præscripta juris municip. contrahere possit, in tractatu de matrimonio dicetur. Hic sufficit dicere patrem, aut eo mortuo matrem consensum præstare posse ut filius legitimus qui ætatem adultam nondum adeptus sit matrimonium contrahat; neque patrem vero neque matrem consensum dare posse vi cujus filius-infans spurius matrimonium ad præscripta juris municip. contrahere possit. In tali igitur casu Curia Cancellariæ aliquem constituet ad consensum requisitum præstandum, aut licentia ad matrimonium illius infantis celebrandum, juramento præstito nullam esse personam idoneam ad talem consensum dandum, concedetur. Neque potest pater filii sui spurii tutorem aut facto aut testamento constituere. Jure non potitur filius spurius ad nomen aut patris aut matris, sed nomen acquirere potest ex communi fama, id est quando hoc nomine vulgo appellatur et cognoscitur. Si pater possessiones filio suo spurio concederet, ipsumque solummodo tanquam suum filium designaret, filius has possessiones vindicare non posset nisi in communi æstimatione filius hujus viri existimaretur. Neque potest filius spurius res immobiles jure hereditario acquirere, neque partem bonorum mobilium ullius consanguinei qui sine testamento mortuus est, quæ ei debita esset, si legitimus fuisset. Potest autem pater aut mater aut alius quivis res sive immobiles sive mobiles filio spurio dare, et ipse potest agros quos aut donatione aut emptione in feudo simplici acquisiverit in feudo simplici abalienare. Sed quamdiu ipse agros retinet eos non possidet in feudo simplici, hoc in sensu quod ipso mortuo ad heredes ejus generales descendere debeant; quia utpote filius nullius, nullos majores, et proinde nullos consanguineos collaterales habet. Si ergo sine liberis legitimis decedat, nulla dispositione valida eorum agrorum facta, ad regem pertinebunt [*they shall escheat to the Crown*]. Similiter omnia ejus catalla realia et personalia ad regem pertinebunt nisi uxorem inter vivos reliquerit, quo casu eorum dimidia pars huic debebitur. Sed hoc præscriptum juris municip. de bonis sive immobilibus sive mobilibus hominis spurii nunquam ad effectum perducitur; sed rogatione supplici ad principem a consanguineis putativis defuncti data, ejus possessiones illis conceduntur eodem modo ac si legitimus fuerit. Secundum leges ad subsidia pauperibus comparanda latas, infans spurius ad

domicilium non patris putativi sed matris pertinet, et donec an. 16um compleverit aut domicilium sibi comparaverit, jure potitur ad res ad vitam necessarias accipiendas in parochia, aut ptochotrophei territorio [*Poor Law Union*] in quo matris domicilium situm est.

479. Parentes filii spurii nullo jure potiuntur ad bona quæ acquisierit. Sed sicut ne filium quidem legitimum sustentare tenentur, qui bona habet propria ex quibus sustentari possit, a fortiore hoc de filio non legitimo tenendum est. Utique tutela personæ filii spurii pertinet ad matrem, sed nullus potest esse curator legalis ejus possessionum nisi fuerit a Curia Cancellariæ constitutus. Bona adventitia sensu supra exposito intellecta ad ipsos infantes sive legitimos sive spurios pertinent; bona vero profectitia patri jure municip. vindicantur.

480. Præscripta juris municip. de hominibus lunaticis aliisque insanis eadem sunt atque ea quæ de filiis-familias exposuimus. Abalienationes bonorum ab iis factæ, nisi dum usu rationis in aliquod temporis spatium potiuntur, prorsus sunt irritæ. Bona autem emere possunt, et si emptio eis profuerit valida habebitur; si vero eis damnosa sit, irrita a tribunalibus declarabitur. Custodia personæ et bonorum sive immobilium sive mobilium hominis insani ex jure municip. vi regii privilegii [*the royal prerogative*] ad principem pertinet. Quum tamen aliquis insania correptus est necessarium non est ad regium privilegium recurrere ut liceat vim necessariam ad salutem tum ipsius insani tum aliorum adhibere; possunt enim necessarii ejus eum privatim domi custodire et in quantum necessarium est coercere. Sed revera lex municip. parum sollicita est aut de filiis-familias aut de insanis qui possessionibus non gaudent, et in his rebus leges omnino emendatione indigent. Quod ad lunaticos attinet qui nulla bona habent, possunt ad arbitrium consanguineorum, aut domi custodiri, aut si domi sustentari nequeunt, in Ptocheum tradi impensis publicis alendi. Custodia vero lunaticorum et insanorum hominum qui facultates proprias habent ex speciali auctoritate regis Cancellario commissa est. Rogatione ipsi facta, Cancellarius mandatum de lunatico inquirendo edi jubebit. Modus procedendi per 16 et 17 Vict., c. 70, et per 25 et 26 Vict., c. 36, constitutus est. Quando aliquis sententia eorum quibus munus cognoscendi de sanitate ejus mandatum est, lunaticus, mentis non compos, aut se suasve facultates curandi incapax declaratur, custodia ejus personæ atque summa pecuniæ ad ejus sustentationem sufficiens solvi jubebitur, et ipse alicui amico committetur, qui ejus custos [*committee*] dicitur sicut Cancellarius ejus *committor* appellatur.

Custodia personæ lunatici raro ejus heredi proximo committitur, quia mors lunatici ipsi lucrum afferret; sed hic heres plerumque curator [*the manager or committee*] status lunatici constituitur, qui rationem ipsi lunatico si postea usum rationis recuperaverit, aut Curiæ Cancellariæ, aut lunatico mortuo, iis qui ejus vice funguntur, reddere obligatur. Insuper per varia statuta præcipitur ut unusquisque qui modo exposito lunaticus declaratus sit personaliter visitetur quater saltem singulis annis, et aliis temporibus ad arbitrium Cancellarii, a personis qui ad hoc munus obeundum constituuntur. Neque potest quisquam duo aut plures lunaticos aut insanos in domum suam recipere ut ibi detineantur, nisi potestas in hunc finem ipsi concessa fuerit a magistratibus in comitiis trimestribus, quæ potestas in singulis comitiis trimestribus denuo postulanda est.

§ 6. *De dominio uxorum, et de actibus legalibus qui inter maritum et uxorem intervenire possunt.*

481. Multis in rebus vir et uxor tanquam una persona a jure municip. habentur, neque potest vir ex jure comm. ullam fere rem uxori suæ abalienare. Hanc ob causam ille dominium retinet etiam gemmarum, vestium aliarumque rerum quas absolute uxori donavit. Nullum pactum quod leges sanciant inter virum et uxorem jure convenire potest, neque potest plerumque actio civilis ab uno contra alterum intendi, et pacta fere omnia inter ipsos ante mat. inita per mat. irritantur. Ratio horum omnium est quod in jure ut una persona habentur. Testamenta ante mat. confecta per mat. ipsum revocantur et irrita efficiuntur. Ex jure comm. neuter testimonium dicere poterat aut pro altero aut contra eum, nisi quando maritus aut Proditionis [*treason*] aut violentiæ erga ipsam uxorem accusaretur, in quibus casibus testimonium uxoris receptum est. Sed per 16 et 17 Vict., c. 83 [*Evidence Amendment Act*, 1853], in omnibus actionibus civilibus, quamquam alterutra pars est in causa tam vir quam uxor compelli potest ad testimonium dicendum sive pro conjuge sive contra eum; nisi actio instituta sit contra uxorem vel maritum propter adulterium, in quo casu neutrius testimonium ad adulterium probandum aut refellendum admittitur. Sed in Anglia quum uxor libellum offert [*presents a petition*] apud novum tribunal connubiis dirimendis [*the Divorce Court*] haud sane improprie appellatum, ad mat. dissolutionem petendam propter viri adulterium cum crudelitate aut derelictione conjunctum, tam vir quam uxor cogi possunt de crudelitate aut derelictione testi-

monium dare. Et quidem jus municip. in hac re quatenus innocentem uxorem a crudelitate mariti defendit, ipsumque quando uxorem inopem et fortasse liberis gravatam deserit, eam sustentare cogit, æquitati omnino consonum est; sed quum vinculum conjugale rumpere attentat, et conjuges liberos ad novum mat. contrahendum declarat, utpote legi nat. et divino contrarium prorsus reprobandum est.

482. Potest tamen maritus uxorem omnium suorum bonorum heredem instituere, quia mat. morte dissolvitur; et etiam dum ipse vivit potestatem ei dare potest personam suam gerendi [*to act as his agent or attorney*]. Uxor soluta est a potestate viri quando non nomine proprio agit neque bona sua alienat, sed agit nomine alterius cujus bona alienandi, distribuendi, &c., potestatem accepit. Sic si Petrus testamento suo potestatem dederit Mariæ Caii uxori agros suos vendendi et pecuniam acceptam in certos usus impendendi, ea hos agros cuilibet, etiam suo marito, vendere potest. Bona itaque quæ alieno nomine possidet alienare potest sive dum superstes est, sive post mortem per testamentum, sed uxori interdicere potest maritus ne tale officium accipiat. Si vero Petrus agros suos Mariæ Pauli uxori etiam in ejus proprium usum et commodum legasset, status legalis ad Paulum pertineret, et a curiis juris comm. ipsi adjudicaretur. Sed quamvis curiæ æquitatis ejus statum legalem agnoscerent, ipsum ut fiduciarium [*trustee*] suæ uxoris haberent, ejque ut dominæ status æquitabilis lucra et emolumenta solvere cogerent. Hæc dicta sunt de *pactis* aliisque *actibus* qui inter virum et uxorem ex legibus intercedere possunt. Nunc exponenda sunt ea quæ in jure nostro de persona et facultatibus uxoris statuuntur, et quatenus pacta cum aliis præter maritum inire possit.

483. Quod attinet ad potestatem in uxoris personam, potest quidem maritus libertatem uxoris restringere si pravis sit moribus, velut si ebriositati dedita sit. Sed nunc non potest eam fustibus aut flagellis cædere, et si ita agat ipsum ad tribunale magistratus citare potest ubi maritus cogetur sponsione se obstringere (*to enter into recognizance*) ad pacem cum uxore servandam. Hac sponsione agnoscit maritus se regi [*to the Crown*] certam summam v. g. centum libras debere, ea conditione ut si coram curia die statuto se stiterit et interea pacem cum uxore servaverit sponsio irrita futura sit. Idem remedium contra violentiam uxoris obtinere potest maritus; sed quoniam sponsio obligat ad modum debiti solvendi, et uxores plerumque nihil habent ex quo solvant, quia ut statim videbimus earum bona ad maritos pertinent, non ipsa uxor sed aliquis vel aliqui ex ejus amicis sponsione obstringi debent.

484. Bona quæ vel ab uxore possidentur quum mat^m. initur, vel postea ei dum mat. subsistit obveniunt, ex rebus immobilibus aut mobilibus constant. Omnes res immobiles quas possidebat uxor quum nupsit, nisi ante mat. in solum usum et commodum ipsius uxoris sepositæ erant [*were limited*], aut post mat. ipsi eodem modo concessæ erant, ab uxore simul cum marito possidentur dum mat^m. subsistit [*vest in the husband and wife during the coverture*]; sed tota potestas, administratio et emolumenta ad maritum pertinent. Non potest vir agros alienare, neque ex jure com. illos locare in majus temporis spatium quam per quod ejus proprium commodum in illis perdurat; sed nunc per 19 et 20 Vict., c. 120, valide illos locare potest in unum et viginti annos quamvis suum ipsius commodum [*interest*] ante terminum desierit. Mortua uxore viri commodum in rebus immobilibus uxoris desinit in Hibernia et Scotia, et in Anglia quoque, nisi forte statum in vitam ex urbanitate, de quo antea diximus, in illis habeat (*a*). Ratio est, quia horum agrorum seisinam jure uxoris habuit, qua mortua hoc jus omnino amittitur, et proinde agri ad heredes uxoris transeunt, vel ad ejus legatarios, si potestate speciali eos per testamentum legandi potita est.

485. Catalla immobilia, i. e. status in agris qui in annos tenentur, quæ uxor tempore mat. possidebat aut postea existente mat. acquisivit, nisi in ejus solum usum et commodum sepositæ erant, immediate marito in pleno dominio tribuuntur, ita ut illis statim tanquam suis uti possit; et etiam ab ejus creditoribus occupari possunt, et si uxori superstes fuerit, ad eum absolute pertinebunt. Non potest tamen ea vivente uxore testamento rite legare, et si ea dum ipse vivit non alienarit, quamvis testamento ea aliis legaverit, ad viduam eodem titulo quo ab initio possidebat revertentur.

486. Catalla personalia quæ habuit uxor quum nupsit, aut quæ post matrimonium acquisivit, nisi legitime in ejus solum usum ordinata erant, absolute ad maritum pertinent. Si uxor non potiatur nisi *jure ad rem* ad aliqua bona [*chose in action*], ut v. g. si habeat jus ad pecuniam mutuam datam, hæc ad maritum non pertinebunt donec eorum possessionem obtinuerit, et si is interim moriatur, ad uxorem pertinebunt, aut ad eos qui vicem ejus gerunt [*her representatives*] si ipsa antequam possessio obtinetur moriatur. Si autem maritus uxori superstes sit, ipse jus habet

(*a*) There is reason to doubt whether, since the Inheritance Act was passed, the husband is entitled by courtesy to the estate which comes to his wife by inheritance. Lord St. Leonards, p. 68.

obtinendi omnium istorum bonorum administrationem, qua obtenta jure ad ipsa bona quæ nondum in possessione sunt potitur. Omnia emolumenta [*interest*] sua futura, excepta ordinatione separata in gratiam ipsius uxoris facta [*a marriage settlement*] de qua infra agemus, concurrente marito ad factum [*the deed*] conficiendam quo status abalienatur [*the estate is conveyed*], hodie uxor valide alienare potest. Bona paraphernalia in jure civili ea erant quæ præter dotem uxor marito attulerat; in jure vero nostro per hæ lectus, vestes, ornamenta personalia intelliguntur. Etiam hæc ad maritum pertinent, et illa dum vivit alienare potest, non vero potest testamento ea legare, et proinde si moriatur iis non alienatis, ad viduam pertinebunt. Sed his paucis quæ nullius fere sunt momenti exceptis maritus non solum liberos sed etiam uxorem per testamentum omnino destitutos relinquere potest, quod satis absonum est, quoniam, ut jam vidimus, dum superstes est illos sustentare tenetur.

487. Si maritus ab uxore discedat sine causa rationabili, per 20 et 21 Vict., c 85, s. 21, et 21 et 22 Vict., c. 108, quæ statuta valent in Anglia; et 28 Vict., c. 43 (19 Junii, A. D. 1865), quod in Hibernia valet, ipsa tutelam pecuniæ aliarumque rerum sibi postquam maritus discesserit obvenientium, aut licita sua industria acquisitarum obtinere potest, vi cujus has tanquam si esset mulier innupta [*a feme sole*] possidebit. In Hibernia causam deferre potest vel ad disciplinæ publicæ præpositum [*a Police Magistrate*], vel ad alios magistratus paci conservandæ in sessionibus minoribus [*Petty Sessions*], vel ad aliquem judicem Curiæ Communium Placitorum, et relictione injusta probata mandatum [*an order*] obtinebit, vi cujus suas ipsa res tanquam si fuerit innupta possidebit; et si aut maritus, aut ejus creditores, aut alii ex jure mariti res uxoris exigentes eas invadat, ad specificam satisfactionem faciendam, et duplum per modum multæ solvere cogentur. Item divortio a mensu et thoro facto (divortium a vinculo in Hibernia a tribunalibus decerni non potest), uxor idem dominium habet quod mulier innupta eorum bonorum quæ ipsi a tempore decreti obvenient, potestque contractus inire, in jus vocare, et actiones intendere. Maritus non amplius ejus debitis solvendis obnoxius est, nisi si quid in alimonium uxoris a tribunalibus decretum fuerit, id non solverit, quo casu ut solvat pro rebus necessariis uxori suppeditatis cogi potest. Uxor in casu prædicto bona sua testamento legare potest, et si moriatur nullo facto testamento distribuentur eodem modo ac si fuerit mulier innupta. Etsi iterum conjunctim vivant bona ab uxore tempore separationis acquisita ad ipsam exclusive pertinebunt, nisi antequam ad conjunctionem vitæ redeant aliter scriptis convenerit.

488. Quod ad contractus attinet, uxor potest eos inire pro rebus necessariis si has maritus suppeditare aut recuset aut negligat, quamvis in eadem domo cum marito habitat, quando enim res uxori necessariæ sunt ejus consensus præsumitur. Hæc præsumptio everti potest ex circumstantiis specialibus, ut si maritus singulos negotiatores moneat ne quid uxori suæ vendant pecunia non præsenti. Sed monitio actis publicis vulgata [*an advertisement in the newspapers*] qua maritus omnes monet se debitis uxoris in posterum obligatum non iri prorsus irrita est, modo res uxori suppeditatæ vere necessariæ sint. Præterea etsi vir et uxor mutuo consensu discesserint, nisi quæ pecunia in necessarios uxoris usus sufficiat rite ex lege comparata fuerit, eique quum debeatur soluta, vel si vir eam deseruerit, aut ei causam legitimam domum ejus relinquendi dederit, ne specialis quidem monitio singulis negotiatoribus data, maritum ab onere solvendi pro rebus uxori necessariis liberabit. Si vero uxor domum mariti sine causa deseruerit aut adulterium commiserit, maritus contractibus uxoris etiam propter res necessarias non obligabitur. Quæ vero res sint necessariæ ex communi æstimatione, habita ratione conditionis, facultatum, &c., mariti computabitur. Si maritus feloniæ convictus deportatus fuerit, aut in pœnalem quam dicunt servitutem damnatus, ejus uxor contractus inire, actiones intendere et judicio persequi potest eodem modo ac si esset mulier innupta. Ex consuetudine speciali quæ Londini in urbe viget potest uxor quæ mercaturam separatim a marito facit, contractus ad hanc mercaturam pertinentes ipsa per se inire.

489. Sed præter hos casus uxor jur. com. neque contractus inire, neque ullum actum *civilem* quo aut ipsa aut maritus in foro civili obligabitur, perficere potest. Quamquam contractus uxoris pro rebus necessariis maritum obligabit, non obligabit ipsam uxorem; ac ne ut debita quidem solvere aut alias obligationes ante matrimonium contractas adimplere cogatur, licet eam in jus vocare, sed necesse est ut actio ipsi simul et marito intendatur qui cum ea in causa defendenda conjungi debet. Insuper si maritus et uxor comprehendantur propter debitum ab uxore ante mat^m^. contractum, possunt curiæ si ita illis videbitur, ipsam nisi facultates in proprium usum et commodum possideat dimittere, marito detento donec debitum persolverit. Ex altera vero parte non potest uxor actionem ad compensationem obtinendam propter injuriam aut in personam aut in facultates illatam intendere nisi de consensu mariti, et nisi nomine tam mariti quam uxoris instituatur. Præterea quum actio

uxori intenditur propter bona aliena in quorum administratione a potestate viri soluta est, actio non contra ipsam solam sed contra ipsam simul cum marito necessario institui debet. Causa publica [*a criminal action*] contra uxorem solam institui potest propter crimina proditionis, mortis alicui ex animo occidendi illatæ [*murder*] aut homicidii haud deliberati [*manslaughter*]; sed aliorum criminum, etsi sunt feloniæ ex legibus, quæ marito præsente ejusque mandato sive expresso sive tacito commisit, accusari nequit. Sed hoc privilegium ad crimina quæ aut marito absente, aut etiam præsente, ipsa uxor propria sponte et ut principalis causa commisit, non pertinet. In hujusmodi rebus nisi ipse maritus particeps criminis fuerit, uxor sola in judicium adduci potest.

490. Neque res immobiles neque mobiles potest fere uxor testamento legare; quoniam mobiles ad maritum, immobiles ad heredes ipsius uxoris post ejus mortem pervenire debent. Si vero maritus ante uxorem moriatur, ipsa quasi mulier innupta fit, et bona sua vel donare, vel vendere vel quo vult modo alienare potest. Hodie etiam per 3 et 4 Guliel. IV., c. 74, potest uxor probante marito [*with concurrence of her husband*], per factum [*by deed*] rite secundum ea quæ in ipso statuto præscripta sunt agnitum, statum suum immobilem, sive in vitam ipsius sive in feudo tenetur abalienare, eodem modo ac si esset mulier innupta; et si status cujus ipsa sola aut ipsa et maritus seisinam habent, sit talliatus, tallium, consentiente marito, eo modo quo supra exposuimus auferri potest. Factum agnosci necesse est coram aliquo ex judicibus curiarum superiorum, aut coram duobus ex iis qui ad hujusmodi facta agnoscenda constituti sunt. Ante agnitionem uxor seorsum examinanda est ab eo apud quem factum agnosci debet, ut exploratum habeat consensum uxoris esse omnino liberum; aliter factum rejicitur, et nullum vim ligandi uxorem habet. Si autem constet consensum uxoris omnino liberum fuisse, hoc publice [*officially*] in extremo facto aut in margine ejus adscribitur. Testimonium hujus rei literis mandatum [*a certificate*], servatis conditionibus quæ a statuto præscriptæ sunt, in tabulas Curiæ Comm. Placit. refertur. Donec hoc efficitur, factum nullum habet effectum qui ad uxorem pertineat, sed postquam dictum testimonium in tabulas relatum fuerit, factum abalienationis [*the deed of conveyance*] ipsam obligat a tempore quo agnitum erat. Curia supra dicta potest etiam ex rationabili causa soli uxori potestatem dare agros per factum abalienandi sine consensu mariti, et tallium eodem modo auferendi, aut quidvis aliud perficiendi quod marito probante perficere posset, modo per

actum uxoris jura ipsius mariti ne violentur. Potest uxor statum emere sine consensu mariti, et abalienatio ipsi facta valida est nisi a marito irritetur; sed mortuo marito potest vidua non obstante prævio consensu mariti contractum irritare, et nisi aliquo modo dum vidua permansit illum confirmaverit, etiam per ejus heredes irritari potest.

491. Hæc sunt quæ in *jur. com.* de uxoribus statuta sunt, sed Æquitas permittit ut statum proprium et a potestate mariti omnino immunem aut in agris aut in aliis cujuscumque generis facultatibus possidere possit; et talem statum de facto accipiet si auctor muneris distincte declarat eum in solum et separatum usum uxoris destinari. Talis status in proprium solius uxoris usum plerumque fiduciariis constitutis tutus redditur. Fiduciarius dominium habet status legalis, non autem status æquitabilis. Si vero status æquitabilis sive immobilis sive mobilis non in solum usum uxoris sepositus esset, ad maritum pertineret eodem modo ac si esset status legalis. Attamen quoniam curiæ juris com. hunc statum non agnoscunt, maritus eum vindicare nequit nisi in curiis æquitatis, a quibus nisi uxor aliunde pecuniam habeat quæ necessarios sumptus suppeditet, aut nisi ipsa sua sponte consentiat ut marito tradatur, facultates quæ sufficiant in omnes usus tum uxoris tum etiam liberorum, si qui sint, ut habeatur copia independens [*an adequate independent provision*] ex hoc statu largiri cogetur; non quidem directe sed indirecte, quia nisi hoc faciat ejus jus ad statum æquitabilem ipsi non vindicabunt. Quin immo quamvis nullus fiduciarius hujus status constitutus est, et proinde nullus status æquitabilis distinctus a statu legali de facto existit, et maritus statum possidet, attamen quando constat voluntatem ejus a quo status donatus erat fuisse ut status separatus in ipsam uxorem conferretur, æquitas statum separatum et a potestate mariti liberum uxori adjudicabit, et ipsum maritum, quando hoc necessarium erit ad fidei-commissum stabiliendum, ut fiduciarium uxoris habebit. Sic si quis vestes, horologium, et ornamenta personalia uxori alicujus donet in proprium et solum ejus usum et commodum, hæc omnia jure com. ad maritum absolute pertinebunt, et in æquitate ad solam uxorem, et si maritus hæc vendere aut abstrahere attentet, uxore nolente, curia æquitatis eum ut dominum status legalis tantum, et ut uxoris fiduciarium habebit, statum vero æquitabilem, et proinde vestes, &c., uxori vindicabit: et ipsa mortua nullo testamento facto non ad maritum sed ad eos qui in vicem uxoris successerint tradentur. Similiter si agri uxori ejusque heredibus donentur in proprium ejus solius

usum et commodum, maritus solummodo statum legalem habebit in æquitate, a qua ut fiduciarius uxoris habebitur, et ad eam solam ejusque heredes ipse status ejusque administratio pertinebit. Sed maritus non cogetur uxorem sustentare quum ipsa facultates habeat quæ necessarios sumptus suppeditent.

492. Non solum alii sed et ipse maritus potest statum separatum in gratiam suæ uxoris creare. Donationes etiam directo factæ inter virum et uxorem, debitis conditionibus servatis, validæ sunt in æquitate, et uxor facultatibus in solum suum usum et commodum potitur, et actionem de his facultatibus contra maritum intendere potest, et similiter maritus eam potest in jus vocare. Statum suum separatum uxor ad arbitrium alienare potest, eum donando, vendendo, et alios contractus circa eum ineundo; et sive verbis sive scriptis sive facto ineantur ipsam obligabunt in iis circumstantiis in quibus virum quemvis obligarent. Sed instrumentum formale quo status ejus realis abalienatur a fiduciariis confici debet. Quando vero status in usum proprium uxoris donatur, non raro clausula inseritur vi cujus dum mat^m^. subsistit eum alienari prohibetur, et hæc clausula valida est, non obstante generali juris præscripto quo ea omnia quæ impediunt et prohibent ne bona abalienentur irritantur.

493. Syngrapha [*the bond*] uxoris sive per ipsam solam sive per ipsam et maritum vel alium confecta ejus statum separatum alligabit, et quamvis ejus corpus ob debitum comprehendi nequit, bona ejus per actionem contra eam ejusque fiduciarios institutam obligari possunt. Obligationes quibus status mobilis separatus uxoris oneratur, etiam reditus, lucra, et emolumenta status immobilis separati attingunt, et ejus fiduciarii hæc ad solvenda ista debita impendere tenentur. Sed quamvis uxor statum suum immobilem separatum ad arbitrium abalienare aut onerare potest, et hi actus in curiis æquitatis valebunt (nisi expresse statum abalienare prohibeatur), attamen neque ipsa neque ejus fiduciarius cogi potest eum aut abalienare aut in vado mortuo oppignerare, sed solummodo reditus et emolumenta in debitorum solutionem impendere. Et quamvis ut vidimus mulier non solum statum suum sive immobilem sive mobilem qui in proprium suum commodum separatum devincitur ad arbitrium suum solum abalienare potest, sed et omnem alium statum sive immobilem sive mobilem, quo aut ipsa sola aut ipsa simul cum marito potitur, et omnia emolumenta futura quæ ad ipsam per modum reversionis pervenire debent, marito probante alienare potest; attamen hoc præscriptum juris vim non habet quando

agitur de statu mobili qui in sustentationem uxoris post mortem viri constitutus est per ordinationem [*a settlement*] aut tempore mat. factam, aut postea vi pacti tempore mat. initi. Itaque si Petrus intuitu mat. inter Caium et Annam contrahendi, fenus pecuniæ quam fide publica mutuam dedit, Caio in vitam suam, eo vero mortuo Annæ in vitam suam concesserit, et post hujus mortem sortem inter eorum liberos dividi jusserit, Anna abalienare non poterit statum suum qui ei per modum residui, mortuo marito conceditur, quamvis eam abalienare expresse non prohibeatur. Uxor quæ etiam statum separatum in proprium suum commodum possidet cogi non potest quidquam in suam ipsius sustentationem conferre, et in iis quæ ad hunc statum pertinent intendere potest actionem contra maritum, et maritus vicissim contra uxorem.

§ 7. *De tabulis nuptialibus quæ a viro in gratiam uxoris sive ante sive post mat. conficiuntur* [of marriage settlements], *et de pactis initis quum inter virum et uxorem mutuo consensu separatim vivere convenit.*

494. Apud Romanos pacta de bonis fortunæ inita, dotis tabulæ appellabantur, sed jam data occasione monuimus (n. 319) hæc pacta prorsus diversa esse ab iis quæ eadem occasione apud nos ineuntur. Ipsum verbum dotis qua significabantur bona quæ marito attulit uxor occasione mat. minime aptum est ad designanda pacta maritalia quæ apud nos obtinent, et ideo ab ejus usu omnino abstinendum esse duximus. Ante celebratum mat., quando facultates sponsi ad hoc sufficiunt, usu receptum est apud nos, ut pars quædam ex ejus bonis propriis in solius uxoris usus destinetur. Plerumque vero hoc sic fit ut quoddam vectigal annuum [*a rent charge*] in agros mariti in commodum uxoris solius imponatur, quod fiduciariis ad id constitutis ipsi tutum redditur quamdiu vir et uxor vixerint. Hoc vectigal *pin money* appellatur. Eodem instrumento alius status reditus ab uxore per ejus propriam vitam quotannis percipiendus, si marito superstes fuerit, subsidio etiam fiduciariorum constituitur. Hic reditus quo uxor non fruitur antequam maritus decesserit, vice doarii datur, et *jointure* appellatur. Quando res ad vitam necessariæ sic a sponso pro uxore futura comparantur, fit fere ut sponsa vicissim si dotem pecuniariam possideat, eam viro tradat. Alia multa quæ ad hanc materiam pertinent supra ubi de doario et de dominio uxorum, explicavimus. Ordinationes intuitu mat.

fieri possunt non solum ante sed etiam postquam mat. initum est. Quum ordinatio fit ante mat. in jure municip. fieri censetur ob pretium æstimatione dignum [*for valuable consideration*], ob futurum mat. nempe, et ideo impugnari nequit etiam ab iis quibus maritus aliquid debebat antequam confecta fuit, sed valida et firma contra omnes sive mariti sive uxoris creditores permanet. Evidens est per hoc juris præscriptum viam ad fraudes patefactam esse. Si uxor vectigal illud quod *pin money* appellatur dum maritus vivit non exigat, eo mortuo nonnisi quanta pecunia in annum debetur exigere potest. Conventiones quæ intuitu mat. ineuntur nullius sunt roboris nisi scriptis mandantur; sed si summa et conditiones in scripto instrumento contineantur partes suis promissis stare cogentur. Petrus scripsit ad Caium qui mat. cum Anna filia Petri contrahere voluit, se mille et quingentas libras in dotem Annæ daturum. Postea aliis literis hoc promissum revocavit. Iterum vero per colloquium promisit se conditionibus in primis literis contentis stare paratum fore. Matrimonio celebrato dotem solvere recusavit, sed tribunalia eum ad pecuniam promissam solvendam obligarunt (*a*). In alio casu Sylvius dum agebatur de filia sua Maria Jacobo in matrimonium danda instrumentum subsignavit quo promisit se duo millia librûm Jacobo daturum si mat. cum Maria contraxisset. Ante mat. jussit Mariam suasionibus et illecebris syngraphum ex Jacobo elicere, idque sibi tradere et hoc facto mat. cum Jacobo contrahere. Hoc fecit Maria, sed curia æquitatis Sylvium ad dotem solvendam obligavit; quia syngraphum fraude obtinuisset et dilacerasset (*b*).

495. Ordinatio facta a marito in gratiam uxoris postquam mat. initum est plerumque *voluntaria*, seu non facta ob pretium æstimatione dignum censetur. Si hæc ordinatio res immobiles respiciat a marito destrui potest; namque si agros qui vectigali in gratiam uxoris onerantur vendat ob pretium æstimatione dignum, venditio erit valida, et ordinatio in gratiam uxoris irrita fiet, quamvis emptor cognoverit ordinationem ex his agris ob commodum uxoris factam fuisse. Tabulæ nuptiales a viro in gratiam uxoris post matrimonium confectæ, sive bona immobilia sive mobilia respiciunt, nullam vim habent contra creditores quorum in ære maritus fuit tempore ordinationis, nisi aliunde facultates sufficientes ad debita sua solvenda habuerit: ac ne contra eos quidem valent quibus nonnisi post ordinationem aliquid debe-

(*a*) Ap. Lord St. Leonards, Handy Book, p. 109.
(*b*) Ap. eund. pp. 109, 110.

tur, si judicetur ordinationem voluntate eos defraudandi initam esse. In quibusdam tamen casibus tabulæ nuptiales post mat. a marito ob pretium æstimatione dignum confici reputantur; velut si fiant vi pacti ante mat. scriptis consignati; vel ea conditione ut marito tradatur status qui secundum æquitatem ad uxorem solam pertinere debuerit; vel propter novam dotem marito a necessariis uxoris solutam.

496. Sponsa facultates suas, quarum plenum dominium retinet, alienare potest usque ad ultimum momentum ante mat.; sed quoniam onera mariti juribus ejus maritalibus compensari debent, abalienatio erit irrita ex jure municip., si in fraudem mariti facta reputetur. Fraudulenta vero censebitur si dum de pactione nuptiali agebatur abalienatio inscio sponso facta fuerit. Sed abalienatio, aut alia ordinatio facta a muliere ante mat. impugnari nequit nisi ab eo qui maritus designatus [*intended husband*] fuit quum instrumentum abalienationis confectum est. Maria dum de mat. ipsam inter et Lucium agebatur, hoc approbante, omnes suas facultates in proprium suum commodum ordinavit. Paucis post diebus Caius Mariam rogavit ut mat. secum contraheret, et proximo die dolose ei ut hoc faceret persuasit. Caius vero prorsus ignorabat Mariam facultates suas jam in suos proprios usus ordinasse, quo cognito factum [*a deed*] a Maria obtinuit quo ea ordinationem revocavit. Hoc autem factum utpote per duritiem [*by duress*], id est auctoritate et metu mariti obtentum, irritum declaratum est. Quinimo quum Anna dum de suo mat. cum Julio agebatur, per factum facultates suas, accepto pretio, Jacobo abalienasset, judicium latum est eam instrumento obligatam esse; et libellus supplex quo Julius petebat ut factum Annæ irritum pronunciaretur a Curia Æquitatis rejectus est. Contractus ad mat. pro aliquo obtinendum irritus est, et pecunia vi talis contractus accepta in Curia Æquitatis recuperari potest.

497. Aliquando inter virum et uxorem pacto convenit ut separatim vivant, nullam molestiam inter se facessentes, et ut restitutionem jurium conjugalium ne petant. Fiduciarii ex parte uxoris plerumque constituuntur, quibuscum pactum init maritus quo se obligat ad facultates suppeditandas quibus uxor res ad vitam necessarias obtinere possit; et illi vicissim se obligant ad maritum ab uxoris debitis, et a vectigali annuo, si quod in ejus commodum ordinatum fuerit, et a dotario indemnem præstandum. Talia pacta a curiis tam legis quam æquitatis valida habentur, et jus uxoris ad facultates concessas ab iis vindicabitur, quamdiu ipsa conditionibus steterit; et

nisi aliud convenerit ne per adulterium quidem jus suum amittet. Hæc tamen pacta nisi ex amore Dei et ad vitam religiosam degendam, aut ex causa gravissima ineantur, sunt prorsus illicita, ut docet Apostolus : " Iis qui mat. juncti sunt præcipio non ego sed Dominus uxorem a viro non discedere." 1 Cor. vii. 10.

DISPUTATIO VIGESIMA QUINTA.

DE DOMINIO PUBLICO QUOD IN NOSTRA REPUBLICA AD LEGIS MUNICIP. PRÆSCRIPTA VIGET.

§ 1. *De variis significationibus in quibus dominium publicum accipitur.*

498. Non hic loquimur de dominio alto, de quo satis supra diximus. Hic inquirimus de iis bonis quorum dominium ad privatos cives non pertinet, quæ in bonum publicum destinantur, et sub dominio ipsius communitatis constituuntur. Jus civile (Inst. 11. 1.) distinguit inter bona publica et bona communitatis; quam distinctionem quamquam non omnino in eodem sensu nos amplectemur. Agemus itaque 1. de dominio totius reipublicæ, et 2. de dominio variarum communitatum inferiorum civilium quæ corpora, sive ut antiqui jurisperiti dicunt, corpora *corporata* [*Corporations*] appellantur.

499. Jam vidimus rempublicam esse dominii capacem. Nunc inquirimus quatenus titulo dominii res aliquas reapse possideat. Dominium publicum, ut bene notat Carriere (*a*), significationibus valde diversis accipitur. Aliquando enim ea ad dominium publicum pertinere dicuntur, quorum usus omnibus civibus communis est, et a quorum usu nullus civis juste excludi potest, ut viæ publicæ, pontes, &c.; aliquando ad ea objecta restringitur quæ titulo dominii proprietatis ad totam rempublicam pertinent. Præcipua objecta dominii publici quale apud nos viget secundum primam significationem breviter indicabimus. In viis vero dominium soli super quod via sternitur ab ejus usu distinguitur. Solum ad dominum agrorum per quos via sternitur pertinet, usus ad omnes cives. Aliquando per statuta Parlamenti quæ quosdam tantum locos respiciunt, curatoribus quibus cura viæ publicæ assignatur, potestas vectigal a viatoribus exigendi conceditur. Sed hi non habent dominium viæ aut etiam ejus usus, sed solum-

(*a*) De Just. n. 67.

modo jus vectigal exigendi, quo soluto neminem ab usu viæ excludere possunt. Dominium soli quod ad eos per quorum agros via sternitur jure pertinet, tantum verbo existit quamdiu via publica manet, quoniam ii neque ad suum privatum commodum illud convertere possunt neque aliquem ab ejus usu excludere. Neque habet ipsa respublica dominium stricte dictum hujus viæ; non soli quod, ut jam diximus, ad dominum privatum pertinet; ac ne usûs quidem, quia nullum civem ab usu viæ publicæ excludere potest. Circa hujusmodi res, respublica solummodo dominio jurisdictionis potitur; quod attinet vero ad proprietatem, dominium usûs est in communitate negativa, inter ipsos reipublicæ cives, in communitate vero positiva est, quum de alienis agitur, qui ab ejus usu juste excludi possunt.

500. Alia objecta ab auctoribus vulgò dominio publico ascribuntur, ut flumina navigabilia, sinus maris, littus maris, arces munitæ, et denique ea omnia dominii humani objecta quæ ex sua natura a dominio privatorum subtrahuntur. Sed ex his littus maris jure naturali capax est dominii privati, et quamvis jure nostro pars littoris, quatenus maris æstus accedit, ad principem pertinet, non solum potest civi privato concedi, sed de facto non raro ad privatos titulo dominii, ex concessione tamen principis, pertinet. Arces etiam munitæ sunt jure naturali dominii privati capaces, sed apud nos non licet eas construere nisi facultate a principe accepta. Olim hæc facultas aut accepta aut usurpata erat a nobilibus, a quibus plebs gravissime opprimebatur; "tot enim (erant) reges seu potius tyranni quot domini Castellorum" (*a*). Sed potestas hoc privilegium concedendi ad dominium non proprietatis sed jurisdictionis pertinet, neque regi permittitur illud sine consensu Parlamenti concedere. Arces privatæ munitæ nusquam fere nunc existunt; sed quando olim extiterunt ad dominos suos privatos titulo dominii pertinebant. Arces publicæ munitæ verbo tenus pertinent ad principem, sed revera dominium earum sensu statim exponendo habet respublica. Aqua sive fluminis sive sinûs maris ut supra vidimus titulo dominii ad neminem pertinet; sed dominium terræ sub flumine, aut in fundo sinûs maris, et ora maritima a jure municip. aliquando reipublicæ, aliquando privatis ascribitur. In fluminibus non navigabilibus solum in fundo fluminis ad eum pertinet qui riparum dominium possidet, vel si ripæ ad diversos dominos pertinent, unusquisque dominium a sua ripa usque ad medium alvei habet. Solum vero fluminis naviga-

(*a*) Gulielmus Neoburgensis; cf. Steph. vol. 2. p. 520.

bilis, saltem quatenus æstus accedit, ad principem pertinet, sicut et solum in fundo sinûs maris et littus quatenus æstus maris accedit. De dominio insularum quæ aut in fluminibus aut in mare natæ sunt, et etiam de dominio soli per alluvionem deperditi, aut per recessionem maris efformati, infra ubi de modis dominium acquirendi, agetur. Interim hic observare sufficit quum dominium horum principi attribuitur, idem de iis statuendum esse atque de terris dominicalibus regis, de quibus statim tractabimus. Sed neque hæc neque arces munitæ sunt sicut viæ publicæ et alia hujusmodi in communitate negativa inter cives, sed titulo dominii stricte dicti ad rempublicam pertinent propter bonum commune, et cives privatos respublica ab iis excludere potest. Et idem dicendum est de omnibus illis rebus quas in usus privatos convertere non permittitur, ut statim explicabitur. Facultas piscandi in fluminibus navigabilibus olim a regibus in suos proprios usus vindicabatur, sed hoc privilegium per Magnam Chartam Joannis regis abrogatum est. Hæc tamen libertas regia [*royal franchise*] nomine liberæ piscationis [*of a free fishery*] adhuc a quibusdam subditis vindicatur, ut jam exposuimus. Seclusis locis in quibus tale viget privilegium, jus piscandi in fluminibus navigabilibus, sicut et in sinibus et in iis oceani partibus quæ jurisdictioni reipublicæ subjiciuntur, nemini civi denegari potest, et proinde sicut viæ publicæ, hæc omnia in communitate negativa sunt inter ipsos cives, et in positiva respectu alienorum qui juste ab iis excludi possunt. Idem dicendum est de navigatione in eisdem maris partibus. Sed exclusivum privilegium piscandi et navigandi in prædictis locis civibus uniuscujusque reipublicæ non jure nat. sed gentium vindicatur. Neque hujusmodi res sive usus possidentur a republica titulo dominii proprietatis, sed jurisdictionis.

§ 2. *De dominio publico stricte dicto, et de vectigali regis ordinario.*

501. Dominium publicum stricte sumptum nonnisi ea objecta complectitur quæ titulo dominii proprietatis ad totam rempublicam pertinent. Objectum hujus dominii constat ex omnibus rebus et bonis, quæ dominio humano subjici possunt, et quæ dominos privatos non habent, sed toti reipublicæ ob bonum commune titulo dominii proprietatis adnectuntur. Dico *objectum* dominii publici, quia ex leg. municip. præscriptis respublica apud nos nullum habet dominium ; omnia enim bona quæ titulo dominii proprie dicti ad rempublicam pertinent soli principi adscribuntur. Hinc arces munitæ, castella publica, naves bel-

licæ et onerariæ publicæ, loca publica ubi naves in usum reipublicæ construuntur, armentaria publica, arma, ipsaque vestimenta nautarum et militum titulo dominii principi attribuuntur. Ideo bona publica ejus dominio ascribuntur, quia secundum constitutionem reipublicæ ad ipsum solum pertinet leges executioni mandare, bellum indicere et pacem inire. Sed revera hæc potestas a ministris regiis exercetur, qui resistere nequeunt voluntati majoris partis senatus inferioris a quo solo pecunia ad impensas publicas necessaria obtineri potest. Quamquam ergo dominium bonorum reipublicæ principi ascribitur, is non modo eorum verus dominus non est, sed ne potestate quidem ea administrandi potitur. Dominium proprietatis possidet respublica, dominium administrationis ministri principis, qui revera a senatu inferiore constituuntur.

502. Vectigal regium [*the royal revenue*] olim duplicis erat generis, *ordinarium* et *extraordinarium*. Prius constabat ex iis vectigalibus quæ inde ab antiquissimis temporibus [*time out of mind*] ad reges pertinebant. Sed quoniam quædam ex iis subditos nimis urgebant alii reditus ad hæc redimenda a Parlamento principibus concessi sunt. Vectigal ordinarium præcipue proveniebat, 1. ex fructibus *terrarum dominicalium regis* [*the demesne lands of the Crown*]; 2. ex privilegio quod habuit rex emendi ante omnes alios, etiam sine consensu domini, alimenta sibi suisque comitibus necessaria pretio constituto ab æstimatore, et ex lucris ex tenuris *militaribus* perceptis; 3. ex multis in curiis silvæ [*in the forest courts*], et in curiis justitiæ ordinariis impositis; 4. ex jure ad pisces regios, ad thesauros, ad jumenta errantia, et ad bona aut naufragio deperdita, aut a furibus in fuga projecta; 5. ex regiis fodinis; 6. ex bonis caducis et confiscatis propter scelera; et 7. ex custodia mente captorum. Sed ex his fontibus nullum fere vectigal nunc a principe derivatur. Terræ dominicales olim erant amplissimæ, et magnum vectigal ex iis percipiebant principes, sed prodigalitate et injustitia principum, et præsertim Gulielmi III. qui eas suis aulicis Batavis elargitus est nullus fere reditus hodie ex iis percipitur. Potestas abalienandi agros qui ad principem ob bonum publicum pertinebant ab illo satis absurde per 1 Ann. st. 1, c. 7, s. 5, adempta erat, quia jam abalienati erant, et totum vectigal quod ex iis perceptum est intra annum qui desiit die 31 Martii, A. D. 1868, solummodo libb. Anglic. 345,000, effecit. Horum agrorum ne ipsa quidem administratio ad principem nunc pertinet, sed quibusdam curatoribus prædiorum publicorum [*the Commissioners of Woods, Forests, and Land Revenue*] conceditur, qui eos ob commodum reipublicæ et ejus

nomine administrant. Tenura militaris, et jus prædictum emendi res principi et ejus comitatui necessarias Stat. 12 Car. II., c. 24, abrogata erant, et loco lucrorum ex his perceptorum tributum concessum quod ab iis qui vendebant liquores quosdam potandos solvendum erat (*a*). Sed quum Victoria regnare cœpit statutum est ut quamdiu ipsa regnaret hoc vectigal a principe non perciperetur. Curiæ Silvæ a longo tempore omnino in desuetudinem abiere, et lucra quæ ex multis in curiis justitiæ ordinariis impositis percepta erant, ad alios usus convertuntur, ita ut nihil fere ex iis in ærarium nunc conferatur.

503. Jus ad pisces regios, thesauros, jumenta errantia et ad bona aut naufragio deperdita, aut a fure in fuga projecta quæ *bona waivata* in jure nostro appellantur, per exceptionem regi vindicatur, quia omnia prædicta inter *bona vacantia* computantur, quæ secundum regulam juris generalem ad communitatem negativam revertuntur, et ad primum occupantem pertinent. Pisces regii sunt balænæ et acipenseres [*sturgeons*] qui si in litus projecti sint aut prope oras maritimas capti a principe vindicari possunt. "De sturgine observetur quod rex illum habebit integrum; de balena vero sufficit, si rex habeat caput, et regina caudam" (*b*). Cygni dicuntur esse aves regiæ, et ideo quando eorum dominus inveniri non potest, ad principem pertinere dicuntur. Sed quamvis princeps hæc jure vindicare possit, revera tamen nunquam vindicat, neque ullum emolumentum ex iis aut princeps aut fiscus derivat. De bonis naufragio deperditis et de thesauris infra, ubi de titulo inventionis, disseremus; sed de facto nullum lucrum nunc ex his rebus aut a principe aut a fisco percipitur. *Bona waivata* sunt ea quæ abjiciuntur a fure in fuga ne comprehendatur. Si dominus bonorum furem debita diligentia prosecutus fuerit, quod *making fresh suit* appellatur, aut si postea furem sive per se sive per alios testes arguerit et convicerit, bona sua ipsi restituentur. Etiamsi dominus nihil horum fecerit, si ipse, etiam post viginti annos, bona sua occupaverit antequam in usum regis comprehendantur, ei concedentur. Insuper nisi fur bona secum tempore fugæ portabat domino reddenda sunt; et mercatores extranei a lege de *bonis waivatis* eximuntur, et proinde quamvis a fure quem ipsi prosecuti non sunt in fuga projiciantur ipsis mercatoribus restituenda sunt. Per jumenta

(*a*) This hereditary excise was fifteen pence per barrel (36 gallons) on all beer and ales sold in the kingdom, and a proportionable sum for certain other liquors. But the hereditary duties of excise on beer, ale, and cider were by 1 & 2 Vict., c. 2, agreed to be given up during the present reign.

(*b*) Ap. Steph. vol. 2. p. 465.

errantia [*estrays*] intelliguntur animalia æstimatione digna quorum dominus inveniri non potest. Proclamatio de inventione hujusmodi animalis necessario fieri debet in ecclesia parochiali et in duobus oppidis nundinariis quæ proxime absunt a loco ubi inventum est, et nullum dominium in illo acquiritur, donec integer annus et unus dies quoque confecti fuerint ex quo inventum est. Revera nullum emolumentum ex bonis waivatis aut ex jumentis errantibus aut a principe aut a fisco nunc acquiritur.

504. Metalla auraria et argentaria *regia* appellantur et regi vindicantur; metalla vero æraria, ferraria, stanni et plumbi quamvis aurum aut argentum in iis inveniatur ad regem non pertinent, sed rex, aut alii fodinas regias ex concessione regis sibi vindicantes, metallum crudum [*the ore*] exigere possunt, soluto pretio metalli vilioris quod continere dicitur, quamvis nullum aurum aut argentum cum eo commixtum inveniatur. Sed revera jus ad metalla auraria et argentaria exercenda plerumque subditis concessum est, et non multum ex hoc fonte a rege percipitur. In Australia ubi præcipue aurifodinæ in Imperio Britannico inveniuntur vectigal haud magnum a gubernio coloniæ, ad impensas publicas ipsius coloniæ suppeditandas in aurum ex fodinis erutum imponitur. Neque potest princeps aut is cui facultatem hæc metalla exercendi [*franchise*] concessit, metallum crudum stanni, ne quidem soluto istius metalli pretio, in comitatibus Devoniæ et Cornubiæ exigere.

505. Olim principes magna lucra ex bonis confiscatis et ex hereditatibus quæ proper delictum tenentis regi obvenerunt percipiebant; sed vix quidquam ex his fontibus nunc derivatur. Qui enim bona alicujus momenti possident raro *feloniæ* (*a*) rei sunt, et etiam quando propter hoc crimen pœnis condemnati sunt, princeps jure potitur confiscationes et *eschætas* quæ ipsi obveniunt heredibus sontis remittendi, quod nunc fere semper evenit. Conqueritur insuper Blackstone (*b*), confiscationes propter feloniam privatis per modum libertatis regiæ [*of a royal franchise*] concessas fuisse, quod fiebat contra propositum ex quo instituebantur. Sed neque privati ex his fontibus quidquam emolumenti percipiunt. Loquimur autem hic de *eschætis* quæ in dominos propter scelus imponuntur, quia alia est species *eschætæ propter defectum sanguinis*, quæ ad præsens nostrum institutum

(*a*) Cf. in procem. ubi significatio hujus vocis exponitur.

(*b*) Vol. 1. p. 302. "The city of London Corporation, by virtue of ancient charters, claims the right to all goods of felons convicted within their jurisdiction." Steph. vol. 4. p. 546 n. *k*.

non pertinet. Sed de confiscationibus, et de hereditatibus quæ a tenentibus amittuntur sive ob delictum tenentis sive ob defectum sanguinis, ubi de titulis quibus dominium rerum acquiritur, agendum erit. De custodia eorum qui mente capti sunt jam egimus alio sub respectu; olim inter fontes vectigalium regis computata erat, sed nihil ex hoc fonte nunc a principe aut a fisco percipitur.

506. Quando ex supradictis fontibus impensæ ordinariæ tum principis tum reipublicæ derivabantur, nulla distinctio facta est inter pecuniam in usus reipublicæ, et in usum et commodum ipsius principis destinatam; et princeps omnium pecuniarum dominio potitus est cum obligatione onera publica sustentandi. Cuncta vectigalia annua regnante Elizabetha efficiebant lbb. 600,000; regnante Carolo I. lbb. 800,000; regnante Carolo II. lbb. 1,200,000; ex qua summa lbb. 800,000 in exercitum et classem quotannis impendebantur. Vectigal ex eisdem fontibus regnante Jacobo II. ad lbb. 1,500,000 quotannis pervenit. Aliud etiam vectigal ex portoriis perceptum quod lbb. 400,000, singulis annis reddidit ipsi regi a Parlamento concessum erat. Sed lbb. 1,100,000 quotannis in exercitum et classem impendebantur; et proinde nonnisi lbb. 800,000 quotannis ad omnes alias expensas tam publicas quam privatas principis restabant.

§ 3. *De vectigali regis extraordinario.*

507. Vectigal *extraordinarium* principis est illud quod neque ex fontibus ordinariis neque ex tributis concessis loco quorundam ex iis, sed ex aliis tributis in cives impositis derivatur. Hoc vectigal extraordinarium appellatum est, quia in antiquis temporibus, nonnisi ob aliquam peculiarem necessitatem, et præsertim ad bellum gerendum principi concessum erat. Sic decima pars bonorum mobilium subditorum ejus Hen. II. concessa erat ad *bellum sanctæ crucis* in Palestina contra Saracenos gerendum; sed obtenta pecunia rex promissum suum nunquam implevit. Quamvis vero portorium Jacobo II. concessum ut vectigal extraordinarium haberi potest, maxima tamen pars pecuniæ necessariæ ad impensas publicas reipublicæ et privatas principis subministrandas ex vectigalibus hereditariis, aut ex aliis eorum loco concessis percepta est. Post rerum vero publicarum commutationem, A. D. 1688 factam Gulielmus III., qui expulso socero Jac. II. regnum occupavit, patrimonium principum dissipavit; et bellum fere sine intermissione gerendo rempublicam maximis debitis oneravit. Patrimonium enim regis ob causas allatas non solum

omnino insufficiens erat, sed vix meruit computari inter fontes ex quibus tanta pecunia derivari poterat quanta necessaria erat ad onera publica sustentanda. Ideo rex patrimonium suum in usus publicos omnino dedidit, ea conditione ut impensis ipsius regis ejusque domus ex vectigalibus regni provideretur. Ab illo tempore sic provisum est a Parlamento in sustentationem uniuscujusque principis initio ejus regni. Hoc vectigal omnino distinctum est a vectigalibus quæ in sustentationem exercitus classisque et in alia onera publica impenduntur, quamvis adhuc omnia vectigalia quæ ad onera publica et communia reipublicæ sustentanda imponuntur *regia* appellantur. Sed revera rex neque habet dominium neque administrationem ullius vectigalis præter illud quod in ipsius sustentationem ejusque domus impenditur (*a*). Summa sic concessa *civil list* appellatur. Sed non potitur dominio aut etiam administratione totius istius pecuniæ; dividitur enim in duas partes inæquales, quarum longe major ad domus regiæ splendorem sustentandum, ad salaria officialium solvenda, &c., destinatur. Altera pars, quæ fiscus principis [*the Privy Purse*] appellatur, in ejus usum privatum et commodum conceditur. Itaque dominium omnium vectigalium quæ in usum reipublicæ exiguntur revera penes ipsam rempublicam manet, administratio vero apud Parlamentum. Quum pecuniæ publicæ distribuuntur, suæ quisque portionis et inter ceteros princeps dominium acquirit.

508. Ex Statuto 1 Vict., c. 2, reginæ quæ summæ rerum nunc præest in proprios ipsius et domus regiæ usus lbb. Anglic. 406,498 in singulos annos solvenda constituta sunt. Præterea regi licet quosdam annuis stipendiis juvare, qui quum artibus ingenuis atque doctrinis præstiterint, aut literarum studia illustrarint, de republica bene mereri videntur; sed summa ita largita quotannis lbb. 1500 superare non debet. Sed revera hæc pecunia a primario regis ministro dispensatur. Ex lbb. 406,498 supra memoratis lbb. 60,000 in fiscum principis traduntur. Sed ultra hanc summam maritus reginæ Victoriæ, dum inter vivos erat, lbb. 30,000 ex ærario singulis annis accepit. Insuper Principi Valesiæ separatim sic provisum est ut ei lbb. 50,000 et conjugi ejus lbb. 10,000 quotannis concedantur. Præterea Duci Edinburghi, Principi [*the Princess*] Borussiæ, aliisque filiabus reginæ mat. junctis, et duobus consobrinis ex ærario provisum est, ita

(*a*) "The Civil List is properly the whole of the Sovereign's revenue in his own distinct capacity; the rest being rather the revenue of the public, though collected and distributed again in the name and by the officers of the Crown." Steph. vol. 2. p. 602.

ut in usus principis ejusque familiæ circiter quingenta millia librarum Anglic. de pecunia publica quotannis impendantur.

509. Quum Gulielmus III. regnum occupavit tota pecunia fide publica sumpta mutua [*the National Debt*] lbb. 664,263 effecit, atque usuræ quotannis solvendæ [*the yearly interest*] lbb. 39,853 expleverunt. Intra ejus regnum tredecim annorum æs alienum publice contractum crevit ad lbb. 16,394,702, et usuræ annuæ lbb. 1,310,942 exigebant. Pecunia hæc a creditoribus plerumque in perpetuum abalienata est, sed fenus annuum fide vectigalium [*of the public funds*] tutum redditum est. Omnes pecuniæ quas respublica fide sua mutuas accepit, fundi publici [*the Stocks or Public Funds*] appellantur. Quamvis autem respublica has tantas pecunias solvere non tenetur quia revera eas non habet, unusquisque ex creditoribus quantum ipsi ex fide publica debetur aliis vendere potest, et pretium mutatur propter causas quas de *mutuo* agentes exponemus. Pecunia apud rempublicam collocata ut res personalis habetur, et proinde mortuo possessore non ad heredem sed ad executorem testamenti aut ad administratorem bonorum defuncti transfertur. Usuræ quæ iis debentur qui pecuniam fide publica mutuam dederunt ad modum annuorum perpetuorum [*of perpetual annuities*] solvuntur. Olim fructus [*the produce*] ex variis vectigalibus perceptus, velut ex vectigali quod exigitur ob quasdam res intra regnum confectas [*the Excise*], ex portoriis [*the Customs*], ex pecunia quæ pro plagulis signatis solvitur [*stamps*], &c., in sortes diversis nominibus appellatas, distributi erant. Decursu temporis omnes diversæ sortes ad tres redigebantur, quarum una sors aggregata [*the aggregate fund*], altera sors generalis [*the general fund*] dicebatur, tertia sors Societatis Maris Meridionalis [*the South Sea Company Fund*] appellata est. Denique A. D. 1782, ex Statuto 27 Geo. III., c. 13, fructus omnium vectigalium in unam sortem coacervati erant, quæ sors consolidata [*the Consolidated Fund*] dicta est; et ipsum æs alienum publice contractum nomine annuorum consolidatorum [*the Consolidated Annuities*] appellabatur. Usuræ ternæ pro centenis [3 *per Cent.*] nunc quotannis solvuntur, et quonium hæc usuræ non tantæ sunt quantæ ab initio constitutæ erant, sors consolidata quæ præcipua pars est debiti nationalis, *the* 3 *per Cent. Reduced Consolidated Annuities*, seu breviter 3 *per Cent. Consols* appellatur. Post A. D. 1782, ad solvendas expensas multorum bellorum, ii qui rempublicam administrabant nova contraxerunt debita. Hæc pecunia mutua sumpta a republica prius ex quantitate feneris solvendi nomen accepit; et quando fenus ad 3, *pro cent. in annum* diminutum est, *the* 3 *per Cent. Reduced Annuities*, seu sim-

pliciter 3 *per Cent. Reduced,* seu *Reduced Annuities,* appellata est. Pecunia iterum alia occasione a republica mutua accepta, *New* 3 *per Cent. Annuities,* seu *New* 3 *per Cent.* nominatur. Ex his pecuniis variis temporibus a republica mutuis acceptis debitum publicum constat. Hoc debitum ut diximus est irredimibile ex parte emptorum seu censualistorum, redimibile vero ex parte venditoris seu censuarii (reipublicæ) (*a*).

510. Aliud est debitum publicum quod temporarium est, cujus unam partem respublica solvere tenetur, altera post breve tempus extinguetur. Prima pars hujus debiti ex syngraphis ab ærario solvendis [*Exchequer Bills and Bonds*] constat. Hujus debiti respublica non solum fenus sed et ipsam sortem solvere tenetur. Hoc debitum parvum est et raro lbb. 8,000,000 excedit. Posterior pars ex pecuniis annuis temporariis [*of terminable annuities*] conflatur. Quoniam hæ pecuniæ annuæ aut in vitam aut in aliquot annos conceduntur, et proinde aut morte censualistæ, aut post annos constitutos extinguuntur, non cum sorte sed cum fenore debiti publici computandæ sunt. Sors debiti publici A. D. 1867, ultimo die mensis Martii, in quem diem ratio rei pecuniariæ publicæ quotannis confici solet [*the last day of the financial year*], lbb. 777,497,804 efficiebat. Fenus hujus debiti in eundem annum, cum censibus annuis temporariis et impensis ipsum debitum administrandi erat omnino ad lbb. 26,177,422. Præter hanc ingentem summam omnes expensæ exercitus, classis, domus regiæ, et totam rempublicam administrandi ex sorte consolidata cui omnia fere regni vectigalia publica tribuuntur, solvendæ sunt. Ad hæc omnia solvenda a die ultimo Martii, A. D. 1867, ad diem primam Aprilis, 1868, libb. 83,339,517 impendenda erant. Verum dominium sortis consolidatæ et omnium vectigalium communium ad ipsam rempublicam pertinet; summa vero a civibus per vectigalia obtinenda, et modus hoc vectigal exigendi a senatu inferiore definitur (*b*). De summa immensa quæ quotannis præter impensas ordinarias administrandi rempublicam ad fenus debiti publici solvendum requiritur sic loquitur Stephen: "It cannot, however, be denied, that these taxes in their more direct opera-

(*a*) But the State cannot force the public creditor to sell under par; hence, whatever may be the price of the Funds in the market, the State must pay £100 for each £100 Stock; and if the Stock be higher, the State cannot buy at a lower price than the public market will bring.

(*b*) The Commons of Great Britain and Ireland in Parliament assembled vote the supply to the Crown, and settle the *quantum* of that supply; they then resolve themselves into a Committee of the Whole House, called a Committee of Ways and Means to consider the ways and means of raising the supplies so voted.

tion tend to impair the productive ability of the industrious classes; and that the amount of them required to discharge the interest of the enormous debt for which the nation is now liable, weighs heavily on the country, and darkens our prospect for the future. The more immediate alarm, indeed, which it is calculated to excite, is for the safety of the public creditor. For it is obvious that the capital invested in the Funds exists (like any other debt) in name and in paper only; and that its value depends entirely upon the degree of reliance that can be placed in the good faith and resources of the Government. But if the confidence of the fundholder should in either of these points be deceived (a danger that manifestly increases as the tax increases), the ruin in which so large a class of the community would inevitably be involved, and the irreparable shock to public credit, might have general and national results of a nature too painful to be contemplated." Vol. 2., pp. 599–600.

§ 4. *De dominio communitatum minorum civilium quæ Corpora* [Corporations] *appellantur.*

511. Collegium sensu de quo nunc loquimur acceptum, est corpus civile cui leges privilegium perpetuæ successionis concesserunt. Omnes homines qui ad collegium pertinent ab ejus prima institutione ut una persona respiciuntur, et proinde hoc immortalitate quadam legali donatur. Homines ex quibus collegium constat moriuntur, sed ipsum collegium in eorum successoribus vivit. In jure civili hæc corpora civilia *universitates* appellabantur, quia in iis quasi una persona ex pluribus conficiebatur; et *collegia*, quia ex compluribus collegis constabant. Ad collegium constituendum ad præscriptum legis civilis tres personæ requirebantur; attamen juris regula erat, si collegium ex tribus aut pluribus constans ad *unum redit, stet nomen universitatis.*

512. Secundum jus nostrum municip. collegia sunt aut *aggregata* quæ ex pluribus personis, aut *sola* quæ ex una persona constant. Collegia aggregata perpetua successione membrorum conservantur; uno enim sublato alterum succedit et sic corpus in perpetuum conservatur. Corpus aggregatum sunt præfectus et cives urbis [*the Mayor and Commonalty of a city*]. Concilium municipale [*the Common Council*] urbis vulgo corpus appellatur, sed revera omnes cives inter ejus membra numerantur. Corpus quoque sunt caput et socii [*the Head and Fellows*] quorundum collegiorum, ut Collegii SS. Trinitatis apud Dublinium, Collegiorum apud Oxoniam et Cantabrigiam, collegium medicorum, chirurgorum, &c. Attamen multæ scholæ apud nos collegia

appellantur quæ corpora non sunt, et corpus nostri Collegii Manutiani non ex capite et sociis componitur, sed ex episcopis qui curatores ei administrando constituti sunt. Corpus solum ex una tantum persona constituitur. Persona qua corpus est, ut prorsus distincta a persona naturali respicitur. Hæc moritur, illa nunquam moritur, sed semper vivit in suis successoribus. Rex est corpus solum. Moritur quidem Georgius, Gulielmus, Victoria, sed non moritur rex; nam mortuo decessore eo ipso et nomen regis et potestas ad ejus successorem transferuntur. Episcopi, parochi, et vicarii sectæ Anglicanæ sunt corpora sola ex præscripto juris municip. Hoc privilegium quod maximi momenti est, episcopis et parochis Catholicis apud nos nondum concessum est.

513. Corpora jam inde ab antiquis temporibus in quibus religio Catholica a republica sanctissime constituta est, in ecclesiasticas et laicas dividuntur. Corpora ecclesiastica sive sola sive aggregata constituta sunt ab ecclesia, ad religionem promovendam, ad jura et bona ecclesiæ tuenda, et ad alia munera pietatis obeunda. Hæc corpora ex personiis sacris solis constituuntur. Episcopi, quidam decani, parochi, vicarii sunt corpora sola; decanus et capitulum, prior aut abbas et cœtus monachorum, abbatissa et moniales corpora sunt aggregata; sed dirutis domibus religiosis, collegia monachorum aut monialium non jam inter corpora a jure municip. computantur. Corpora laica secundum præscripta juris municip. duplicis sunt generis, *civilia* et *eleemosynaria*. Civilia ad administrationem reipublicæ civilem promovendam constituuntur, ut rex qui est corpus solum, præfectus et cives urbis, et plures societates quæ ad mercaturam faciendam inciuntur. Hujus generis sunt etiam Regia Collegia Medicorum et Chirurgorum, Regia Societas Disciplinæ Physicæ Promovendæ, Societas Rerum Antiquarum Studiosorum, et universitates literariæ quales nunc in Anglia, Hibernia, et Scotia vigent. Universitates enim literariæ nunc non sunt scholæ ecclesiasticæ, ac ne eleemosynariæ quidem, si loquamur de ipsis corporibus a quibus reguntur et administrantur; merces enim quæ rectoribus et professoribus datur, non ad modum eleemosynæ, sed ut stipendium pro opera et labore tribuitur. Ipsa vero collegia ex quibus universitas componitur, quæ ad juventutem pie educandam instituta sunt, et a piis fundatoribus potestati Ecclesiæ subjecta, a jure municip. ut corpora eleemosynaria laica respiciuntur. Corpora eleemosynaria laica ea sunt quæ ideo constituta sunt ut liberæ eleemosynæ ejusmodi hominibus in quorum commodum a piis donatoribus destinata erant perpetuo distribuerentur. Hujus generis sunt nosocomia quorum administratores sunt corpora, et

ea omnia collegia, quæ divitiis aucta ornataque sunt ob duos fines: 1. ad pietatem et doctrinam literarumque studia debitis regulis et ordinationibus promovenda; et 2. ad subsidia præstanda iis qui pietatis et doctrinæ studebant, ut in has res commodius incumbere possent. Talia sunt non solum collegia quæ Universitates Oxoniensis et Cantabrigiensis complectuntur, sed alia plura ut Collegium Etonense, Vintonense, Manutianum, &c. Sed nullum collegium Catholicum juventuti educandæ apud nos præter Manutianum privilegio corporis potitur. Sine dubio administratio omnium corporum eleemosynariorum primitus ad episcopos Catholicos pertinebat. Sed hoc jure omnino contra voluntatem eorum a quibus nosocomia et collegia fundata et divitiis aucta erant, privati sunt.

514. In jure civili collegia laica consociatione voluntaria membrorum constituebantur, neque alia conditio requirebatur nisi ut consociatio ne esset contra leges; si enim esset contra leges collegium *illicitum* dicebatur. Ex jure municipali nullum collegium apud nos nisi a rege aut a Parlamento constitui potest, et nullum aliud collegium privilegiis civilibus potitur quæ corpori legaliter constituto conceduntur. Sed consensus implicitus sufficit, ut quando persona aliqua aut societas a *jure com.* corpus habetur. Talis est rex ipse; tales erant omnes episcopi, parochi, vicarii, decanus cum capitulo, prior aut abbas cum monachis, et abbatissa cum monialibus, antequam monasteria subversa sunt. Sed revera consensus implicitus principis in his casibus est mera juris fictio haud ita pridem in jus commune invecta; quia antiquitus hæc omnia corpora sive sola sive aggregata *virtute officii* (*a*) corpora habebantur. Attamen ex consensu implicito principis plures societates laicæ corpora factæ esse censentur. Tales sunt eæ societates quæ privilegiis corporum ex *præscriptione* potiuntur, Supponitur hanc præscriptionem inniti in consensu regis explicito olim dato, cujus consensûs nullum jam vestigium existit. Hoc modo corpus civitatis Londiniensis et aliarum plurium urbium constitutum est. Consensus expressus aut per diploma [*charter*], aut per Statutum Parlamenti datur. Sed revera potestas corpora constituendi hodie a Parlamento sibi vindicatur, et nihil in hac re facere potest rex nisi quod ei a Parlamento conceditur. Sic per 5 et 6 Guliel. et Mariæ, c. 20, regi *permissum* est societatem mensæ argentariæ Anglorum corpus constituere; et per 5 et 6 Guliel. IV. c. 76, statutum est ut rex rogatione facta ab iis qui ædes occupant in quovis municipio [*borough*] in Anglia aut Vallesia tale municipium per diploma

(*a*) Cf. Steph. vol 3. p. 132.

incorporare possit. Similiter is qui regis vice fungitur in Hibernia quum rogatus fuerit ab iis qui ædes occupant, facultatem concedere potest vi cujus curatores quidam luminibus accendendis et oppidi purgationi curandæ corpus constitui possunt.

515. Rex jure com. collegium constituere potest etiam verbis *creamus, erigimus, fundamus, incorporamus;* videtur etiam privilegium a principe societati alicui concessum *gildam mercatoriam* (*a*) seu cœtum mercatorium habendi sufficere ad eam in perpetuum incorporandam. Insuper ex regula juris quod is qui facit per alium facit per se, videtur regem jure com. subdito concedere posse facultatem collegium instituendi, et revera Cancellarius Universitatis Oxoniensis privilegio potitur corpora per diploma instituendi in urbe Oxoniensi, qui etiam plures societates artificum in corpora consociavit.

516. Quando corpus aggregatum instituitur, necesse est ut aut explicite nomine donetur, aut saltem ut nomen quo cognoscatur ex ejus ratione et forma intelligi possit; et hoc solo nomine omnes ejus actus legales, ut v. g. lege cum aliquo agere, perfici necesse est. Sed parva inmutatio ejus actus irritos non reddit, et potestate idonea interveniente nomen ita mutari potest ut corpus remaneat idem et jura sua non amittat. Necesse est quoque ut corpus aggregatum sigillum commune habeat, quo omnes ejus actus confirmari debent, neque ullo alio modo ligari potest corpus, quamvis commodi causa quosdam actus facere potest per caput suum, v. g. apparitoribus mandare potest ut bona alicujus occupent [*to make distress*], neque necesse est ut mandatum sigillo communi consignetur. Omne corpus jure potitur præscripta quædam minora [*bye-laws*] ad sui ipsius regimen ferendi, quæ omnia corporis membra ligabunt, modo ne sint contra leges regni, neve conditiones diplomatis violent, neve sint manifesto irrationabilia. Et quamquam facultas ferendi hujusmodi præscripta de quibusdam rebus vi ipsius diplomatis certis membris delectis conceditur, attamen potestas præscripta de aliis rebus omnibus ferendis ad totum corpus pertinebit, Quoniam corpus tanquam una persona habetur, quod a majore parte fit, a toto corpore fieri censetur; et semper potestate sua membra cooptandi potitur; qua re ratio ejus perpetuitatis necessario con-

(*a*) "*Gild* signified among the Saxons a fraternity, and was derived from the verb *gildan*, to pay, because every man paid his share towards the expenses of the community. Such of these gilds as were commercial gradually took the shape of Municipal Corporations; whose place of meeting, it may be observed, is still called (in London) the *Guild-hall*." Steph. vol. 3. p. 134. n.

tinetur. Potest tamen hæc potestas ex præscripto ipsius corporis (exceptis tamen corporibus municipalibus), delectis membris delegari, sed numerus eorum ex quibus membra eligi debent non potest per ullum præscriptum ipsius corporis minui.

517. Præcipua privilegia corporum laicorum aut solorum aut aggregatorum sunt ut ex jure com. agros emere aut alio modo acquirere possint in suum suorumque successorum commodum, eodem modo quo persona naturalis pro se suisque heredibus agros obtinere potest. Attamen vi statutorum multa corpora agros acquirere nequeunt sine licentia regis, sed de hac materia infra agetur. Potest etiam corpus aggregatum catalla et bona mobilia pro se suisque successoribus possidere; corpus autem solum quod personam aliorum non gerit, catalla aut bona mobilia pro se suisque successoribus jure municip. tenere non potest, et ideo si agri locarentur in annos episcopo Anglicano qua episcopus est, ipso mortuo agri non ad ejus successores sed ad executores testamenti aut administratores pervenient. Si vero corpus solum plures personas representat, sicut magister nosocomii qui est corpus solum ad beneficium pauperum qui ibi aluntur, eosque representat; vel sicut olim in hac terra ante hujusmodi domos spoliatas et eversas, Abbas vel prior monasterii qui omnes fratres representabat, potest catalla etiam personalia pro se suisque successoribus possidere. Itaque syngrapha [*a bond*] tradita magistro nosocomii in ipsius et successorum commodum valida est et a successoribus vindicari potest.

518. Corpora aggregata laica—exceptis corporibus municipalibus—suos agros aliaque bona ad arbitrium alienare possunt, eodem modo ac si essent personæ naturales. Membra qua cives privati sunt, debitis corporis minime obligantur, neque ea ex bonis propriis solvere tenentur, secundum regulam legis civilis: *Si quid universitati debetur, singulis non debetur; nec quod debet universitas singuli debent* (*a*). Quamquam autem corpus actionem et intendere potest et se in judiciis defendere, semper agit per procuratorem, quia est persona ficta et ideo in propria persona agere nequit. Non potest munus executoris testamenti aut administratoris bonorum defuncti explere, quia non potest jusjurandum dare; neque habere potest seisinam agrorum in usum alterius sed solummodo in suum proprium commodum. Plerumque criminis reum esse nequit, quia nullum habet animam (*b*); sed in quibus-

(*a*) Ff. 3, 4, 7.

(*b*) For this reason it is not liable to be summoned before the Ecclesiastical Courts, nor can it be excommunicated as a corporation.

dam casibus in judicium adduci potest [*it may be indicted*], ut si pontem reficere negligat ad quem reficiendum obligatur. Actio etiam ei intendi potest ob violatum contractum, et ob alias causas privatas, velut si libellum ad infamiam cujuspiam scripserit vel ediderit. Corpora aggregata quæ ita constituta sunt ut caput habere debeant, ut capitulum, nosocomium, et alia hujusmodi, capite non constituto nullum actum facere possunt nisi ut ipsum caput constituant; ac ne capacitatem quidem habent capite non constituto dona accipiendi. Sed corpora aggregata constitui possunt sine capite (*a*). Quamquam actus majoris numeri obligat totum corpus, in aliquibus tamen corporibus consensus capitis est necessarius ad validitatem actus, quo non dato actus erit irritus.

519. Corpus dissolvi potest, 1. per Statutum Parlamenti; 2. proper defectum numeri sufficientis membrorum. Hoc accidit quando in diplomate quo corpus aggregatum constituitur suffragia certi numeri membrorum ad nova membra cooptanda requiruntur. Dum enim numerus definitus deest non jam potestatem habet se perpetuandi; 3. Per deditionem suæ libertatis [*its franchise*] regi factam; 4. Per abusum suæ libertatis, quo casu judices declarabunt illud violasse conditiones quibus corpus factum sit, ideoque actum incorporationis irritum esse. Quando corpus dissolvitur ejus debita et credita extinguuntur; corpore enim mortuo omnia ejus debita delentur.

520. Ex corporibus aggregatis laicis præcipua ea sunt quæ negotia municipiorum administrandi causa apud nos constitui solent, quæ nunc *corpora municipalia* appellatur. Ab antiquis temporibus liberi homines qui non erant domini agrorum, sed aut in arte aliquâ quæstûs causa versabantur, aut mercaturam faciebant, convenerunt in oppida quæ aut ab ipso rege aut ab alio domino tenebant. Hi homines *burgarii* [*burgesses*] (*b*), id est liberi incolæ municipii dicebantur. His facultas a rege concessa est ut ipsi se in societates voluntarias quæ *gildæ* dicebantur consociarent ut munerum præpositos, urbis præfectum, magistratus seniores, et apparitores [*a mayor, aldermen, and bailiffs*] propter regimen urbis sive municipii constituerent; et etiam ut curias haberent in quibus leges judiciaque administrarentur. Postea per

(*a*) Such is the Protestant Collegiate Church of Southwell, Nottinghamshire, which consists of canons only; and the governors of the Charterhouse, London, who have no president, but are all of equal authority.

(*b*) Burgess a quibusdam derivatur a verbo Anglosaxonico *burcg* (*civitas*), ab aliis a verbo Gallico *bourgeois* (civis).

diplomata regia municipia non raro *burgariis* ad modum fundi liberi [*fee farm*] concedebantur. Tandem diplomata variis municipiis concessa sunt, vi quorum urbis præfectus, magistratus seniores, et burgarii in corpus, nomine designato, cum jure perpetuæ successionis constituti sunt, et eo nomine agros et bona tenere, et actiones intendere et se in judiciis defendere potuerunt.

521. Tempore procedente, corpora in municipiis depravata et injusta fiebant. Quinque enim erant modi quibus incolæ municipii fiebant burgarii seu liberi, nativitas, matrimonium, servitium, donatio, et emptio. Filius viri liberi burgarus erat nativitate; matrimonio, is qui duxit viduam aut filiam viri liberi; servitio, qui tirocinium in taberna viri liberi ut artem aliquam disceret per septem annos posuit; donatione aut emptione, quando quis his modis libertatem municipii acquisivit. His modis nonnisi pauci ex incolis municipiorum inter burgarios numerati erant. Pauci burgarii seipsos urbis præfectos, magistratus municipales, et munerum præpositos constituerunt; vectigalia arbitratu suo in cives imposuerunt, et reditus ex agris et bonis municipii perceptos in usus privatos converterunt. Præterea omnia municipii negotia clam et secreto transegerunt, ita ut quæ agerent agitarentque alii incolæ scire non possent.

522. Quum igitur complures Burgarii in suis quique civitatibus per plura secula juribus suis et privilegiis perverse atque immodice abutebantur, summe necessarium fuit atque ceterorum civium maxime interfuit ut res tandem emendarentur. Itaque A. D. 1835 municipia cœpta sunt in Anglia in meliorem statum restitui, quod aliquot post annos in Hibernia quoque factum est. Nunc in indicem burgariorum seu hominum liberorum referuntur omnes masculi qui ædes possident in urbe in quibus aut habitant, aut rem gerunt, et quibus vectigal propter sustentationem pauperum indicitur modo an. 21um compleverint, et vectigal prædictum et alia ob municipium administrandum imposita intra tempus præscriptum solverint. Corpus municipale constat ex burgariis, municipalibus, consiliariis, magistratibus senioribus, et urbis præfecto [*Burgesses, Councillors, Aldermen, and Mayor*]. Decuriones a burgariis eliguntur, et in Anglia magistratus municipales, et urbis præfectus a decurionibus eliguntur; in Hibernia vero etiam magistratus municipales ab ipsis burgariis eliguntur. Corpus itaque constat ex omnibus burgariis seu liberis hominibus municipii; sed *concilium* corporis municipii a quo ejus negotia transiguntur, ex urbis præfecto, magistratibus senioribus, et consiliaribus municipalibus constat. Hæc præscripta non tantum corpora municipalia quæ nunc sunt respi-

ciunt, sed et ea quæ auctoritate regis, aut in Hibernia ejus qui regis vice fungitur, quum incolæ alicujus oppidi ut hoc fiat rogaverint, ejus auctoritate in municipium constituenda sunt, Nondum quæ in municipiis perverse fiebant mutata sunt novis legibus quibus hæc corpora reguntur. Adhuc enim in multis municipiis burgarii non solum habitatione vel possessione ædificiorum in quibus res geruntur, sed etiam ortu, matrimonio, et servitio fiunt; et hi burgarii quamvis fieri potest ut sint pauperes et in ptochotrophio sustententur, privilegio potiuntur suffragia ferendi in electione eorum qui personam populi in senatu inferiore Parlamenti gerunt. Quæ prava consuetudo ad magnam corruptelam in suffragiis ferendis ducit, et in quibusdam municipiis, velut in urbe Dubliniensi, qui personam populi in senatu inferiori gerunt per hæc mendicorum suffragia quæ pretio veneunt, contra suffragia longe majoris partis eorum qui ædes in urbe habent eliguntur.

523. Dominium possessionum quæ ad municipium pertinent habet corpus; earum administratio concilio municipali conceditur. Potestas autem abalienandi aut simpliciter aut per modum vadi mortui agros, tenementa, hereditamenta, aut pecunias fide publica collocatas [*the Public Stock*] municipii, quæ ex jure com. concilio municipali concessa est ab eo fere omnino per statuta recens lata aufertur. Possessiones tamen municipii adhuc abalienare potest concilium, obtenta approbatione trium saltem thesauri publici curatorum [*Lords Commissioners of the Treasury*]. Concilium fere non potest agros aut ædificia municipii ad spatium temporis triginta annis amplius locare. Reditus, lucra, et emolumenta ex possessionibus municipii percepta ærarii municipalis præfecto (qui ejusdem concilii esse nequit) traduntur, et in pecunias publicas municipii [*the Borough Fund*] conferuntur. Ex his pecuniis debita municipii, merces munerum præpositorum, impensæ electionum municipalium, reos in judicio persequendi, constabulariorum qui dicuntur, carcerum aliorumque negotiorum municipii publicorum solvuntur. Aliqua tamen pars horum onerum quandoque ab ærario publico toleratur. Si omnibus impensis necessariis ad administrandum municipium solutis, aliquid in ærario municipali superest, in utilitates incolarum municipii impendi jubetur. Si vero reditus et vectigalia municipii sumptibus non sufficiunt, concilium novum vectigal in burgarios imponere potest.

524. Si concilium aliquam partem possessionum municipii in usus privatos aut proprios aut alienos convertat, injustitiæ reum est et ad restitutionem tenetur. Quinimo singuli qui personam

burgariorum in concilio gerunt tenentur non solum ab actibus injustis se abstinere, sed ex justitia obligantur vi contractus impliciti ordinariam diligentiam adhibere ne alii possessiones municipii aut invadant aut dissipent, aut in usus alienos ab iis propter quos collatæ erant convertant.

De aliis corporibus laicis aggregatis non opus est hic disserere; ea enim, ut mensæ argentariæ Anglorum et Hibernorum, societates quæ ad mercaturam faciendam ineuntur, Regia Societas, &c., perfectum suarum possessionum dominium habent, et eas ad arbitrium disponere possunt. Sed per statuta recentiora Parlamenti facultas concessa est ut privati homines, sine ullo diplomate regis aut statuto speciali Parlamenti, ipsi societates coire possint, quibus quædam privilegia corporum conceduntur, et quæ proinde corpora imperfecta [*qualified Corporations*] sunt. Hac facultate usi sunt homines ad societates fere innumeras inter se contrahendas. Quales sunt societates complures argentariorum qui pecunias suas fœnere collocandas in commune conferunt [*Joint Stock Banking Companies*]; societates quæ negotiandi et mercaturæ faciendæ causâ ineuntur [*Joint Stock Trading Companies*]; et aliæ hujusmodi, de quibus quum sermo erit de contractibus agemus.

DISPUTATIO VICESIMA SEXTA.

DE DOMINIO ECCLESIÆ, ET DE CORPORIBUS ELEEMOSYNARIIS ET ECCLESIASTICIS.

§ 1. *Utrum Ecclesia et viri ecclesiastici dominium rerum temporalium habere possint? De origine, fine et usu possessionum Ecclesiasticarum.*

525. In duas classes distribui possunt ii qui docuerunt Ecclesiam esse incapacem bona temporalia acquirendi aut possidendi (*a*). Prima complectitur eos qui contendebant Christum Ecclesiæ virisque ecclesiasticis possessionem bonorum temporalium interdixisse. Arnaldus de Brixia (hodie Brescia in Venetia) monachus auctor hujus hæresis fuisse videtur. Hunc hæreticum teste S. Bernardo (*b*), "Brixia evomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult recipere." Plures alias hæreses pestilentes evomuit Arnaldus, quas damnavit Innocentius II. in Concilio Generali Lateranensi II., A. D. 1139, et ipse seditionibus exitiosis excitatis, Romæ tandem A. D 1155, justissime supplicio affectus est. Ineunte seculo XIII. eandem hæresim amplexi sunt multi ex secta Valdensium, quos circa initium seculi XIV. secuti sunt Marsilius Paduanus rector Universitatis Parisiensis in libro qui Defensor Pacis inscriptus est, et post medium ejusdem seculi Joannes Wiclefus, inter cujus errores in Concilio Constantiensi A. D. 1415 damnatos inveniuntur sequentes propositiones. X^{a}. Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones; XXXII^{a}. Ditare clerum est contra regulam Christi; XXXIII^{a}. Sylvester Papa et Constantinus imperator erraverunt Ecclesiam ditando; XXXVI^{a}. Papa, cum omnibus clericis suis possessiones habentibus, sunt hæretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet dominii seculares et ceteri laici; XXXIX^{a}. Imperator et domini seculares sunt seducti a diabolo ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

(*a*) Cf. Carriere de Justitia, n. 94. seq. (*b*) Ep. 196.

Hos errores magna saltem ex parte amplexus est Joannes Hus; et Lutherus A. D. 1523 in libro de Fisco Communi Ecclesiam a laicis spoliari debere docuit. Hæc doctrina pluribus laicis rapacibus vehementer arrisit, et propter eam plures ex iis hæresim Lutheri amplexi sunt. Cito fructus suo parente dignos tulit.

526. Secunda classis plures jurisperitos et quosdam etiam theologos complectitur, quorum placita ad hæc reduci possunt: censent Ecclesiam possessiones temporales habere posse, sed ad arbitrium potestatis civilis, a qua sine injustitia eis privari possit. Diversis tamen nituntur rationibus; quidam enim ex illis divisionem rerum et originem dominii ex jure civili repetentes, inde concludunt possessiones temporales Ecclesiæ potestati civili prorsus subjectas esse. Sed jam demonstravimus originem dominii a jure civili primariò repetendam non esse, et civilem potestatem dominio non potiri bonorum aut civium privatorum aut societatum quæ intra fines ejus jurisdictionis habitant, et hæc bona arripiendo ipsa fundamenta societatis civilis evertere. Falsum est enim atque erroris plenum illud quo sententiam suam confirmare volunt argumentum, Ecclesiam, quum bona sua *jure divino* non acceperit, iis a republica sine injustitia privari posse. Sed neque cives privati bona sua *jure divino* acceperunt; et si respublica bona juste acquisita aut civium privatorum aut societatum sibi titulo dominii vindicat, rea est injustitiæ, et legem tum divinam tum naturalem violat.

527. Alii contendunt bona ecclesiastica dominio reipublicæ subjacere, quod nullus alius verus dominus horum bonorum inveniri possit. De hæc re in § sequenti agemus. Interim Ecclesiam verum habere dominium suorum bonorum sine ulla concessione a civili potestate facta facile probatur. Ex ipsa enim divina Ecclesiæ institutione possessiones temporales necessario habere debet. Namque Christus instituit in sua Ecclesia cultum publicum et ministros sacros qui per totam vitam ad varia hujus cultus officia obeunda conservari debent. Cultus modo debito celebrari non potest sine templis, vasis sacris, vestimentis sacerdotalibus, quæ omnia comparare non potest Ecclesia, neque sustentare ministros sacros sine possessionibus temporalibus. Quamvis enim S. Paulus dicit (*a*), "Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus," addit tamen statim, "non quasi non habuerimus potestatem, sed ut nosmetipsos formam daremus vobis, ad imitandum nos." Quod ministri sacri jus

(*a*) Ep. 2. ad Thessal. c. 3. vv. 8. et 9.

habeant ad sustentationem ab Ecclesia accipiendam expresse docet idem Apostolus ab ipso Domino nostro fuisse ordinatum (*a*). "An ego solus, et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? Quis militat suis stipendiis unquam? . . . . Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt; quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? . . . . Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annunciant, de evangelio vivere." Insuper Ecclesiæ munus est ut fidem Christianam per universum mundum propaget, ut predicatores in longinquas nationes mittat, ut pauperes (*b*) et viduas sustenteat (*c*); quæ omnia sine facultatibus copiosis perficere nequit.

528. Insuper ex historia constat Ecclesiam possessiones immobiles habuisse, etiam dum imperatores ethnici erant. De Aureliano narrat Eusebius (*d*); "Cum Paulus (Samosatenus) e domo Ecclesiæ nullatenus excedere vellet, interpellatus imperator Aurelianus rectissime hoc negotium dijudicavit, iis domum tradi præcipiens, quibus Italici Christianæ religionis antistites, et Romanus episcopus scriberent." Patet etiam ex literis a Constantino et Licinio tertio consulibus A. D. 313, datis (*e*). "Atqui hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quod si eadem loca ad quæ antea convenire consueverant . . . . aliqui vel a fisco nostro, vel ab alio quocumque videntur esse mercati, eadem Christianis . . . . restituantur. . . . . Et quoniam iidem Christiani non *ea loca tantum, ad quæ convenire consueverunt, sed alia etiam habuisse noscuntur, ad jus corporis eorum, id est Ecclesiam, non hominum singulorum pertinentia,* ea omnia . . . . iisdem Christianis, *id est corpori* et conventiculis eorum reddi jubebis." Similes literas paulo post dedit Maximinus (*f*) qui tunc imperabat in Oriente. Et Constantinus solus imperator factus hujusmodi literas dedit (*g*): "Adversus sacrosanctas ecclesias nihil obloqui ansus (fiscus) ea quæ aliquando *injuste detinuit*, ecclesiis tandem jure restituet. Omnia ergo *quæ ad ecclesias* recte visa fuerint pertinere, sive *domus* ac *possessio sit, sive agri*, sive horti,

(*a*)) Ep. 1. ad Cor. c. 9. vv. 6. seq. (*b*) 1 Cor. xvi.
(*c*) 1 Tim. v. (*d*) Hist. Ecclesiast. L. 7. c. 30.
(*e*) Apud Lactantium De morte Persecutorum, Opp. tom. 2. c. 48. col. 268–9. Ed. Migne, Paris, 1844.
(*f*) Ap. Euseb. Hist. L. ix. c. 10.
(*g*) Ap. Euseb. de vita Constant. lib. 2. c. 39.

sivé quæcumque alia, nullo jure quod ad dominium pertinet immutato, sed salvis omnibus atque integris manentibus, restitui jubemus."

529. Itaque fatentibus imperatoribus tam ethnicis quam Christianis, varia corpora ecclesiastica sive Ecclesiæ Christianorum possessiones etiam immobiles ante Constantinum habuerunt, quibus *injuste* tempore persecutionum privatæ erant. Sed facultatem possessiones habendi, Ecclesiæ Christianæ ab imperatoribus ethnicis qui ecclesiam atrocissime persecuti sunt non acceperunt. Putabant enim Pagani ea fuisse collegia illicita et a lege proscripta. Præterea insulsum esset supponere Christum ita suam instituisse Ecclesiam, ut sine possessionibus sua munera perficere non posset, et simul ordinasse ut possessiones non posset habere nisi facultatem obtineret ab iis quos certe sciebat hanc facultatem non concessuros. An quisquam Christianus diceret Ecclesias Christianas possessiones suas ante edictum Constantini et Licinii invalide acquisivisse, aut Diocletianum injuste non egisse, quum omnes ecclesias a fundamentis dirui juberet?

530. Et sane homines ecclesiastici, et laici religiosi, ipsique reges qui possessiones ecclesiæ dederunt, Deoque consecrarunt, non in potestatem civilem, sed in ipsas ecclesias domosque religiosas dominium harum possessionum transtulerunt Agri monasteriorum erant feraces: sed undenam? Non aliunde quam labore monachorum; quando enim primo monasteriis donati erant, steriles erant et inculti (*a*). Viri etiam ecclesiastici, ecclesiæ et monasteria, optimi erant agrorum domini (*b*); eos enim qui prædia eorum conduxerunt tanquam filios amore prosequebantur, et ex reditibus modicis quos accipiebant pauperes et miseros sustentabant. Ante monasteria spoliata et vastata, gravia onera in cives ad pauperum sustentationem non imponebantur, neque ipsi pauperes ut malefici in carceribus includebantur. Dirutis vero monasteriis ab Hen. VIII., cito necessarium erat ut pecuniæ a civibus compararentur ex quibus sustentari possint egeni, quorum numerus, ut proœmium ad Stat. de hac re editum declarat, magnopere increverat. Nam quamquam monasteria Angliæ nondum spoliata erant quum primum Stat. de sustentandis pauperibus latum est, attamen jam destinatum erat ea diripienda esse (*c*), et schisma quo Ecclesia Anglicana a communione Eccl. Cath. segre-

(*a*) Cf. de hac materia librum qui inscribitur *The Dark Ages*, quem scripsit minister Eccl. Anglic., Rev. S. R. Maitland: Londini, 1844.

(*b*) Cf. eund. Ibid.

(*c*) 27 Hen. VIII., c. 25.; Direptio monasteriorum decreta est eodem anno per 27 Hen. VIII., c. 28., et postea per 31 Hen. VIII., c. 13.

gata est, quum rejiceretur primatus Sedis Apostolicæ, duobus annis ante hoc tempus consummatum est (*a*). Sed quamquam ex Statuto supra dicto eleemosynæ voluntariæ a magistratibus in sustentationem pauperum accipi potuerunt, simul præscriptum est ut si qui invenirentur qui mendicare auderent, eorum auriculi ob primam offensam abscinderentur, ob alteram *morte punirentur*. Quoniam vero nihilominus multitudo mendicantium in immensum excreverat, per 1 Edv. VI. statutum est ut mendicantes notis quibusdam inurerentur, ignominiæ causâ, atque ad *servitutem in duos annos* damnarentur, potestate dominis concessa *numellam* iis imponendi, et pane et aqua aut quibusque vilissimis cibis eos alendi. Si vero servus effugere conaretur, ad servitutem in totam vitam damnandus erat. Verum atrocitas hujus legis non obstabat quominus mendicantium numerus indies augeretur, et regnante Elisabeth, octo Statuta a Parlamento lata sunt, quibus frustra tentabatur ut sustentandis egenis per pecunias voluntarie datas provideretur. Denique in Anglia per 43 Elis. c. 2, statutum est ut pecuniæ publicæ in sustentationem pauperum exigerentur.

531. In Hibernia vero quamquam per 33 Hen. VIII. jussum est ut monasteria diriperentur, quod quidem factum est ubicumque potestas regia valebat; attamen favore principum indigenarum multa a rapacitate regis ejusque asseclarum vindicata sunt. Sed regnante Elisabeth Ecclesiæ Catholicæ et monasteria spoliata per totam fere Hiberniam diripiebantur.

Quamquam autem per rapacitatem crudelitatemque regum acatholicorum alienorum pauperes nostri patrimonio suo spoliati sunt, nulla pecunia, nec ad necessaria quidem ad vivendum egenis comparanda, publicâ auctoritate ante A. D. 1838 exacta est. Tum ædificati sunt carceres isti qui ptochotrophia appellantur, in quos includuntur pauperes qui ante hac ostiatim mendicando vivebant; et magna pars pecuniarum quæ in sustentationem pauperum exiguntur reverâ impenditur in stipendia magistrorum et aliorum multorum qui variis muneribus in ptochotrophiis administrandis funguntur.

§ 2. *In cujus dominio sint bona ecclesiastica?*

532. Ubi de tenuris egimus, plures disceptationes inter jurisperitos notavimus de domino cui feudum simplex agrorum in certis casibus tribuendum est; sed nemo inde infert dominium horum agrorum ad rempublicam pertinere. Ita quæcumque

(*a*) Per 25 Hen. VIII., c. 20.

controversiæ inter theologos sunt de dominio possessionum ecclesiæ, certum est eas ad rempublicam titulo dominii non pertinere, earumque usum fructumque et administrationem ab ipsa Ecclesia justissime sibi vindicari. Ut autem investigemus quæstionem de dominio bonorum Ecclesiæ, oportet distinguere inter bona etiam sacra, ut oratoria, vasa sacra, vestimenta, &c., quorum dominium, quamvis Deo consecrantur, ad eorum dominos privatos pertinet, et bona quorum dominium a donatoribus abdicatur, et quæ ideo Ecclesiæ pleno jure traduntur ab eaque accipiuntur, in Dei honorem consecrantur, et in usus pios seponuntur. De his ultimis bonis seu possessionibus hic loquimur.

533. Quidam docuerunt dominium proprie dictum harum possessionum esse penes Deum et Christum, dispensationem vero ad Ecclesiam et Summum Pontificem pertinere (*a*). Sed revera nulla ratione probari potest Deum dominium inferius bonorum quod hominibus concessit resumere, quando hæc bona ab Ecclesia in ejus honorem consecrantur ; et argumenta quibus hanc opinionem volunt confirmare nihil aliud probant, nisi quod hæc bona subripi non possunt sine speciali Dei injuria. Præterea, quoniam auctores istius opinionis admittunt usumfructum, dispositionem, et administrationem horum bonorum penes homines esse, ipsumque Deum nunquam hæc bona per se administrare aut disponere, solummodo convincunt hæc bona nisi in honorem Dei ususque pios non adhibenda esse (*b*). Sed non admittendum est consectarium quod quidam (*c*) ex hac opinione deducebant, SS. Pontificem, si sine ulla causa bona unius ecclesiæ ad aliam transferret, quamvis peccaret, reum tamen non fore injustitiæ, neque ad restitutionem obligandum, quod adhuc sub dominio Dei et Christi, sicut antea, permanerent: teneri vero ad restitutionem si laico darentur, quia a dominio Dei subtraherentur. Sed in utroque casu restitutio fieri debet illi ecclesiæ a qua ea bona sine causa ablata erant; quia negari non potest quin usufructus horum bonorum ad eam ecclesiam pertinuerit. Quicumque igitur, etiam ipse SS. Pontifex, eam usufructu horum bonorum sine causa privat, ejus jus strictum violat et ad restitutionem tenetur. "Quamvis enim," ait S. Thom. (*d*), "res Ecclesiæ sint ejus (Pontificis), ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut domini et possessoris."

(*a*) Ita Navarrus de Reditibus Ecclesiasticis q. 1. monito 40 quem alii sequuntur.

(*b*) Cf. Suarez Defensio Fidei L. 4. c. 18. n. 7. seq.

(*c*) Ap. Molinam de Just. tr. 2. disp. 142. nn. 5. et 11.

(*d*) 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7.

534. Ex his fere patet quid dicendum sit de secunda opinione quæ dominium bonorum Ecclesiæ SS. Pontifici tribuit. Non hic loquimur de iis communitatibus quibus ne bona quidem communia habere licet; de harum enim communitatum bonis infra agemus. De aliis bonis Ecclesiasticis dicendum videtur cum S. Thoma, SS. Pontificem eorum esse principalem dispensatorem, non autem dominum. Habet quidem SS. Pontifex dominium altum in bona Ecclesiæ, potestque hoc dominium altum ob necessitatem aut bonum publicum Ecclesiæ exercere. Sic Paulus III., A. D. 1548, facultatem suis legatis concessit, permittendi ut hæretici conversi in Germania bona Ecclesiæ injuste usurpata retinere possent. Eandem facultatem in Anglia exercendam concessit Julius III., A. D. 1554, et in Hibernia, A. D. 1556. Idem præstiterunt Clemens XI. et Clemens XII., ineunte seculo duodevicesimo, de bonis Ecclesiæ in Saxonia usurpatis, et similem facultatem concessit Benedictus XIV. episcopis Albaniæ (*a*). In concordato inter Pium VII. et gubernium Gallicanum, inito die 15 Julii, A. D. 1801, et a SS. Pontifice confirmato die 15 Aug., hic habetur art. 13: "Sanctitas sua pro pacis bono felicique religionis restitutione, declarat eos qui bona ecclesiastica alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a se neque a Rom. Pont. successoribus suis, ac consequenter proprietas eorundem bonorum, reditus et jura iis inhærentia, immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes" (*b*). Præcipua igitur potestas administrandi bona Ecclesiæ atque altum earum dominium ad SS. Pontificem pertinet, non tamen eorum dominio proprie dicto potitur; quod probatur, imprimis, ex intentione piorum donatorum, qui non raro partem suorum bonorum Pontifici ecclesiasque urbis Romæ donaverunt, aliam vero partem aliis ecclesiis. Probabilius ergo videtur dominium eorum bonorum quæ singulis ecclesiis donata erant, ad ipsas ecclesias pertinere. "Nos," ait Benedictus XIV. (*c*), "qua Pontifex Summus, nisi domini supremi, certe quidem sumus temporalium bonorum Ecclesiæ dispensatores: 'Res Ecclesiæ sunt Papæ, ut principalis dispensatoris, non ut domini et possessoris,' inquit S. Thom.; ex quo porro sequitur ut non quidem vel ad ditandos consanguineos vel ex arbitrariis causis, fas sit nobis ecclesias suis nudare bonis; at illud quidem, ut quoties urgens subsit ratio . . . . nobis liceat . . . . imperare, ut probata licet ecclesiarum jura

(*a*) In Const. Urbem Antibarum data 19. Martii 1752, ubi etiam decreta Julii III., Clem. XI., et Clem. XII., refert. Cf. tom. IX. Bull. p. 202. Ed. Mech.

(*b*) Ap. Carriere de Just. n. 128.

(*c*) Const. Cum Enclyclicas, Bull. tom. X. p. 408. § 4.

conticescant, utique illæ ipsæ, pro publica incolumitate ac religionis commodo sacrificium quasi faciant suorum bonorum." Habet ergo Pontifex dominium altum bonorum temporalium Ecclesiæ, non autem proprietatis stricte dictum. Si enim tali potiretur dominio, bona temporalia Ecclesiæ sine injustitia ad arbitrium in suum commodum privatum convertere posset. Dominium ergo proprietatis bonorum temporalium Ecclesiæ ad varias ecclesias ad quas annectuntur pertinent, dominium altum ad Pontificem. Nullum vero dominium in hæc bona habet respublica, et ea vindicando facinora injustitiæ et sacrilegii in se admittit, et anathemati a Con. Tridentini Sess. 24, de Reform. c. 11, lato se subjicit.

535. Ex præscriptis juris municip., quæ utique quo tempore lata erant solam Ecclesiam Catholicam respiciebant, episcopus quisque habet *seisinam* possessionum temporalium suæ sedis ad modum feudi simplicis, et proinde ipsi ejusque successoribus in perpetuum addictæ erant. Ex jure com. potuerunt episcopi res temporales sedium suarum abalienare, aut in annos aut in vitam, aut in feudo sive simplici sive talliato, obtento tamen consensu decani et capituli; tunc enim, quoniam uxores et liberos non habuerint, magnopere timendum non erat ne bona illa ab Ecclesia distraherent. Postquam vero Episcopis aliisque clericis Anglicanis matrimonium contrahere lege permissum est, potestas abalienandi possessiones temporales quæ eorum ecclesiis annexæ sunt, ita per Statuta Parlamenti coarctata est, ut ne legale quidem dominium jam dici possint habere, sed solummodo earum usumfructum, quamvis præscriptum juris antiquum quo eas pro seipsis suisque successoribus tenebant, adhuc nomine tenus retineatur. Sed de hac materia satis supra diximus, ubi de corporibus egimus.

Quatenus autem clerici beneficiati, utique Catholici, dominium fructuum beneficiorum acquirant, aut ad restitutionem teneantur si fructus superfluos in usus pios non erogent, infra, ubi de restitutione, dicetur.

§ 3. *De dominio religiosorum singulorum, et societatum religiosarum.*

536. Ex præsenti Ecclesiæ disciplina ii qui viam vitæ religiosæ ingredi volunt in ordinem aliquem recipiuntur, in quo sub uno capite, secundum regulam probatam viam perfectionis prosequuntur, unde vitam cœnobiticam ducere dicuntur. Omnes qui in ordinem religiosum recipiuntur, tria vota, castitatis, paupertatis, et obedientiæ nuncupant. Ad nostrum propositum pertinet

de voto solummodo paupertatis agere. Potest quis votum paupertatis quatuor modis facere. 1. Votum paupertatis nuncupare quis potest, ita ut nec *licite* nec *valide* ullius rei dominium habere possit, neque ea *tanquam propria* uti. Tale est votum paupertatis in religione approbata nuncupatum et ab Ecclesia sacratum; quia sicut nemo per castitatis seipsum inhabilem ad mat. validum contrahendum reddere potest, ita neque per votum paupertatis seipsum facultate res temporales valide possidendi privare potest; sed hos effectus votis solemnibus paupertatis et castitatis adjecit Ecclesia. Qui votum solemne paupertatis nuncupant, habere nequeunt dominium aut validum aut licitum ullius possessionis temporalis, ac ne usum quidem ullius rei tanquam propriæ. 2. Potest quis ita votum paupertatis nuncupare ut ipsa facultate res temporales possidendi non privetur, et nullum tamen dominium aut usum *licitum* harum rerum tanquam ad ipsum jure proprio pertinentem habere possit. Et hos solummodo effectus habet votum absolutum paupertatis quod non est sacratum ab Ecclesia. Jure divino solo spectato hoc votum ad paupertatem substantialem status religiosi sufficeret. 3. Potest quis votum paupertatis ita nuncupare ut non modo validum, sed ne licitum quidem, dominium excludat, sed tantum *usum* alicujus rei temporalis tanquam suæ propriæ excludat. Tale est votum paupertatis a scholasticis Societatis Jesu emissum, et quoniam sunt vere religiosi, hoc votum sufficit ad paupertatem substantialem status religiosi. 4. Potest quis votum paupertatis ita facere ut facultatem dominio rerum temporalium et valide et licite fruendi retineat, neque omnem earum usum tanquam suarum excludat, sed solummodo ad eas non habendas aut quærendas ultra quam necessarium sit ad vitam sustentandam se astringat. Quamvis Suarez eam opinionem probabiliorem putat quæ docet hoc votum quod solummodo superflua excludat sufficere ad substantialem paupertatem status religiosi constituendam, merito tamen docet verisimilius esse paupertatem religiosam quæ usum rei temporalis tanquam suæ propriæ excluserit semper viguisse in Ecclesia.

537. "Duplex paupertas (religiosa)," ait Suarez (*a*), "intelligi potest. Una est, quæ licet excludat a singulis personis omnem proprietatem privatam, permittit nihilominus dominium in ipsa communitate. Alia vero est, quæ etiam a communitate dominium excludit, et consequenter ab omnibus et singulis religiosis non tantum ut particulares personæ sunt, sed etiam ut

(*a*) De Religione tom. 3. lib. 8. c. 8. n. 2.

partes totius communitatis. Et in hac ipsa paupertate in commune possunt esse gradus. Primus excludens dominium *possessionum* et redituum, non vero bonorum mobilium. Secundus qui horum etiam dominium non permittat. Tertius qui non solum utrorumque bonorum dominium tollat, verum etiam, non permittat congregare res necessarias ad usum pro aliquo futuro tempore, sed tantum quæ in præsenti necessaria sunt."

538. Itaque potest ipsa communitas religiosa res etiam immobiles, et reditus ex eis provenientes possidere, quamvis singuli religiosi sunt omnino dominii habendi incapaces, et etiam in usu rerum ad vitam necessariarum omnino ex nutu et voluntate superioris pendent. Hæ communitates verum habent rerum tam mobilium quam immobilium dominium. Concilium Tridentinum (*a*), "concedit omnibus monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus fratrum S. Francisci, Capucinorum, eorum qui Minores de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia iis possidere liceat." "Quia vero," ait Suarez (*b*), "Concilium non præcipit hoc genus paupertatis (quæ dominium bonorum ipsi communitati interdicit) ab iis religiosis non servari, sed indulget tantum, ideo non obstante illo decreto, potest quæcumque religio illi juri renuntiare, prout de facto fecit Societas (Jesu), quoad domos professas;" quæ proinde dominium possessionum immobilium non habent, quamvis dominium bonorum mobilium retinent. Et ita etiam aliæ quædam communitates religiosæ, ut Carmelitæ, paupertatem observant. "Dicendum igitur est," prosequitur Suarez (*c*), "hujusmodi religionem, quæ talem paupertatem profitetur, obligari in primis ad non habenda aliqua bona immobilia in *sustentationem* Religiosorum tanquam propria . . . . qui mobilia habere possunt et colligere, et ad convenientem usum pro tempore necessario conservare . . . . onerando conscientias superiorum ut hoc non permittant, nisi ubi experimento cognoverint, non posse aliter subditorum necessitatibus provideri." Sed hic gradus paupertatis non prohibet communitatem possidere domos, ecclesias, hortos, &c., quia hujusmodi possessiones in sustentationem religiosorum non habentur, neque sollicitudinem circa res temporales pariunt, ac ne incertam quidem paupertatem, neque necessitatem mendicandi ad vitæ necessaria obtinenda tollunt. In domibus enim, ecclesiis, &c., "solus necessarius usus attenditur, ad quem necessaria est firma et stabilis possessio, quia per incertam mendicitatem

(*a*) Sess. 25. c. 3. De Regularibus. (*b*) Loc. cit. c. 17. n. 1. (*c*) Ibid. n. 4.

suppleri non potest; et ideo cuique religioni, quantumvis paupertatem in communi profiteatur, hoc permissum est, singulis autem, vel latius vel strictius juxta uniuscujusque regulam. . . . . Religio Minorum profitetur se non habere proprietatem, et dominium harum etiam possessionum; aliæ vero licet servent paupertatem in communi circa alia bona immobilia, et reditus eorum, dominium in communi possessionum, quæ solum sunt ad habitationem et cultum divinum non recusant, et utrumque sancte fieri potest" (*a*).

539. Tertius gradus paupertatis in communitatibus religiosis est ille vi cujus neque singuli religiosi neque tota communitas dominium ullius rei temporalis aut immobilis aut mobilis habere potest. Hoc genus paupertatis facile intelligi potest quando agitur de rebus quæ primo usu non consumuntur, quia in his usus a dominio separari potest; et sic etiam in jure nostro municip. paterfamilias dominio potitur vestium quibus uxor ejus et liberi utuntur. Si vero agatur de cibo, potu, aliisque rebus primo usu consumptibilibus, aliqua est difficultas. In his enim videtur usum *consumptionis* a dominio separari non posse. Si enim caro aut panis detur ad manducandum aut vinum ad bibendum; difficile est intelligere quemadmodum quis jure his rebus utendi potiri potest nisi etiam earum dominium habeat. Hac de re dissensio fuisse perhibetur inter SS. Pontifices Nicolaum III. et Clementem V. ex una parte, et Joannem XXII. ex alia. Nicolaus enim, A. D. 1279, approbavit regulam Fratrum Minorum (Franciscanorum) qua et singuli religiosi et tota communitas dominium omnium rerum temporalium tam mobilium quam immobilium abdicare tenentur, et statuit dominium harum rerum ad SS. Pontificem et Romanam Ecclesiam pertinere (*b*). Novis vero disceptationibus hac de re excitatis inter ipsos Fratres Minores, Clemens V. in Concilio Generali Viennensi, A. D. 1311, in constitutione *Exivi de Paradiso*, decisionem Nicolai III. confirmavit (*c*) Controversiæ nondum sopitæ erant, et res delata est ad Joannem XXII. qui Clementi, A. D. 1316, successerat, ille in constitutione *Ad Conditorem* (*d*) statuit usum a dominio in rebus primo usu consumptibilibus separari non posse, ceterum Ecclesiam Romanam nullum jus nullumque dominium in hujusmodi rebus habere.

540. Sed revera controversia erat de verbis solummodo et non de re ipsa. Tota enim argumentatio Joannis ad hoc reduci

(*a*) Suarez. ibid. n. 7.
(*b*) Cap. Exiit de verborum significatione in 6. Lib. 5. tit. 12.
(*c*) Clement. Lib. v. tit 11. de verb. signif. cap. 1.
(*d*) Extrav. Joan. XXII. tit. 14. de verb. signif. c. 3.

potest: usus est jus re aliena utendi salva ejus substantia; atqui talis usus dari non potest in pane, vino, aliisque rebus primo usu consumptibilibus. Et hoc verum est si quæstio sit de usu *consumptionis*, de quo usu tunc reapse agebatur. Sane nemo potest manducare panem aut bibere vinum salva harum rerum substantia. Itaque si quis jus habeat quo sine injustitia privari non potest ad panem certum manducandum, cum dominio ejus potiri necesse est. Similiter si communitas jus strictum habeat panem suis membris in usum consumptionis tradendi, ita ut hoc facere sine injustitia prohiberi non possit, dominio istius panis sine dubio potitur. Hoc solummodo docuit Joannes XXII. ut ex ejus argumentis constat. Sed alius est usus meri facti et ad nutum revocabilis, qui a dominio rerum etiam primo usu consumptibilium separari potest. Namque paterfamilias dominium panis, carnis, &c. quæ ad sustentandam familiam comparaverit, tamdiu retinet quoad non manducantur, et donec consumuntur ea ad arbitrium disponere potest. Idem dicendum est de conviva qui ad cœnam vocatur; is enim non habet dominium ullius partis epularum quæ super mensam exstruuntur, neque injustitiæ reus esset hospes si cibos ei præstare recusaret. Retinent ergo paterfamilias et hospes dominium ciborum usque dum consumuntur, filii-familias vero et conviva nullum habent horum ciborum dominium, neque jus strictum iis utendi; sed facultas iis utendi ad nutum revocabilis illis conceditur. Neque talem usum voluit Nicolaus denegare iis communitatibus quæ dominio omnium rerum temporalium se abdicant, siquidem dicit: "Ad victum, vestitum, divinum cultum et sapientiale studium, necessarium rerum usum fratribus esse concessum." Quod attinet ad punctum disciplinæ, constitutioni Joannis qua dominium rerum primo usu consumptibilium abjecit postea a SS. Pontificibus derogatum est. Paulus IV. concessit Fratribus Minoribus facultatem eligendi syndicos qui bona ipsis data colligerent, "et nomine Romanæ Ecclesiæ (ad quam rerum omnium mobilium et immobilium quibus fratres uti possunt, jus, proprietas, et dominium nullo medio spectat) reciperent per eosdem in fratrum ipsorum utilitates . . . . convertenda (*a*).

541. Quamquam autem hic gradus paupertatis quo ne rerum quidem quæ primo usu consumuntur dominium a communitate retinetur, est et possibilis et laudabilis, attamen non solum licitum est, sed et sæpissime necessarium hujusmodi res tempore op-

(*a*) Const. Ex Clementi Sedis 1 Julii, 1555, Bullar. Rom. t. 4. par. 1. p. 318.

portuno in usum futurum colligere et reservare. Et hæc facultas in cap. *Exiit* et in aliis constitutionibus Pontificiis Fratribus Minoribus expresse conceditur. "Non desunt," ait Suarez (*a*), "religiosi qui putent pertinere ad majorem perfectionem, nihil providere in futurum, sed in diem vivere, petendo quotidie eleemosynas pro singulis diebus necessarias. Sed quamvis hoc fortasse possit alicubi cum fructu, vel sine reprehensione servari, loquendo tamen moraliter, ac regulariter, prout de rebus humanis judicandum est, ille modus vivendi nec est expediens, neque consulendus, et ideo S. Thom. supra prudenter dixit; 'minimam sollicitudinem ingerit servare res usui hominum necessarias tempore congruo procuratas . . . et hoc Dominus paupertatis institutor docuit suo exemplo; habebat enim loculos Judæ commissos in quibus recondebantur ei oblata, Joan. 12." Ex quibus, addit Suarez (*b*), "duo in hac materia observanda elicio: unum pertinet ad bona immobilia, quorum carentiam in communi diximus per se pertinere ad majorem perfectionem; intelligendum enim hoc est de illis bonis, quæ ad hunc finem habentur, ut ex eorum fructibus, seu reditibus religiosi alantur; namque hæc bona sunt, quæ sollicitudinem evitabilem (ut sic dicam) afferunt; et incertam mendicitatem excludunt. Sunt vero alia bona immobilia, quæ solum ad necessarium usum possidentur, ut est domus ad habitandum, et ecclesia ad Deo et proximis ministrandum; et si quid aliud est simile; et hæc necessario possidenda sunt, conservanda, et debite ministranda. Quod si hæc aliquam sollicitudinem afferunt, illa evitabilis humano modo non est; suppono enim talia bona cum debito moderamine possideri, et administrari, et ideo carentia eorum quoad possessionem et administrationem respectu communitatis non pertinet ad perfectionem. . . Aliud illatum pertinet ad quæstum, sive congregationem pecuniarum, vel aliorum bonorum mobilium; nam licet verum sit, hoc per se non impedire statum perfectionis humanæ, quia est moraliter necessarium ad vitam humanam sustentandam, nihilominus necesse est ut in hoc moderatio paupertati accommodata diligenter observetur, quod maxime commendant Pontifices . . . quia si in hoc genere quæstûs permittantur excessus, et majorem multo sollicitudinem afferre potest quam possessionum divitiæ, et moraliter etiam excludere potest indigentiam, et incertam mendicitatem saltem pro multo tempore."

542. Jam explicavimus varios gradus paupertatis quorum aliquis unus ex natura rei et jure divino in statu religioso proprie

(*a*) Tom. 3 de Rel., lib. 8, c. 9, n. 6. (*b*) *Ibid.* nn. 8 et 9.

dicto necessario servandus est. Ecclesia semper requirebat ut ii qui statum religiosum amplexi sunt eam sectarentur paupertatem quæ ad hunc statum efficiendum necessaria sit. Sed ultra hoc disciplina Ecclesiæ varia est. In primis enim Ecclesiæ seculis votum paupertatis ne in religiosa quidem professione nuncupatum capacitatem dominii abstulit. Hanc autem inhabilitatem postea induxit Ecclesia, eamque vim voto paupertatis in solemni religionis professione nuncupato attribuit, ut is qui professus est eo ipso dominio omnium rerum quas hactenus possidebat privetur, et incapax bona in posterum possidendi efficiatur; neque ullam rem temporalem sine superioris licentia accipere, retinere, absumere, permutare, commodare, alienare aut uti potest. Etiam animo paratus esse tenetur possessionem et usum rerum ipsi permissarum, quandocumque superior voluerit abjicere, neque rem ad unum certum usum concessum ad alium convertere potest, neque aliquid peculiare in iis quæ monasterio ejus intuitu dantur vindicare, sed ea tanquam omnino communia habere tenetur. Ratio est quia votum solemne paupertatis excludit non solum dominium bonorum temporalium sed et omne jus ad usum ut religioso debitum, quia tale jus est species dominii. Itaque jus ad usum quorundam vestium aut ciborum sibi vindicare non potest, sed debet se omnino submittere voluntati superioris, ad cujus arbitrium usus concessus est omnino revocabilis. Hoc tamen temperamentum admittit Benedictus XIV., ut quando subsidia dantur monasterio intuitu cujusdam religiosi, superior consulere debeat indigentiis istius religiosi cui annua præstatio a consanguineis penditur. Non tamen possunt professi privatim ullos reditus pecuniarum, vel census relictos, et legatos a consanguineis, vel ab aliis in suam sustentationem, habere; sed omnia ad manus superioris deferri oportet, ex decisione a S. Cong. Canc. A.D. 1586 (*a*) facta. Quidquid enim acquirit monachus acquirit monasterio. Neque hoc ita fit ut bona quæ quocumque modo religioso dantur, prius ab ipso religioso acquirantur et deinde monasterio ab eo tradantur. Hoc enim fieri nequit, quoniam ipse professus dominii incapax est, et proinde bona hoc modo oblata nullo intervenient statim ad ipsum monasterium si capax sit dominii, aut si non sit dominii capax, ad SS. Pontificem pertinent.

543 In voto solemni paupertatis solus Pontifex dispensare potest aut omnino aut ex parte tantum. Si autem professum ab

(*a*) De Synodo, lib. 13, c. 12, n. 20, ubi etiam aliam similem resolutionem A.D. 1601 datam affert.

obligatione paupertatis omnino dispensaret, quamquam aliis duobis votis castitatis et obedientiæ adhuc ligaretur, non esset religiosus proprie dictus, quoniam obligatio non possidendi saltem *superflua* ad substantiam status religiosi pertinet, et in communitatibus abdicatio juris ad usum ex parte religiosorum est sane moraliter necessaria. His autem servatis potest Pontifex dispensare in voto paupertatis etiam *in sensu composito;* id est, ita ut dispensatus religiosus permaneat, et ut valide et licite dominium rerum temporalium habere possit. Dispensatio vi cujus religiosus capax dominii efficitur erit valida etiamsi detur sine causa, quia inhabilis ad dominium habendum efficitur solo jure ecclesiastico, in quo Pontifex summa gaudet potestate; sed in quantum ei concederet facultatem res temporales contra votum *licite* possidendi esset invalida, quia quoad hunc effectum obligatio voti est juris naturalis et divini in quibus Pontifex sine justa causa valide dispensare non potest.

544. Quando votum paupertatis est simplex, quale in pluribus congregationibus religiosis nuncupatur, inspicienda est regula ut cognoscatur ad qualem paupertatem membra congregationis obligentur. In Societate Jesu scholastici qui post duos novitiatûs annos tria nuncupant vota simplicia, veri religiosi efficiuntur; itaque hæc vota sufficiunt ad statum religiosum, ut declaravit Gregorius XIII. in Const. *Ascendente Domino* data die 25 Maii, A. D. 1584. Votum tamen paupertatis ab his scholasticis emissum eos incapaces dominii non reddit. Proinde dominium bonorum et valide et licite retinere possunt. Fratres vero *formati* Societatis qui ad vota secunda, non vero ad solemnem religionis professionem, admissi sunt, incapaces dominii redduntur quamdiu in Societate retinentur. In aliis societatibus religiosis in quibus vota solemnia non nuncupantur votum paupertatis nunquam capacitatem dominii aufert.

§ 4. *De præscriptis legis municip. circa agros qui in manu mortua* [mortmain] *abalienari dicuntur, et de aliis præscriptis quibus facultas agros abalienandi Ecclesiæ, domibusque religiosis restringebatur. De legatis quoque ob causas pias factis agitur.*

545. Agri et tenementa in manu mortua abalienata esse dicuntur, quum corpori alicui abalienata sunt, sive corpus est solum sive aggregatum, sive ecclesiasticum sive laicum. Ideo agri qui ad corpus pertinent dicuntur esse in manu mortua [*in a dead hand or mortmain*], quia corpus, ut vidimus, nunquam moritur, neque est infans, neque matrimonium contrahit, et proinde

dominus rapax feudi, neque titulo curatoris, neque occasione aut matrimonii aut successionis ad hereditatem, corpus deprædari potuit. Propter has rationes domini cupidissimi corpora et præsertim domos religiosas a quibus pauperes sustentabantur ex donationibus iis ab hominibus piis concessis odio infensissimo prosequebantur. Ex jure enim com. possunt corpora non minus quam singuli homines, agros emere, aut alio modo licito acquirere pro se suisque successoribus. Affirmat Blackstone auctoritate Seldeni fretus, quos sequitur Stephen (*a*) corporibus jam sexaginta annis ante victoriam Normannorum opus fuisse licentia regia ut acquirerent agrorum dominium. Sed hoc merito in dubium revocat Scriptor magni nominis qui negat hujusmodi licentia ex jure com. opus fuisse (*b*). Clausula autem Magnæ Chartæ ita interpretata est ut agri domibus religiosis dari non possent sine consensu *domini feudi*. Magna Charta cui hæc clausula primum inserta est, non est Magna illa Charta Joannis regis, sed secunda ex Magnis Chartis ab Henrico III. concessis. Jam vero ipse Stephen (*c*) agnoscit locupletissimas agrorum possessiones religiosis *domibus* donatas fuisse *sine ulla licentia* in tempore interjecto inter victoriam Normannorum (A. D. 1066) et secundam ex iis ab Hen. III. concessis (A. D. 1217). Per hanc tamen Magnam Chartam et aliam ab eodem rege A. D. 1225 concessam statuitur non solum ut agri sine licentia debita domibus religiosis ne valide possint abalienari, sed etiam ut ipsi agri ad dominum feudi in modum multæ concederentur. Sed hoc præscriptum episcopos aliaque corpora sola non complectebatur, et corpora ecclesiastica aggregata, quæ teste Coke (*d*) ideo laudanda sunt quod semper conciliarios juris peritissimos habuerint, facile has injustas restrictiones evitabant. Hoc effecerunt partim emendo agros quos ipsæ domus religiosæ ut domini feudi tenebant, qui proinde vi Statuti ipsis pervenirent; et partim agros conducendo in mille aut etiam in plures annos per locationis instrumenta; hos enim agros quorum feudum non erat abalienatum non respiciebat Statutum. Hunc modum agros in plurimos annos abalinandi, etiam ubi nulla quæstio erat de corporibus, commodissimum esse compertum est, atque is post hoc tempus sæpissime usurpabatur. Ad hæc effugia præcludenda latum est Statutum 7 Edv. I., A. D. 1297, quo cautum est ne *ulla persona*, sive religiosa sive alia quæcumque, emeret aut venderet aut reciperet

(*a*) Vol. 1. p. 460.
(*b*) Cf. Hallam's Middle Ages, vol. 1. p. 433., 7th edit., Paris: Baudry.
(*c*) Loc. cit.
(*d*) 2 Inst. 75 ap. Steph. vol. 1. p. 461.

donatione, aut in annos, aut alio quocumque titulo, neve ulla arte aut ingenii acie, agros sibi in manu mortua appropriaret, sub pœna eos domino proximo feudi cedendi. Et si is jus suum non prosequeretur infra annum et diem, dominus supremus proximus eos occupare poterat, et proximo domino supremo jure suo non exigente, ab ipso rege exigi potuerunt.

546. Quamquam per hoc Statutum omnis abalienatio in manu mortua sine licentia excludi videretur, attamen ingenium jurisperitorum apud domos religiosas rationem illud eludendi invenit. Quum enim quis agros in gratiam earum abalienare statuisset, convenit inter eos, ut domus religiosa vi tituli ficti, agros tanquam sibi ante Statutum debitos apud judices vindicaret. Dominus causam non defendebat, et agri domui religiosæ adjudicabantur. Ope hujus subtilitatis judices postea viam excogitarunt qua *mala intolerabilia* (*a*) quæ ex Statuto *De Donis* profluebant multum minuebantur. Quando enim tenens in tallio agros vendere statuisset, inter ipsum et emptorem convenit ut hic ficto titulo agros sibi vindicaret; et quoniam venditor actionem non defendebat, judices titulum emptoris confirmabant, neque eum ulla ratione postea everti permittebant. Emptor agros sic acquisitos in feudo simplici possidebat. Quamvis autem hæc actio ficta a judicibus sufficiens declarata est ad feudum talliatum in feudum simplex convertendum, ipsæ domus religiosæ nullum fere commodum ex ingenio suo percipiebant; namque per 13 Edv. I., quando agri a domo religiosa aut a corpore per actionem recuperantur, titulus petitoris [*the plaintiff*] per juratores explorari jubetur, ut si titulus sit verus agri ipsis restituantur; si vero sit fictus, ut domino feudi proximo, aut domino proximo supremo, aut denique regi, modo jam exposito traderentur. Insuper per 34 Edv. I., st. 3, licentia regis sine consensu domini feudi irrita declarata est.

547. Rationem vero qua hanc quoque legem eluderent excogitarunt domus religiosæ, quum sejungerent dominium ipsorum agrorum ab eorum usu et commodo. Hac distinctione facta dominium directum agrorum, seu status legalis abalienatus est homini ejusque heredibus in usum et commodum communitatis religiosæ, quæ ergo statu æquitabili potita est. Et quamquam Curiæ Juris Com. statum æquitabilem nullomodo agnoscerent, Curiæ Æquitatis possessorem status legalis reditus aliaque emolumenta communitati religiosæ [*cestui que use*] solvere cogebant. Religiosis itaque domibus summo honori est, quod doctrinam de usibus et fideicommissis in legem municipalem invexerunt, ex qua modus jam

(*a*) Verba sunt ipsorum jurisperitorum. Cf. Steph. vol. 1. p. 254.

per plura secula agros abalienandi usitatissimus derivatur(*a*). Attamen ipsæ religiosæ domus ex re tam utiliter inventa nullum commodum consecutæ sunt, namque per 15 Rich. II., c. 5 (A. D. 1342), statutum est ut agri qui usque ad id tempus abalienati essent in usum domorum religiosarum, aut ex licentia regis ipsis domibus religiosis in manu mortua abalienarentur, aut personis privatis vendi deberent; et ut in posterum usus et status æquitabilis præscriptis quibus abalienati religiosis domibus agri regebantur, eodem modo ac status legalis subjicirentur; et ut eodem modo si Stat. violaretur domino feudi traderentur. Eodem Stat. declaratum est legem de agris in manu mortua abalienandis elusum fuisse quum ampli agri nomine cœmeteriorum consecrati variis ecclesiis adnectabantur, atque sancitum est ut hi quoque agri præscriptis hujus Statuti subjicerentur. Hæc præscriptum corpora laica æque ac ecclesiastica respiciunt. Ac ne ipsius quidem regis solius licentia sufficiebat ut agri domibus religiosis rite abalienarentur; nam ubi alius erat dominus inferior feudi, ejus quoque consensus necessarius erat. Sed per Stat. qua *subinfeudatio* vetita est, procedente tempore numerus dominorum inferiorum adeo imminutus est, ut per 7 et 8 Guliel. III. licentia aut consensus domini intemedii non jam requiratur.

548. Per 1 et 2 Philip. et Mariæ, c. 8 Statuta de abalienationibus in manu mortua suspensa sunt in viginti annos, quo intervallo qui agros monasteriorum habebant, illos nulla licentia interposita restituere potuerunt; et quilibet alius ad suum arbitrium agros corporibus religiosis abalienare poterat. Sed hoc non multum religiosis domibus profuit; nam Maria paucis post annis mortua est, et Elisabeth quæ post eam regnum accepit non solum domos religiosas sed et ipsam Ecclesiam Catholicam atrociter insectata est.

549. Si accurate loquimur, dicendum est Catholicos (exceptis nostri collegii curatoribus) Statutis de agris in manu mortua abalienandis non subjici, quia neque episcopi, neque parochi neque domus religiosæ, tanquam corpora a lege municip. agnoscuntur; neque ad præscripta legis agros pro seipsis suisque successoribus tenere possunt. Necessarium est ut Catholici constitutis fiduciariis tuta præstarent ea omnia quæ comparantur in sustentationem sive episcoporum, sive sacerdotum, sive domorum religiosarum, sive quæ ob aliam quamcumque piam causam providentur. Potest tamen quispiam per ipsum instrumentum quo agros aliave bona ecclesiæ alienat aut per

(*a*) Cf. Steph. vol. 1. p. 463.

testamentum ordinare ut v. g. Romanus Catholicus episcopus Dublinensis facultatem habeat fiduciarios designandi, quandocumque propter mortem aut aliam causam novus fiduciarius constituendus est; quo facta munus fiduciarium eligendi revera ad Catholicum episcopum Dublinensem ejusque successores pertinebit. Quia quamvis lex municip. eum successores habere non agnoscat, designato Romano Catholico episcopo Dublinensi sufficienter determinatur homo qui quovis tempore eo officio potitur. Idem dicendum de præside Collegii Manutiani aut de quovis alio cujus designatio æque certa et determinata est. Potest quis per factum in tabulas Curiæ Cancellariæ relatum ptochotropheum in sustentationem pauperum instituere. et aliquibus quibus munus ejus administrandi tribuit incorporare, ita ut possint agros pro seipsis suisque successoribus sine ulla licentia acquirere.

550. Alia vero sunt impedimenta legalia quæ prohibent ne necessitatibus Ecclesiæ Catholicæ etiam constitutis fiduciariis provideatur. Namque per 23 Hen. VIII., c. 10, abalienatio agrorum facta fiduciariis in usum et commodum ecclesiarum parochialium aut aliorum operum quæ ob pias causas instituta sunt [*on trust for parish churches, or other institutions "erected and made of devotion"*], in spatium temporis uno et viginti annis longius invalida in posterum esse declaratur. Postea præscripta hujus Statuti ad *solos usus superstitiosos* (quo nomine fidem antiquam Ecclesiæ designabant) ex judicum interpretatione circumscripta sunt. Itaque solummodo complectitur domos religiosas et alias res quæ ad religionem Catholicam promovendam institutæ sunt, non autem donationes pro scholis Catholicis aut in sustentationem pauperum aut in alium usum concessis, modo tamen nomine usus superstitiosi ne donentur. Hoc Statutum, quod a Parlamento Anglicano latum est, in Hibernia nunquam vim habuit. Sed eo ipso tempore quo hoc Statutum latum est, neque Henricus, neque proceres Angliæ ullam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ respuerant, et ideo ex hoc Statuto declarare legatum quo missis pro anima donatoris celebrandis provisum est, datum esse in usum superstitiosum, vel summæ stultitiæ vel nequitiæ est. Nihilominus propter hoc Statutum tale legatum in Anglia invalidum habetur. Hoc Stat. ad Hiberniam nunquam pertinuit, sed variis temporibus tentatum est edictum a Curia Cancellariæ impetrari quo statueretur legata ad missas celebrandas data, ob generalem reipublicæ disciplinam a tempore reformationis quam falso dicunt, irrita esse. Semper tale edictum frustra petitum est, et a Magistro Rotulorum declaratum est pecuniam datam ad missam celebrandam datam non esse ob usum superstitiosum. Sed

adhuc declaratum non est talem legatum esse ob piam causam, et proinde adhuc certum non est legatum ad *perpetuam* missarum celebrationem obtinendam esse validum. Licet autem sperare brevi futurum esse ut omnia præscripta pœnalia contra fidem Catholicam latam abrogentur.

551. Per Geo. II., c. 36, statuitur ut nulli agri, aut hereditamenta, aut pecunia quæ in agris emendis impendi jubetur, possint donari aut abalienari, aut ulli oneri subjici, propter usus qui ullo modo ad pauperum utilitatem spectent [*for any charitable use whatsoever*], nisi per factum nomine donantis coram duobus testibus subscriptum, ejusque sigilo munitum et traditum [*by deed executed—that is, signed, sealed, and delivered*] (*a*). Hoc factum necessario confici debet duodecim mensibus ante mortem donatoris, et in tabulas Curiæ Cancellariæ infra sex menses ex quo confectum est referri. Si quis opus aliquod instituerit pauperibus sublevandis, eique agros donaverit, ii quos fiduciarios constituerit in possessionem agrorum mittendi sunt, neque agri dari possunt in modum reversionis aut residui, et donator nullam potestatem factum revocandi reservare potest. Ex Statuto donatio debet nullam clausulam aut pactum continere in utilitatem aut ipsius donatoris aut aliorum qui in ejus jura successuri sunt; sed nunc per 24 et 25 Vict., c. 9, et 25 et 26 Vict., c. 17, clausula in facto abalienationis includi potest vi cujus reditus nomine tenus reservari potest, et jus ad metalla, ad fossilia, et ad levamenta; et quoque includi possunt stipulationes de ædificiis, viis, &c., et etiam de jure agros iterum ingrediendi si conditiones facti violatæ fuerint, modo donator easdem conditiones pro iis qui in ejus jura succedent, quas pro seipso, conservaverit. Omni rigori Statuti 9 Geo. II., c. 36, non subjicitur pecunia fide publicâ mutua data quæ in emptione agrorum impendi jubetur; quia translatio hujus pecuniæ facta in libris mensæ argentariæ Anglorum in gratiam fiduciariorum saltem sex mensibus ante mortem donatoris valida est. Statutum supradictum solam Angliam, non autem Hiberniam aut Scotiam, respicit. Præterea non complectitur agros, &c., nisi aut omnino aut ex parte gratis donentur, quia quando abalienatio in usus pios fit, aut per emptionem quo agri pretio pleno tempore emptionis soluto acquiruntur, aut reditus summus annuus reservatur, abalienatio valida est. Universitates Oxoniensis et Cantabrigiensis, eorumque collegia, et alumni qui sustentantur ex dotationibus Collegiarum Etonensis, Westmonasteriensis, Vintoniensis, Statutis de abalienationibus in manu mortua non subjiciuntur. Statuta non respiciunt alia

(*a*) De factis ubi de contractibus agetur.

bona nisi agros et hereditamenta, et pecuniam quæ in agris emendis impendi jubetur; pecuniam enim, aliiaque bona et catalla personalia, ad arbitrium in usus pios non *superstitiosos*, aut dum vivit, aut per testamentum quivis ordinare potest.

552. Eadem præscripta de abalienationibus in manu mortua valent etiam in Hibernia; sed ut vidimus, neque domus religiosæ, neque episcopi Catholici neque parochi, secundum jus municip. corpora esse agnoscuntur. Stat. 23 Hen. VIII., c. 10, et 9 Geo. II., c. 36, vim non habent in Hibernia. Sed per Stat. A. D. 1844 latum, quod *The Charitable Bequests Act* dicitur, agri, tenementa, et hereditamenta, et pecunia quæ in agris emendis impendi jubetur, in pios usus valide abalienari non possunt, neque ulli oneri subjici, nisi per factum sigillo donatoris munitum et traditum [*by deed sealed and delivered*] et tribus mensibus ante ejus mortem confectum, aut per testamentum tribus mensibus ante mortem testatoris conditum. In Scotia agri valide in pios usus abalienari possunt, modo factum abalienationis aut testamentum confectum fuerit quindecim diebus ante mortem donatoris, si ipse aliquo tempore post factum aut testamentum confectum in negotiis usitatis occupatus fuerit. Hæc lex longe justior est eis quæ in Anglia et Hibernia obtinent, et jura familiæ defuncti satis superque protegit. Et revera satis absonum est ut lex tam caute jura familiarum custodiat, ne parentes partem possessionum in opera misericordiæ et pietatis impendant, dum iis permittit usque ad extremum vitæ diem omnia sua bona alienis ita donare, ut uxorem et filios omnino destitutos relinquant.

553. Præterea in lege de Catholicis emancipandis, A. D. 1829 lata, statuitur ut ordines religiosi virorum, quorum membrorum nomina in acta publica non referuntur [*unregistered members of religious orders of men*] illicitæ essent, et pœnis subjicerentur, unde donationes in eorum sustentationem factæ prorsus illicitæ habentur. Quamvis regula est æquitatis ut quando donatio misericordiæ causâ facta ad objectum a donatore designatum adhiberi non potest, in aliud objectum affine concedi debet, qui modus voluntatem domini exequendi *cyprès* dicitur, ut mens donatoris in quantum fieri possit impleatur; attamen quando objectum designatum a lege reprobatur, donatio nulla et irrita declaratur. Legatum nuperrime in Hibernia educandis religiosis ordinis S. Dominici datum, apud judices impugnatum est eo quod legi repugnaret. Magister Rotulorum (Smith) illud non esse irritum, sed modo supradicto (*cyprès*) administrandum esse decrevit. Sed hoc judicium per Curiam Appellationis Cancellariæ eversum est, et timendum est ne hoc ultimum judicium valeat donec per Statutum Parlamenti abrogatum fuerit.

554. In Anglia lex omnino justior est; ibi enim quando donatio in gratiam solius Ecclesiæ Catholicæ facta est, quæ in usus designatos adhiberi non potest eo quod a lege municip. reprobantur, irrita non declaratur, sed per 23 et 24 Vict., c. 134, in alios usus a lege non improbatos qui sunt in commodum solius religionis Catholicæ adhiberi jubentur. Quando donatio in diversos usus destinatur, quorum aliqui a lege agnoscuntur, alii reprobantur, pars debita in usus permissos traditur, et reliqua pars in usus a lege non improbatos in gratiam solius Ecclesiæ Catholicæ transfertur. Hæc ordinatio bonorum quæ in usus a lege improbatos destinata erant, obtineri potest in Anglia aut a Curia Cancellariæ, rogatione data, aut a regis advocato primario [*the Attorney-General*], aut ab aliquo alio qui a concilio eorum qui curam legatorum piorum administrant [*the Board of Charity Commissioners*] ad hanc rogationem faciendam designatus fuerit; aut concedi potest ab ipso Curatorum concilio, si libellus supplex ei in hunc effectum datus fuerit ab iis quibus bona ista ad usus lege non permissos concessa sunt.

555. Quamvis vero fidei-commissa misericordiæ causa constituta [*charitable trusts*] quæ jurisdictioni curiarum æquitatis subjiciuntur, ita latè accipiuntur ut includant donationes non solum religionis promovendæ, pauperumque sublevandorum causa factas, sed et eas quæ ad artes liberales et disciplinas promovendas aut in aliquam *publicam* utilitatem destinantur; attamen donationes stricte *privatæ* in fidei-commissis quæ cognosci possint, a curiis sive legis sive æquitatis non computantur. Itaque si per factum aut testamentum bona aliquibus in instrumento designatis donentur ab iis in usus quos libuerit impendenda, hi poterunt hæc bona adhibere ad eos usus pios quos lex municip. improbat, modo tamen iis hi usus indicati ne fuerint ante mortem donatoris aut testatoris. Sed potest donator aut testator hos usus cuilibet alteri declarare, a quo post mortem testatoris iis quibus jus disponendi de bonis conceditur manifestari possunt, sine ullo periculo ne legatum pro irrito a tribunalibus habeatur. Si vero usus iis quibus data est bonorum administratio patefacti fuerint ante mortem donatoris, lite instituta in curia æquitatis, ii ipsi jurejurando declarare coguntur, utrum hos usus in quos bona a donatore destinata erant, ante ejus mortem cognoverint necne, et si ante ejus mortem cognoverint, donatio irrita declarabitur. Exceptis usibus supradictis, donatio aut legatum ad religionem Catholicam promovendam aut ad opera pietatis perficienda omnino valida est, et ideo etiam adversus Statuta quibus abalienationes in manu mortua prohibentur, potest quis per factum in tabulas Curiæ Cancellariæ relatum

ptocheum instituere, et aliquos ad id administrandum designare, qui hoc ipso corpus efficientur, poteruntque bona, catalla et agros, qui tamen aut in feudo simplici aut ad modum liberi tenementi haberi debent, pro seipsis suisque successoribus tenere. Sed agri, postquam omnes solutiones quæ ex iis debitæ sunt solutæ fuerint, annuum reditum neque minus lbb. 10 neque plus lbb. 200 præstare debent.

DISPUTATIO VIGESIMA SEPTIMA.

DE MODIS SEU TITULIS QUIBUS DOMINIUM RERUM EXTERNARUM ACQUIRI POSSIT IN GENERE SPECTATIS ; DE TITULIS IN SPECIE QUIBUS SECUNDUM PRÆSCRIPTA JURIS MUNICIP. POSSESSIONES IMMOBILES ACQUIRI POSSINT.

§ 1. *De modis seu titulis quibus dominium rerum acquiri possit in genere spectatis.*

556. Jam supra quid nomine tituli significetur exposuimus. Hic itaque agendum est de variis modis quibus dominium bonorum externorum acquiri potest; quibus expositis patebit quomodo eorum dominium deperdi possit, et ab uno in alterum transferri. Quod ad præsens propositum attinet, bona externa vel sub dominio humano jam constituta sunt vel non ; evidens enim est ex iis quæ de origine dominii diximus modos quibus acquiri possit dominium bonorum quæ sunt nullius, omnino diversos esse ab iis quibus dominium rerum quæ dominum jam habent acquiritur. Modi quibus res quæ ad neminem pertinent acquiruntur *originarii* dicuntur; modi vero quibus dominium rerum ab uno in alterum transfertur *derivativi* appellantur.

557. In lege naturali, et præsertim in jure municip., distinctio maximi momenti occurrit inter modos quibus dominium *rerum immobilium* et *rerum mobilium* acquiritur, ut ex dicendis manifestum erit. Quomodo res immobiles seu agri, sive sunt intra fines alicujus reipublicæ sive non, modo tamen sub dominio ullius hominis privati ne constituantur, supra dicentes de origine dominii exposuimus. Dominium enim agrorum qui neque ad rempublicam neque ad civem privatum pertinent occupatione et industria humana modo jam exposito acquiritur; si vero ad ipsam rempublicam pertineant privatis donari aut locari aut vendi possunt, servata tamen justitia distributiva. Itaque agendum est de modo dominium rerum immobilium acquirendi, quæ jam a privatis dominis appropriatæ sunt.

558. In memoriam revocandum est *res* immobiles et *status* immobiles diversas omnino habere significationes; ager enim est semper res immobilis, quamvis status quem quis ex eo derivat inter res ejus mobiles computatur. Insuper ipse status qui ex agris aut domibus derivatur potest esse aut legalis aut æquitabilis. *Directe* non agimus de modis quibus dominium ipsarum rerum immobilium acquiritur aut amittitur. Quoniam enim agimus de agris qui jam ad privatos dominos pertinent, aut aliquando pertinebant, manifestum est titulum plerumque a voluntate domini derivari debere, qui agros abalienare potest in feudo, aut in vitam, aut in annos, aut ad arbitrium suum concedere. Dominium eorundem agrorum inter plures dividi potest; alius enim eis potiri potest in feudo simplici, alius in annos, alius ad arbitrium domini, alius in vitam, et alii jura diversa incorporalia in iis habere possunt. Sed hæ omnes species dominii quæ in agris habentur nihil aliud significant quam diversos status, et commoda, et levamenta quæ ex agris derivari possunt. Itaque quærendum est quibus modis quis statum aut in feudo, aut in vitam, aut in annos, aut jura incorporalia in agris acquirere possit. Hoc facto cognoscuntur tituli quibus hæc omnia acquiri possunt. Expositis autem modis quibus status in agris acquiri possunt, cognoscuntur etiam modi quibus ipsi agri acquiruntur; cognita enim natura status quem quis ex agris derivat, statim cognoscitur quatenus dominio ipsorum agrorum potiatur. Qui enim habet statum in feudo simplici absoluto, dominium absolutum ipsorum agrorum possidet. Qui statum habet in vitam dominio agrorum in vitam potitur, sed dominium feudi seu hereditatis ad alium pertinet. Dominus vero status æquitabilis solius, nullum habet agrorum dominium. Sed hæc omnia ex supra dictis de variis speciebus dominii satis plana sunt.

559. Hic ex professo de solis statibus legalibus tractamus, iisdem enim modis acquiruntur et amittuntur status æquitabiles. Secundum eadem legum præscripta jure hereditario [*by descent*] transmittuntur utriusque generis status, et per ejusdem speciei instrumenta abalienari possunt. Attamen status æquitabiles per alios modos multo simpliciores creari et abalienari possunt; solum enim præscriptum cui subjiciuntur illud est quod per 19 Car. II., c. 1 [*the Statute of Frauds*] inductum est, vi cujus instrumentum quo fidei-commissum abalienatur aut assignatur debet scriptis mandari et nomine fiduciarii subsignari.

560. Docet Blackstone (*a*) duplici modo seu titulo acquiri posse statum in agris, jure hereditario [*by descent*], et conquisi-

(*a*) Vol. 2. pp. 201, 241.

tione [*by purchase*]. Conquisitio non restringitur ad titulum emptionis, sed complectitur omnem modum legalem quo quis *actu suo* agros acquirere potest. Status autem qui jure hereditario obtinetur a jurisperitis per *actum legis* acquiri dicitur. Objicit Stephen (*a*) omnes titulos quibus agri acquiri possunt ad hos duos revocari non posse; escætam enim ad neutrum revocari posse; non ad jus hereditarium, quia vi hujus tituli status ad dominum feudi revertitur hoc ipso quod deficit heres ex parte tenentis, neque ad conquisitionem, quia titulus escætæ per actum ipsius legis efficitur. Dicit ipse ipsum (*b*) statum in agris obtineri posse aut per actum legis, aut per actum ipsius hominis a quo status acquiritur. Ad actum legis revocat titulum juris hereditarii, escætæ, tenentis ex urbanitate et tenentis in doario; ad actum autem ipsius hominis a quo status comparatur, titulum occupationis [*by occupancy*], titulum quo feudum ad dominum ob culpam tenentis revertitur [*forfeiture*], et eos omnes quibus agri ab uno in alterum voluntarie transferri possunt. Sed revera hæc controversia nullius est momenti, modo ipsi tituli rite intelligantur; quia etiam titulus juris hereditarii non est omnino perfectus, donec aut ipse heres aut alius ejus nomine agros ingreditur; neque dominus feudi vi escætæ dominum agrorum antequam eos ingreditur acquirit. Insuper secundum 3 et 4 Guliel. IV., c. 106 [*the Inheritance Act*], quo titulus hereditarius nunc regitur et definitur, omnes tituli quibus status in agris acquiri possunt ad jus hereditarium et conquisitionem revocantur, ut ipse Stephen fatetur. "In substance," ait (*c*), "the Statute defines the *purchaser* to mean the person who last acquired the land *otherwise than by descent*." Itaque prætermissa hac controversia ipsos titulos recensitos exponemus. De titulis tamen statuum *ex urbanitato* et *in doario* nihil hic dicendum est, quia hos supra, ubi de his statibus agebamus, satis exposuimus. Titulis tamen a Blackstone et Stephen enumeratis quatuor alii, addendi sunt, nempe ex rescripto *elegit* quod dicitur, vadi mortui, testamenti et præscriptionis quibus status in agris acquiri possunt. Sed titulus quo status in agris per rescriptum *elegit* acquiri potest satis ubi de hoc statu egimus expositus est, et de vado mortuo et testamentis, ubi de contractibus sermo erit agemus. Hic igitur restat ut agamus de titulis juris hereditarii, escætæ, feudi ob culpam ad dominum revertentis, abalienationis, et præscriptionis.

561. Manifestum est ex hac enumeratione aliquos titulos alio

(*a*) Vol. 1. p. 388, et n. ubi pro sua sententia adducit Dominum Coke.
(*b*) Ibid. (*c*) Loc. cit.

sub respectu respici a jurisperitis, sub alio a theologis. E feudo enim ob culpam excidere et quidam aiii ex titulis enumeratis respicerentur a theologis ex parte ejus a quo agri deperduntur, et ideo in titulis quibus status in agris acquiri possunt non ponuntur. Sed hæc est quæstio de nomine, quia quando agitur de titulis *derivativis*, manifestum est statum ab uno acquiri non posse quin ab alio deperdatur. Sic quando filius jure hereditario in statum patris succedit, pater statum amittit quem filius acquirit; quando Caius statum suum abalienat Julio, Caius statum amittit, qui a Julio acquiritur. Vice versâ quando Petrus e feudo excidit, status ejus a Jacobo domino feudi acquiritur, et proinde si respicitur effectus ex parte Jacobi, e feudo excidere inter titulos quo dominium status in agris acquiri potest rite recensetur.

§ 2. *De titulo juris hereditarii.*

562. Hic titulus ut patet nonnisi status hereditarios, id est, status qui in feudo aut simplici aut talliato tenentur respicit. De his statibus jam satis fuse disputavimus, ubi etiam specialia præscripta ex quibus status talliati transmittuntur, et quo modo feudum talliatum in feudum simplex converti possit exposuimus. Itaque modo explicato quo transmittitur feudum simplex, modus transmittendi statum talliatum sufficienter explicabitur. Neque necessarium erit quidquam dicere de successionibus quæ jure hereditario quidem sed ex consuetudine speciali obtinent, ut quando agri ex consuetudine quæ *gavel kind* et ex ea quæ *Borough English* dicitur, transmittuntur; quoniam has consuetudines jam exposuimus. Neque hic investigabimus quinam sint successionis hereditariæ incapaces, quoniam de hac quæstione in sequenti titulo *escætæ* commodius agere possumus.

563. Nemo potest esse heres alterius plene et perfecte ante hujus mortem, secundum regulam juris: Nemo est heres viventis. Aliquando tamen antecessore [*the ancestor*] mortuo heres necessario succedit, sed hoc præscriptum non obtinet in feudis simplicibus de quibus solis hic agimus. In his enim potest antecessor heredem excludere sive agros alienando dum vivit, sive eos per testamentum disponendo. Heres itaque antecessoris qui statum suum in feudo simplici possidet in hereditatem succedet solummodo sub hac conditione, si antecessor eam aliter non disposuerit. Heres est vel *apparens* vel *præsumptus* [*presumptive*]. Prior est ille cujus jus *hereditarium* nullo modo vinci potest, nisi antecessor eum vitâ superaverit. Sic filius primogenitus, patre mortuo, necessario in *hereditatem* succedit, nisi pater

eam aliter disposuerit. Heres *præsumptus* est ille qui si antecessor nunc moreretur in hereditatem succederet, cujus tamen jus hereditarium per nativitatem heredis propioris everti potest. Sic jus fratris ad hereditatem fratris sui qui liberos nondum habet, nato filio evertetur; et jus filiæ ad hereditatem patris qui filium nondum habet, nato filio, destruetur. Imo etsi frater aut filia hereditate jam potiatur, nato filio postumo ea privabitur.

563. Modus quo agri jure hereditario transmittuntur post diem 1^m^ Jan., A. D. 1834, Statuto jam allato [*The Inheritance Act*] regitur. Hoc Stat. eas successiones quæ fiunt secundum consuetudines singulares quorundam maneriorum non respicit. Jus hereditarium in hoc Stat. definitur esse titulus quo agri *ratione consanguinitatis* acquiruntur, sive heres est filius aliusve ex posteris ejus in cujus statum succedit, sive solummodo inter ejus antecessores aut consanguineos in linea transversa numeratur (*a*). Heres itaque necessario debet esse consanguineus illius cujus statum jure hereditario acquirit. Advertendum tamen est, 1. statum jure hereditario vi Statuti non solum posteris ex antecessoribus, sed etiam antecessoribus ex posteris transmitti posse. 2. Antiquam juris regulam, *seisina facit stipitem*, omnino abrogatam esse. Ex hac regula nemo potuit in agros jure hereditario succedere nisi esset heres illius hominis qui proximus *seisinam* agrorum habuerit. Nunc autem ex Statuto requiritur et sufficit, ceteris conditionibus servatis, ut origo [*the descent*] *a conquisitore* status [*the purchaser of the estate*] deducatur. Neque etiam necessarium est ipsum agrorum conquisitorem seisinam habere, ut eos jure hereditario transmittere possit; sufficit enim ut agri tempore mortis ad ipsum jure pertinebant, quamvis eorum seisinam nunquam habuerit, neque reditus ex iis unquam perceperit. 3. Notandum est verbum *agri* [*lands*] in hoc Stat. omnia hereditamenta, tum corporalia tum incorporalia, cujuscumque tenuræ, et statum hereditarium omnem, sive sit in possessione, sive in reversione, sive in residuo complecti.

564. Stirps communis est persona ex qua consanguinei originem ducunt. Quando ergo duo aut plures ex eadem persona originem ducunt, ab eadem communi stirpe descendere dicuntur. Possunt autem originem habere ex eodem patre et matre, et tunc sunt ejusdem omnino sanguinis [*of the whole blood*]; aut ex eodem patre et diversis matribus, aut vice versâ, et tunc dimi-

(*a*) In this Act *descent* means, "the title to inherit land by reason of consanguinity; as well where the heir shall be an *ancestor or collateral* relation, as where he shall be a child or other issue."

diam tantum partem ejusdem sanguinis habent [*they are of the half-blood only*]. Linea est series personarum ex eadem stirpe descendentium. Dicitur *ascendens* si computatio fit a posteris ad stirpem, *descendens* si computatio fit a stirpe ad posteros: sic filius pater avus sunt in linea ascendente, pater, filius, nepos in linea descendente. Linea recta ea est in qua unaquæque persona ab alia in eadem linea genita est, ut in exemplis allatis; ii dicuntur esse cognati ex transverso, seu a latere, quorum unus ab alio non progeneratur, sed ab eadem communi stirpe descendunt. Fratres, sorores, consobrini, &c., sunt in linea transversa. Gradus est distantia a communi stirpe. Secundum Stat., cognati ex transverso nunquam ratione hujus consanguinitatis in hereditatem succedere possunt, quia solius consanguinitatis in linea recta ratio habenda est.

565. His itaque præmissis prima regula est ut *origo* [*the descent*] *in omni casu a conquisitore statûs computanda sit. Conquisitor* definitur esse is qui alio titulo quam juris hereditarii, agros acquisierit (*a*). Itaque quicumque statum jure hereditario vindicat necessario probare debet se esse heredem conquisitoris seu illius hominis qui statum alio modo quam jure hereditario acquisivit. Conquisitor statûs a quo heres originem ducat necesse est, *the propositus* appellatur. Itaque si Petrus dominus status in feudo simplici cujus ipse erat conquisitor moriatur, Publius qui vult hunc statum jure hereditario vindicare, necessario probare debet se esse consanguineum proximum Petri ad quem ejus status hereditarius ex regulis statim exponendis pervenire debeat. Si vero ipse Petrus statum post mortem patris sui Caii jure hereditario acceperit, Publius probare tenetur se esse consanguineum proximum Caii, qui in hoc casu est *the propositus*. Ex hac regula sequitur quod si Petrus statum patris sui Caii jure hereditario obtinuerit, nullus ex iis qui cum eo vinculo sanguinis ex sola parte matris conjuncti sunt, unquam possit in hunc statum jure hereditario succedere; quia originem ex Caio deducere non possunt. Et idem dicendum est de consanguineis Petri ex sola parte patris, si statum matris jure hereditario acquisierit, quia consanguinei solius patris vinculo consanguinitatis cum matre minime conjuncti sunt.

566. Sed sæpe conquisitor statûs est incertus aut ignotus, ad quam difficultatem removendam statuitur hæc regula, *ut is qui*

(*a*) 3 et 4 Guliel. IV., c. 106. s 1. Lands acquired by *escheat*, *partition*, or *enclosure*, by the effect of which the land shall have become *part of, or descendible in the same way as other land acquired by descent*, are regarded as coming to the person who acquires them by these titles, not by *purchase*, but by inheritance.

ullo jure ad agros potitus est eorum conquisitor reputandus sit, nisi probetur eum statum jure hereditario accepisse. Si vero hoc probetur, incertum autem sit utrum ejus antecessor statum jure hereditario acquisierit necne, is conquisitor habendus sit; et sic deinceps in omni gradu lineæ ascendentis, ubicumque incertum est utrum aliquis in statum jure hereditario successerit, an alio titulo eum acquisierit, is status conquisitor reputandus sit.

567. Ex statuto non solum liberi aliique conquisitoris *posteri*, sed et ejus antecessores inter ejus heredes computantur. Itaque secunda regula est; *Ut liberi aliique posteri conquisitoris ejus antecessoribus semper præferendi sint; et si Petrus sit conquisitor statûs, ejus pater, avus, proavus aliusve quilibet antecessor, ejus heres esse nequit, donec omnes ejus posteri tam mares quam feminæ extinguantur.*

568. Tertia regula est; *Ut liberi conquisitoris posteris suis præferendi sint, et inter liberos mares feminis: inter ipsos vero mares ætatis privilegium* [primogeniture] *ita observari debeat ut solus primogenitus totam accipiat hereditatem, ad absolutam exclusionem fratrum et sororum: si vero nullus sit filius, hereditas inter sorores æqualiter dividenda sit.* Ad hanc regulam illustrandam supponamus Petrum, conquisitorem statûs in feudo simplici, habere duos filios Julium et Caium, et duas filias Mariam et Annam. Mortuo Petro Julius totam accipiet hereditatem. Et si Julius etiam ante Petrum mortuus sit superstites relinquens duos filios Jacobum et Joannem, et tres filias Bertham, Juliam, et Luciam, quorum Joannes natu minimus est, ejus filius primogenitus Jacobus post mortem avi sui totam hereditatem pro se suisque posteris accipiet, fratre, sororibus, avunculo et amitis omnino exclusis; neque quisquam ex iis ullam partem hereditatis accipiet, donec omnes posteri Jacobi tam mares quam feminæ extincti fuerint. His vero omnibus extinctis, Joannes filius secundus Julii, etsi ejus sorores omnes majores natu sunt, totam hereditatem pro se suisque posteris in perpetuum accipiet. His omnibus extinctis, Bertha, Julia, et Lucia æquales partes hereditatis accipient, quæ successio dicitur esse per capita. Si vero antequam hereditas ad filias devenerit, omnes filiæ mortuæ sint et Bertha quatuor filias, Julia unum filium et Lucia unam filiam superstites reliquerint, quatuor filiæ Berthæ nonnisi tertiam partem hereditatis accipent, et hæc pars inter eas æqualiter dividetur; filius vero Juliæ et filia Luciæ uterque tertiam partem hereditatis accipiet, et hæc successio dicitur esse per *stirpes*, quoniam capita non numerantur, sed liberi uniuscujusque matris in partem ei debitam succedunt. Si autem unus ex liberis Berthæ, etiam natu

minimus, fuisset filius, ipse totam tertiam partem hereditatis, exclusis tribus sororibus natu majoribus, pro se suisque posteris in perpetuum accepisset. Omnibus posteris Berthæ, Juliæ, et Luciæ extinctis, Caius filius Petri secundus totam hereditatem pro se suisque posteris, tam maribus quam feminis, in perpetuum accipiet. Quibus omnibus extinctis, hereditas inter Mariam et Annam earumve posteros modo exposito dividetur. His vero omnibus extinctis, heres inter antecessores Petri quærendus est.

569. Inter antecessores regula prima est; *Ut is qui propior est conquisitori in linea recta ejusque posteri secundum regulas jam expositas in hereditatem succedere debeant, ita tamen ut linea paterna lineæ maternæ semper præferatur, et ut omnes qui sunt ejusdem omnino sanguinis cum conquisitore, etiam feminæ eorumque posteri, præferantur omnibus, etiam maribus, qui dimidiam tantum partem sanguinis conquisitoris participant, modo tamen conjuncti sint in eodem consanguinitatis gradu cum conquisitore.* Ex hac regula, si Caius filius Petri agros in feudo simplici alio modo quam jure hereditario acquisierit et sine liberis moriatur, Petrus, si sit inter vivos, totam hereditatem jure hereditario accipiet; si vero mortuus sit ante Caium, et alium filium Paulum habuerit et duas filias Mariam et Annam, ex eadem matre progenitas; et duas alias filias Juliam et Catharinam, et duos filios Jacobum et Patricium ex diversa matre genitos, Paulus ejusque posteri, tam mares quam feminæ, secundum regulas expositas totam hereditatem in perpetuum accipient. His vero extinctis, hereditas dividetur inter Mariam et Annam eorumque posteros modo exposito. His extinctis, tota hereditas descendet ad Jacobum ejusque posteros, tam mares quam feminas; quibus etiam extinctis, totam hereditatem accipient Patricius ejusque posteri, et his extinctis, hereditas ad Juliam et Catharinam earumque posteros perveniet.

570. Si vero Petrus nullos liberos præter Caium genuerit, aut si alios genuerit, iis cum posteris suis extinctis, Sylvester avus Pauli conquisitoris, ejusque posteri in hereditatem succedent. Extincto Sylvestro ejusque posteris omnibus, Henricus proavus Caii ejusque posteri hereditatem accipient, et sic deinceps, ascendendo per gradus propiores lineæ rectæ paternæ, et sexûs masculini seu *dignioris* ut dicitur, donec omnes masculi hujus lineæ, eorumque posteri omnino extinguantur. Ex his patet fratres, sorores, aliosque consanguineos in linea transversa, nonnisi indirecte, et in quantum sunt posteri eorum qui sunt antecessores in linea recta, ad hereditatem admitti. Ad hanc regulam illustrandam, supponatur Petrum genuisse Mariam et Jacobum ex prima uxore, et Annam, Paulum et Caium ex secunda, Paulum agros in

feudo simplici acquisisse, et sine liberis mortuum esse. Supponatur Petrum ante Paulum mortuum esse; Caius ejusque posteri, excluso etiam fratre natu majore Jacobo hereditatem accipient, Caio autem ejusque liberis defunctis, Anna in hereditatem succedet. Anna ejusque posteris extinctis, Jacobus hereditatem obtinebit, et post eum Maria ad exclusionem Caroli, avi Pauli; quia quamvis is est ejusdem omnino sanguinis cum conquisitore, est tamen cum eo conjunctus in gradu remotiore quam Caius et Anna. Olim qui sanguinem tantum dimidiatum participabant ab hereditate exclusi erant, etiamsi ejusdem essent omnino sanguinis cum conquisitore; velut si Petrus dominus feudi simplicis duos reliquisset filios, Paulum et Caium, ex diversis matribus procreatos, et Paulus hereditatem accepisset, mortuusque esset sine liberis, Caius ab hereditate excluderetur; eam enim obtinere non potuit ut heres fratris sui, quia sanguis dimidiatus ab hereditate exclusus est; neque ut heres Petri patris sui, quia antecessores in linea recta ab hereditate omnino exclusi erant. Sed hoc præscriptum non valuit quum status hereditarius esset talliatus; in hoc enim casu semper satis erat originem a primo donatore deducere [*to trace the pedigree from the first donee*], et ita post Edv. VI. ejus sorores dimidiati sanguinis Maria et Elisabeth regnum obtinuerunt. Eadem ratione tituli honoris semper ad sanguinem dimidiatum transmittuntur, nisi quod major natu jure successionis non potitur, sed quis in titulum succedere debeat arbitrio principis conceditur.

570. Secunda regula hæc est: *Extinctis omnibus maribus lineæ rectæ paternæ eorumque posteris omnibus, tam maribus quam feminis, ad feminas ejusdem lineæ rectæ paternæ recurrendum sit; in qua hereditas non ad propiorem sed at remotiorem ex antecessoribus transmittatur.* Supponatur Petrum filium Pauli statûs conquisitoris, et Mariæ mortuo patre suo hereditatem accepisse. Parentes Pauli fuerunt Jacobus et Anna; parentes Jacobi, Caius et Julia, parentes Caii Joannes et Cecilia. Mortuo Petro sine liberis succedent in hereditatem ejus fratres et sorores. Neque ulla distinctio servanda est in hoc casu inter eos qui ex prima aut ex secunda uxore Pauli procreati sunt, quoniam omnes æque ex Paulo status conquisitore originem ducunt. Proinde si Paulus tres filias ex prima uxore procreaverit, et filium Petrum ex secunda, Petrus totam hereditatem, exclusis sororibus accipiet, sicut Edv. VI. sorores suas natu majores a regno exclusit. Mortuo vero Petro ejusque tribus sororibus sine liberis, hereditas ad Jacobum ejusque posteros perveniet. His extinctis, Caius ejusque posteri, et Joannes ejusque posteri per ordinem successionis hereditatem

accipient. Extinctis omnibus maribus in linea recta paterna, eorumque posteris tam maribus quam feminis, ad lineam femininam paternam recurrendum est, et tunc ordine inverso heres quærendus est. Anna enim mater conquisitoris postponitur aliis ejus antecessoribus femininis in linea paterna, quarum remotissima, Cecilia, ejusque *antecessores* in linea paterna hereditatem accipient. De *posteris* ejus non potest esse quæstio, quia hi, ut heredes Joannis, hereditatem accipient, nisi tamen Cecilia alium habuerit maritum, de quo casu infra agetur. Heres ergo Ceciliæ est ejus pater Gulielmus ejusque posteri omnes, ejus avus Patricius, &c.; et his extinctis, feminæ ex linea paterna Ceciliæ incipiendo a remotiore in hereditatem succedent. Extincta tota linea paterna conquisitoris, hereditas tandem ad ejus matrem Annam ejusque antecessores deveniet.

571. Si vero Cecilia alium præter Joannem habuerit maritum, et in hoc mat. Sylvestrum, Carolum, Brigittam et Luciam procreaverit, Gulielmus pater Ceciliæ non erit ejus heres, sed ejus filius primogenitus Sylvester ejusque posteri totam accipient hereditatem; his extinctis, Carolus ejusque posteri in hereditatem succedent; quibus omnibus extinctis, inter Brigittam et Luciam earumque posteros dividetur. His omnibus extinctis, hereditas ad Gulielmum ejusque posteros deveniet. Similiter quando, extinctâ totâ lineâ paternâ, hereditas ad Annam matrem conquisitoris devenit; si ipsa liberos ex alio præter Petrum marito susceperit, hereditas ad eos eodem modo descendet, et nonnisi omnibus ejus posteris extinctis, ad ejus patrem Danielem ejusque posteris deveniet; quibus etiam extinctis, ad ejus avum Philippum perveniet; et extinctâ totâ lineâ masculinâ Annæ ad ejus lineam, femininam incipiendo ab antecessore remotissima deveniendum est.

572. Ex dictis patet consanguineos Petri ex parte matris, qua consanguinei ex hac parte, ad hereditatem nunquam pervenire posse; quia heres necessario esse debet consanguineus conquisitoris. Sed neque Maria mater Petri, neque ejus posteri ex alio marito procreati, neque ejus antecessores, inter consanguineos Pauli inveniuntur. Similiter si hereditas non ad Paulum, sed ad Mariam ut conquisitorem pertinuisset, nullus consanguineus Petri ex parte patris statum jure hereditario acquirere posset, quia non sunt consanguinei Mariæ. Si vero Petrus seipsum conquisitorem status efficere posset, ad ejus consanguineos ex parte non solum patris sed etiam matris descenderet, quemadmodum de Paulo conquisitore exposuimus. Actus quo quis statum non jure hereditario sed conquisitione in jure accepisse reputatur, interruptio generis [*a breaking of the descent*] appellatur.

573. Hoc multis modis effici potest. Si Paulus statum heredi suo Petro testamento legasset, hic ex statuto eum non jure hereditario sed vi testamenti possideret, et ideo in jure ejus conquisitor censeretur. Item si Paulus statum legasset Caio filio suo natu minori, qui ob mortem Petri heres est Pauli tempore quo mortuus est, statum non jure hereditario sed vi testamenti acciperet. Insuper si quis agros quos jure hereditario acceperit sibimetipsi aut suis heredibus abalienaverit, ipse eorum conquisitor reputabitur. (*a*) Hi modi genus interrumpendi nuper per stat. invecti sunt, et nonnisi dispositiones factas post diem 31um Dec., A. D. 1833, respiciunt. Usque ad hoc tempus dominus in prædictis casibus statum suum jure hereditario possidere habebatur, et neque testamentum neque abalienationis instrumentum ullum effectum habuit. Potuit tamen genus interrumpi statum alteri abalienando, et ille alter, diverso tamen instrumento, statum priori domino postea transtulit; et hoc modo etiam nunc genus interrumpi potest.

574. Speciale præscriptum in stat. invenitur vi cujus quis conquisitione agros acquirere potest, qui *in heredes aut in heredes corporis alicujus ex ejus antecessoribus limitantur*. Supponatur Petrum sive facto sive testamento agros ita abalienare ut ad Caium in vitam suam et post ejus mortem ad heredes Joannis pertinere debeant. Supponatur Joannem ante Caium mortuum esse, nam si Joannes superstes esset quum moreretur Caius, ex doctrina de residuis jam exposita, ejus heredes nihil acciperent; residuum enim iis relictum irritum fieret, quia tempore quo deberetur nemo esset qui id accipere posset; non Joannes quia nihil ei relinquitur, neque ejus heredes, quia *nemo est heres viventis*. Sed si Joannes ante Caium mortuus esset, ejus heres ex jure com. esset horum agrorum conquisitor. Nunc autem vi statuti ipse Joannes conquisitor reputatur, et ideo ex eo genus [*the descent*] computandum est. Ex stat. etiam recentiore (22 et 23 Vict., c. 35, s. 19), si heredes conquisitoris omnino deficiant, aut si agri transmittantur ut in casu jam exposito, velut si aliquis antecessor qui jure ad agros nunquam potitus est fuisset eorum

(*a*) Verba statuti sunt: "When any land shall have been limited by any assurance executed after the 31st of December, 1833, to the person or to the heirs of the person who shall thereby have conveyed the same land, such person shall be considered to have acquired the same as a purchaser by virtue of such assurance, and shall not be considered as entitled thereto as of his former estate." 3 et 4 Wm. IV., c. 106, s. 3.

conquisitor, et si nullus heres hujus antecessoris inveniri possit, is qui novissime jure ad agros potitus est conquisitor efficitur, et genus ex eo computandum est. In his casibus antecessor a quo genus computandum est quandoque quasi conquisitor [*quasi purchaser*] dicitur.

575. Heres qui in statum in feud. simp. succedet, etiam jure com. tenetur solvere debita ad quæ solvenda antecessor obligatus est vi judicii curiæ quæ acta sua in tabulas refert [*by a judgment recorded in a court of justice*], aut ex facto [*by deed*] in quo antecessor *suos heredes* eo nomine ad debita solvenda obligavit. Hæc debita *specialiter* tuta præstari dicuntur [*by specialty*]. Si vero heredes eo nomine in facto non obligati essent, ad hæc debita solvenda cogi non poterant. Nunc autem ex statutis recentioribus (*a*) status sive mobilis sive immobilis, sive legalis sive æquitabilis, aut etiam jus ad statum quo potitus est aliquis qui mortuus est debitis gravatus, habetur ut bona [*assets*] solvendis omnibus ejus debitis, etiam quæ ex simplici contractu debentur obnoxia, et in hunc finem a curiis æquitatis administranda. A curiis vero juris com. status non solum legalis sed et æquitabilis debitis defuncti quæ modo prædicto specialiter munita sunt solvendis subjicitur. Quamvis enim status æquitabilis a curiis juris com. plerumque non agnoscitur, attamen per 29 Car. II., c. 3 [*Statute of Frauds*], status æquitabilis qui ad defunctum pertinebat, eodem modo solvendis ejus debitis quæ specialiter munita sunt obnoxius redditur atqui si fuerit status legalis.

576. Illud satis mirum est quod quamvis heres debita hujusmodi solvere semper cogi poterat, is qui statum in feudo simplici ex legato accepit [*the devisee of an estate*] debitis testatoris quæ etiam specialiter munita erant obnoxius non erat. Nunc autem ex statutis recentibus (*b*) legatarius hæc debita eodem modo quo heres solvere tenetur, potestque creditor actionem intendere aut heredi et legatario conjunctim aut legatario soli ad solutionem obtinendam. Sed neque legatarius neque heres ad debita ejus a quo statum accipit ex propriis suis facultatibus solvenda obligatur. Ut solutio debiti quod oritur ex simplici contractu, aut etiam ex facto in quo heredes hoc nomine non obligantur, obtineatur ex statu quem heres aut legatarius possidet in feudo, ad curiam æquitatis necessario recurrendum est. Sed debita quæ aut ex judicio curiæ aut ex facto quo heredes nominatim ligantur *specialiter* munita sunt prælatione gaudent, et plene solvi necesse est antequam quidquam ab aliis creditori-

(*a*) Cf. 3 et 4 Guliel. IV., c. 104. (*b*) Cf. 1 Guliel. IV., c. 47.

bus obtineri possit. Si vero ipse testator in suo testamento statum suum immobilem omnibus suis debitis obnoxium fecerit, secundum regulam Curiarum Æquitatis, *æqualitas est æquitas;* si status non sufficiat ad plenam solutionem omnium debitorum defuncti, æqualiter inter omnes ejus creditores dividitur.

§ 3. *De titulo Escætæ.*

577. Escæta, quæ a verbo Gallico *echoir*, *excidere*, derivatur, ex systemate feudali orta est. Definitur: Reversio agrorum ad dominum feudi ob defectum heredis ex parte ejus qui proximus eos in feudo simplici tenebat. Quamvis hic titulus per actum legis effici dicitur, attamen necessarium est ut dominus feudi agros et tenementa quæ ad ipsum per escætam revertuntur ingrediatur; namque si hoc facere negligat, aut aliquid agat quo ex interpretatione juris jus suum cedere reputabitur [*by doing an act which amounts to an implied waiver of his right*], velut si reditum accipiat ab aliquo a quo possessio usurpata est, titulus escætæ excluditur [*is barred*]. Quando vero rex jus habet ad lucra et emolumenta agrorum in unum annum et diem percipienda, ut infra exponetur, dominus feudi nisi post hoc tempus agros ingredi nequit. Alia est species escætæ quæ oritur ex delicto tenentis de qua infra agetur.

578. Escæta ex defectu heredis usque ad tempora novissima in duobus casibus accidit: 1. quando *conquisitor*, ut a jurisperitis dicitur, agrorum qui in feudo simplici tenentur mortuus est, nulla facta sui status abalienatione aut per factum aut per testamentum, et nullo relicto herede; et 2. quando is qui in agros jure hereditario successerat, nulla facta agrorum abalienatione, mortuus est, et nullus alius conquisitoris consanguineus qui in illos jure hereditario succedat inveniri potest. Sed nunc per 22 et 23 Vict., c. 35, s. 19, in secundo casu is qui proximus jure ad agros potitur, eorum conquisitor habetur, et proinde ipsius heres in illos jure hereditario succedit, quamvis non sit consanguineus prioris conquisitoris. In primo vero casu agri ad dominum feudi revertentur quando ipse conquisitor aut nullum omnino reliquerit consanguineum, aut nullum qui in statum jure hereditario succedere posset. De casu in quo conquisitor nullum omnino reliquerit consanguineum, nihil dicendum est; itaque hic inquirendum est quinam sint incapaces hereditatem jure hereditario consequendi. Hi sunt monstra, filii non legitimi, et alienigenæ.

579. Monstrum quod formam humanam non habet sed belluæ similitudinem quandam gerit, quamvis in matrimonio procreatum fuerit, in hereditatem succedere non potest; ac ne sufficit quidem talis proles ad conferendum in patrem statum ex urbanitate, quoniam ea incapax est hereditatem accipiendi. Proinde si nullus alius sit heres, agri per escætam ad dominum feudi revertentur. Si vero habeat formam humanam, etiamsi manibus et pedibus careat, et sit simul mutus et surdus, in hereditatem succedere potest.

580. Filius non legitimus heres esse non potest. Jam diximus eos omnes esse non legitimos qui extra matrimonium nati sunt, sive eorum parentes matrimonio postea juncti sint sive non sint. In uno tantum casu subsequens matrimonium parentum filii qui extra matrimonium natus est aliquem habet effectum, nempe quando alius filius post mat. natus est. In hoc casu in jure filius non legitimus appellatur *bastard eigne*, filius legitimus *mulier puisne*. Si mortuo patre *Bastard eigne* agros ingrediatur, iisque usque ad mortem potiatur, et ita eos ad suum filium legitimum transmittat, hi agri ad posteros legitimos illius qui *Bastard eigne* dicitur, firmiter pertinebunt, omnibus heredibus legitimis exclusis, quamvis fuissent minores, mulieres mat. junctæ, aut alio quocumque modo legibus inhabiles ad jura sua vindicanda.

581. Ut intelligatur quis in jure municip. sit alienigena necessarium erit exponere quis subditus indigena habeatur. Quisquis natus est in Anglia, Hibernia, aut Scotia, aut in nationibus regis Britannici ditioni subjectis, is est indigena. Si vero rex noster aliud regnum ad ipsum diverso jure pertinens possideret, ut olim Hanoveram possidebat, qui ibi nasceretur hujus regni subditus indigena non esset. Sed quicumque in aliqua parte nostri imperii proprie dicti natus est subditus est indigena, quamvis parentes ejus fuerint alienigenæ, nisi ipso tempore quo filius natus est hostes essent nostri imperii. Qui enim ex parentibus alienis et infensis, tempore invasionis hostilis in nostro territorio nasceretur, ut subditus indigena non agnosceretur. Liberi regis et heredes regni jure com. indigenæ sunt ubicumque nascuntur; item liberi legatorum qui nascuntur in regno in quo pater legationis munus administrat. Quamvis nullos alios ut subditos indigenas jus com. agnoscit, variis tamen statutis hoc privilegium aliis conceditur. Omnes enim liberi etiam extra fines imperii Britannici nati quorum pater, aut avus paternus subditus indigena erat eodem privilegio gaudent, nisi parentes quum filii nascerentur, aut perduellionis condemnati erant [*were attainted*], aut pœnis in eos qui perduellionis aut feloniæ convicti sint impo-

sitis obnoxii essent, si sine regis licentia intra fines nostræ reipublicæ invenirentur, aut nisi servirent principi qui cum nostra republica bellum tum gerebat. Sed quando non pater sed avus erat indigena, tenentur ejus nepotes et neptes qui agros in his regnis ut ipsis debitos exposcunt, statum vindicare intra quinquennium a tempore quo jura eorum primo exorta sunt. Nunc etiam per 7 et 8 Vict., c. 66, aliquis etsi in regno alieno natus, cujus mater erat subdita indigena, potest eodem jure quo subditus indigena acquirere et transmittere agros. Aliis tamen privilegiis indigenarum non potitur.

582. His casibus exceptis, quicumque extra fines nostri imperii nascitur alienigena est, qui in possessiones agrorum jure hereditario succedere nequit. Itaque si Petrus moriatur nullos habens consanguineos nisi alienigenas, ejus agri nisi eos aut facto aut testamento indigenæ concesserit, ad dominum feudi per escætam revertentur. Hoc ergo sub respectu alienigenæ filiis non legitimis æquiparantur; sed hi agros emptione aut donatione acquirere possunt, in quos eorum filii legitimi jure hereditario succedent; at quamvis alienigena semper potuit agros valide emere, tamen statim ad regem per escætam pertinebant. Alienigena uxoris indigenæ maritus jus non habet ad statum ex urbanitate; et ex jure com. uxor alienigena jus ad doarium non habuit, sed per 7 et 8 Vict., c. 66, s. 16, mulier alienigena per mat. cum subdito indigena ipso facto civitate donatur. Ex ejusdem Stat. s. 4, potest alienigena bona mobilia omnis generis, exceptis catallis realibus, omnibus modis legitimis acquirere; et ex s. 5, agros, domos, aliaque tenementa tum sibi, tum familiæ et domesticis necessaria ad habitandum, ad negotia gerenda, &c., in spatium non longius unius et viginti annorum obtinere. Sed ex his tenementis acquirere non potest jus suffragium ferendi in iis eligendis qui personam populi in senatu inferiore gerunt. Potest actionem intendere ad bona mobilia recuperanda, et ea testamento legare. Sed hæc privilegia alienigenas amicos, non hostes, respiciunt, et intermittuntur tempore belli nisi speciali regis beneficio continuantur. Quoniam status immobilis quem alienigena emptione acquirit ad regem per escætam statim pertinet, utique jure com. ne indigenis quidem potest statum immobilem aut testamento aut jure hereditario trasmittere: sed per 11 et 12 Guliel. III., c. 6, indigena in statum jure hereditario succedere potest, quamvis genus [*the descent*] ratione cujus statum vindicat per alienigenam deducendum sit. Sed ex 25 Geo. II., c. 39, subditus ille indigena existere debet et capax esse hereditatem accipiendi, tempore quo is qui proximus statum possidebat mortuus est. Sic si

Petrus alienigena tres habet filios, Caium alienigenam, et Jacobum et Joannem indigenas utpote in hoc regno natos; et si Jacobus agros acquirit in feudo simplici et moritur sine liberis: quamquam ex Statuto 3 et 4 Guliel. IV., c. 106, Joannes consanguinitatem cum fratre suo Jacobo non immediate sed per patrem suum alienigenam deducere debet, attamen in hereditatem succedet, quamvis ejus pater et frater natu major sint inter vivos. Et quamquam uxor Caii gravida fuerit quum moritur Jacobus, et infans in his regnis natus sit, attamen avunculum ejus hereditate non privabit, quia etsi infans *in ventre sa mere* sit capax hereditatem accipiendi; hic tamen infans, utpote filius patris alienigenæ, indigena non fit nisi quando natus est. Sunt vero in hac re exceptiones duæ: 1. est in gratiam filii nondum nati, qui sororem natu majorem hereditate privabit; 2. est in gratiam sororum juniorum, quæ quamvis nondum conceptæ erant quando soror natu maxima hereditatem accepit, postea tamen æquales partes hereditatis accipient. Supponatur Petrum duos habere filios, Caium alienigenam et Jacobum indigenam, et Jacobum qui agros in feudo simplici acquisivit mortuum esse nullis liberis relictis, tempore vero mortis Jacobi Mariam filiam Caii in hoc regno natam esse; hæc statim in hereditatem succedet. Postea vero Julius filius Caii in nostro regno nascitur, et hic Mariam hereditate privabit. Julius brevi tempore moritur, quo Maria iterum hereditatem acquirit. Postea Anna et Lucia filiæ Caii in nostro regno natæ sunt, et hæ æquales partes hereditatis cum Maria accipient.

583. Fidei-commissa præscriptis legum de escætis non subjiciuntur, et idem dicendum est de vadiis mortuis; itaque si quis statum habuit in modum fidei-commissi aut vadii mortui, et mortuus est nullo herede relicto, vel quia omnes ejus consanguinei sunt alienigenæ, vel ob aliam quamcumque causam, Curia Cancellariæ potest hunc statum administrare in gratiam ejus qui *cestui que use* appellatur, aut ejus qui statum suum in vadio mortuo abalienavit.

584. Potest alienigena civitate donari aut plene aut ex parte tantum. In priore casu alienigena dicitur esse *naturalized*, in posteriore *denizened*. Nemo potest plene civitate donari nisi per Statutum speciale Parlamenti. Talis lex etiam in præteritum valet, ita ut filius natu maximus quamvis natus fuerit alienigena in hereditatem succedat; quia nunc efficitur indigena utpote filius patris indigenæ. Potest nunc aliquis ex quatuor præcipuis regis secretariis [*Secretaries of State*] per literas ejus rei testes, civitate donare quemquam qui domicilium suum in aliqua parte Magnæ Britanniæ aut Hiberniæ habet, quo, nisi ipsum testimo-

nium aliquam contineat exceptionem, omnia privilegia civis indigenæ accipit, nisi quod in neutrum regni senatum legi potest, neque ascisci in eos qui principi sunt a consiliis interioribus. Ejus liberi quamvis alienigenæ nati fuerint, possunt in hereditatem succedere ut filii indigenæ; et qui hoc modo civitate donatur jus hereditarium etiam per alienigenam modo supra exposito vindicare potest. Verbum *denizen* donationem significat; qui hanc civitatem accipit, is est qui per literas regis patentes quibusdam indigenæ privilegiis donatur. Potest agros acquirere emptione, testamento, aut donatione modo subditus donet; non autem ex donatione regis, neque jure hereditario. Blackstone quidem putat, filium ejus extra nostrum territorium ante donationem natum in statum jure hereditario succedere non posse. Sed hæc sententia non est certa. Ejus autem filius etiam extra nostrum territorium post donationem natus in statum jure hereditario succedere potest. •Qui hoc modo civitate donatur non solum in senatum legi non potest, neque ascisci in eos qui principi sunt a consiliis interioribus, sed ne ullum quidem munus quod fidei dicitur [*any office of trust*] obtinere potest.

585. Escæta *propter delictum tenentis* evenit quum quis perduellionis aut feloniæ convictus capitis damnatus est; aut si proscriptus est [*outlawed*]. Qui sic damnatus est a jurisperitis *attinctus* [*attainted*] dicitur. Per hujusmodi judicium damnatorium omnia jura civilia sontis extinguuntur; ejusque sanguis ita corrumpitur [*attainted*], ut non solum aliis bonis sed etiam statu suo immobili privetur, et incapax statum jure hereditario acquirendi efficiatur. Insuper quando lex de escætis propter delictum tenentis plenam suam vim habuit, is qui modo exposito damnatus est, non solum agris quos in feudo possidebat privatus est, et incapax aliam hereditatem accipiendi effectus, sed nemo quidem ex ejus posteris agros jure hereditario acquirere poterat; si genus [*the descent*] per eum deducendum esset. Sic si Petrus filius natu maximus Caii condemnatus esset modo dicto [*were attainted*], et Caius Petro adhuc vivente moreretur, feudum ad Jacobum filium Caii natu minorem non descenderet, sed ad dominum feudi per escætam reverteretur; quia Petrus hereditatem accipere non posset, neque alium heredem eo vivente habere posset Caius. In hoc enim condemnati [*the attainted*] pejores erant conditionis quam alienigenæ, quia lex respiciebat illos ut personas existentes quibus solis feudum jure hereditario transmitti posset, dum alienigenas esse nullomodo agnoscebat; et ideo, ut vidimus, etiamsi sit frater natu major alienigena, hoc non obstabit quominus frater natu minor indigena feudum jure hereditario

consequatur. Si vero in dicto casu Petrus ante Caium mortuus esset sine liberis, feudum mortuo Caio ad Jacobum jure hereditario perveniret. Si vero Petrus quamvis ante Caium mortuus essst, filios reliquisset, quorum ad aliquem hereditas nisi propter delictum patris pervenisset, feudum ad dominum per escætam reverteretur; quia filius Petri feudum jure hereditario accipere non poterat propter corruptum sanguinem patris, neque alius potuit esse heres dum ipse viveret.

386. Hæc sanguinis corruptio plene sanari non potest nisi per statutum speciale Parlamenti. Quamvis enim rex et pœnam capitis condonare potest, et multam ipsi debitam remittere, non potest dominum inferiorem feudi, si talis sit, jure suo privare, et ideo quamvis rex reo crimen condonaverit, et pœnam remiserit, agri ad hunc per escætam revertentur. Itaque si Petrus condemnatus seu ut dicunt jurisperiti *attinctus* fuerit, ejus sanguis ita corrumpitur ut ne interveniente quidem condonatione regis, liberi ejus qui ante condonationem nati sunt hereditatem consequi possint, ad quam consequendam genus per patrem deducendum sit. Attamen per condonationem novus homo efficitur, et per eum hereditas ad liberos post condonationem natos transmitti potest, nisi tamen sint alii liberi natu majores quorum sanguis corruptus est, quia ante condonationem patris sui nati erant, qui obstant ne hereditas ad natu minores perveniat. Itaque supponatur Petrum filium Caii natu maximum *attinctum* esse et postea a rege condonatum; si Caius mortuus esset antequam Petrus condonatus est, hereditas ad dominum feudi per escætam reverteretur; si vero Caius superstes fuit quum Petro condonatum est, hic in hereditatem succedet, et suis liberis post condonationem natis transmittet. Sed si Petrus habuerit filium Joannem qui natus est ante condonationem, et patri superstes est, ipse hereditatem accipere non potest, neque ejus fratres natu minores, qui eo vivo ad hereditatem pervenire nequeunt, et proinde aut per escæatam ad dominum feudi reverteretur; aut si Petrus perduellionis damnatus fuerit, ad regem in modum multæ transibit.

587. Distinguendus est titulus escætæ propter delictum tenentis a titulo quo agri in modum multæ regi debentur quando quis perduellionis condemnatus est. Rex quidem ipse sæpe est dominus quoque feudi, et tunc hi tituli concurrunt. Insuper quum quis perduellionis damnaretur ex iis agris aut tenementis non excidebat per escætam quæ tempore condemnationis possidebat, quia hæc omnia semper regi in modum multæ pertinebant. Sed quando ipse reus agros non possidebat, sed heredi necesse erat ad jus suum hereditarium vindicandum genus per condemnatum deducere, agri regi non

debebantur, sed olim ad dominum feudi per escætam revertebantur. Quum vero reus non perduellionis damnaretur sed alterius feloniæ, agri ejus et tenementa ad regem pertinebant in unum annum et diem, et postea per escætam ad dominum feudi revertebantur. Sed quum novis statutis post regnum Hen. VIII., latis, varia crimina declararentur feloniæ esse, cautum est ne hæc crimina sanguinem corrumperent. Itaque in hujusmodi causis agri ad dominum feudi per escætam non revertuntur, regi vero in unum annum et diem traduntur; qui eos etiam possidebit quamdiu is qui feloniæ convictus damnatusque fuerit inter vivos erit. Post hujus mortem heredibus ejus redduntur.

588. Insuper per 54 Geo. III., sancitur ut si quis damnatus fuerit ullius criminis, præterquam perduellionis aut homicidii dedita opera patrati [*murder*], ne quisquam, nisi ipse damnatus in vitam suam, ullo jure ad agros aut ad tenementa aut ad hereditamenta privetur, et ut heres post mortem condemnati hæc omnia perinde consequi debeat ac si antecessor non damnatus sit. Præterea per 3 et 4 Guliel. IV., c. 106, s. 10, sancitur ne quis post diem 1^m^. Jan., A. D. 1834, ab hereditate ideo excludatur quod alter perduellionis aut homicidii damnatus sit, etiamsi per hunc genus sit deducendum, dummodo ipse damnatus mortuus fuerit antequam hereditas ad eum pervenerit. Per 13 et 14 Vict., c. 60 [*The Trustee Act*, 1850], sancitur ut quum quis ullius criminis damnatus sit, judicium damnatorium ne ulla ex parte spectet ad agros, statum in modum vadii mortui concessum, pecuniam fide publica mutuam datam, aut jus ad rem quamcumque [*any chose in action*], quæ ad condemnatum ut fiduciarium, aut possessorem status in vadio mortuo pertinet. Itaque jura illius qui *cestui que use* dicitur, et ejus qui statum suum in vadio mortuo abalienavit, etiam adversus condemnationem tuta conservantur. Et Stat. etiam recentiore potest Curia Cancellariæ alium fiduciarium in locum ejus qui feloniæ convictus fuerit substituere. Hæc statuta non respiciunt commoda quæ is qui attinctus fuerit, jure proprio ex his rebus percipere poterat, dequibus præscripta supra exposita adhuc vim habent.

589. Præterea quandocumque agri aut ob defectum heredum aut ob delictum tenentis regi ut domino feudi per escætam debentur, ut nunc fere semper accidit, potest rex agros consanguineis aut heredibus ejus qui proximus eos possidebat donare, aut si ipse attinctus eos per instrumentum abalienationis aut per testamentum disposuerit, potest rex jure suo cedere et instrumentum ad effectum adducere; et etiam, ut jam diximus, multam ipsi debitam remittere potest.

590. Quamquam hic agimus solummodo de titulis quibus status immobiles acquiri possunt, attamen opportunum videtur exponere quomodo is qui feloniæ damnatus fuerit, catallis suis tam *realibus* tam personalibus multari possit. Quum quis criminis alicujus quod in jure felonia est rite et legitime damnatus fuerit, in multam omnium catallorum et bonorum statim et semper incidit. Dicimus quando rite et legitime damnatus fuerit quia hic effectus non sequitur quando quis convictus est breviter [*summarily*] apud magistratum alicujus criminis, quamquam hoc crimen felonia est. Multam bonorum et catallorum committit qui sua manu mortem sibi consciscit; qui perduellionem non manifestaverit, etiamsi ipse criminis particeps non sit. Hoc in lege nostra municip. *misprision of treason* appellatur. Ob hoc crimen etiam lucra agrorum in vitam delinquentis regi multantur. Multam bona perdendi is etiam incurrit qui aliquem in curiis justitiæ superioribus percutit, et qui furti quantumvis parvi, rite in judicio *convictus* sit, et a fortiore quando quis perduellionis aut homicidii dedita opera perpetrati *convictus* est, ipso facto omnibus suis catallis multatur; non autem statum suum immobilem deperdit donec capitis damnatus sit aut proscriptus; sed sententia lata vim habet non a tempore quo lata est, sed a tempore quo crimen patratum est, et quicquid post illud tempus de statu suo immobili constituerit prorsus irritum est. Catalla vero non confiscantur nisi quum reus *convictus* est, et potest igitur ea alienare etiam post ipsam feloniam patratam.

§ 4. *De titulo quo agri, tenementa et hereditamenta acquiruntur, ex eo quod eorum dominus iis multatur* [forfeiture], *et de titulo occupationis* [occupancy].

591. Præter titulum confiscationis *ob delictum tenentis*, alius datur qui nomen confiscationis [*of forfeiture*] sibi soli vindicat. Definiri potest: pœna a jure municip. domino agrorum aut tenementorum aut hereditamentorum irrogata, ob quosdam actus legi repugnantes, propter quos his omnibus multatur in gratiam ejus qui injuriam passus est, ad compensandam injuriam vel ei soli, vel ei conjunctim cum republica illatam. Actus ob quos hæc multa imposita est, sunt; 1. abalienatio agrorum in manu mortua sine licentia debita; 2. alienatio qua tenens alteri majorem statum concedit quam ipse possidet; 3. quando tenens infitiatione jurium domini a quo agros suos tenet, suam causam coram curia quæ acta sua in tabulas refert, injuste defendit.

592. Effectus abalienationis in manu mortua sine licentia debita jam exposuimus; et propter abalienationem qua Caius statum suo majorem Julio concedit, nunc agris non multatur. Olim equidem si Caius tenens status *particularis* (quem supra exposuimus), quolibet juris com. abalienationis instrumento ut v. g. *feoffamento*, aut actionibus fictis jam abrogatis quas *fines* et *recoveries* appellabant jurisperiti, majorem statum Julio concessisset quam ipse possidebat ex agris excidisset. Hinc si Caius tenens in vitam suam agros feoffamento Julio abalienasset, aut in feudo, aut in vitam Julii, aut cujuslibet alterius, ipse Caius statim ex agris excidisset, quia status Julio concessus aut suo major est aut esse possit; et Petrus cui agri post mortem Caii debiti erant, eos statim ingredi et occupare poterat. Sed per 8 et 9 Vict., c. 106, s. 4, feoffamentum quo tenens status particularis statum suo majorem abalienat est simpliciter irritum, et nullum producit effectum.

593. Tertius actus cui multa agrorum annexa est fit quando tenens domino suo munera debita reddere recusat, et actione a domino intenta ad jus suum vindicandum, negat in curia quæ acta sua in tabulas refert se agros suos ab illo domino tenere. Per hanc enim injustam negationem qnæ *disclaimer* dicitur tenens agris multatur qui propter ejus infidelitatem ad dominum revertuntur. Idem est si tenens in vitam aut in annos agros in feudo sibi vindicet in curia prædicta, quia hoc idem valet ac si negasset se eos agros a domino tenere. Insuper quando Caius cui agri in certum numerum annorum locati sunt villam [*the premises*] deseruit, et possessionem agrorum, locationisque instrumentum vi cujus eos tenebat, Julio qui eos sibi vindicavit titulo qui ipsius domini titulum superabat tradidit, animo hunc adjuvandi in suo ficto titulo stabiliendo, a judicibus declaratum est Caium e suo statu in annos excidisse, ipsumque domino tradendum esse.

594. Hic loquimur de titulo *occupationis* solummodo in quantum est modus dominium *status immobilis* acquirendi. Est autem modus acquirendi dominium rerum quæ ad neminem pertinent; ex regula enim juris tum civilis tum gentium, "quod nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur" (*a*). Nulli tamen agri in Magna Britannia aut in Hibernia nunc a lege municip. agnoscuntur esse nullius, et proinde hoc titulo acquiri non possunt. Olim agri in uno casu a jure esse nullius habiti sunt, nempe in casu in quo status alicui concessus est *pur autre vie*,

(*a*) Ff. 41. 1, 3.

sine mentione heredum, et tenens mortuus est nulla facta dispositione status, ante cum in cujus vitam concessus est (*cestui que vie*). Tunc quicumque primùm agros ingressus est, animo illos suos faciendi potuit illos in vitam *cestui que vie* jure occupationis tenere. Hic titulus occupationis *communis* dictus est. Si vero status Caio ejusque *heredibus* in vitam Julii concessus fuerit, mortuo Caio ante Julium ad heredem Caii in vitam Julii titulo occupationis *specialis* descenderet; et hic ultimus titulus adhuc in jure subsistit; et status *quasi hereditarius*, dicitur. Potest status *pur autre vie* Caio ejusque heredibus *corporis* concedi, in quo casu *quasi talliatus* nominatur. Imo potest status abalienari Caio ejusque heredibus corporis in vitam Petri, ita ut Caio ejusque corporis heredibus extinctis ante mortem Petri, residuum status usque ad mortem Petri ad Joannem ejusque heredes pertineret. Sed quia Statutum De Donis hunc statum utpote non simpliciter hereditarium non respicit, potest tenens quasi talliatus Caius, non solum proprios suos posteros, sed et eos quibus residuum relictum est excludere, et eum absolute disponere per aliquod abalienationis instrumentum quod *inter vivos* vim habet, non autem certum videtur utrum per *testamentum* eum disponere possit necne (*a*). Si vero status non sit talliatus sed Caio ejusque heredibus in vitam Petri concedatur, potest Petrus de eo etiam per testamentum disponere. Quando ad heredem aut ad heredem corporis per occupationem specialem hic status descendit eodem modo ob debita antecessoris obnoxius est ac si esset feudum hereditarium.

595. Quando vero in concessione status *pur autre vie* nulla fit mentio heredum, et ejus possessor moritur ante *cestui que vie*, quamvis titulo occupationis specialis ad heredem non descendit, attamen, nunc non pertinet ad primum occupantem, sed ut pars status mobilis defuncti habetur, et ad ejus testamenti executorem aut administratorem tradetur (*b*).

596. Neque etiam insulæ, quæ aut in fluminibus aut in ea parte maris quæ jurisdictioni nostræ reipublicæ subjicitur nascuntur, neque terra quæ per alluvionem aut maris recessionem formatur, fiunt primi occupantis, namque hæc omnia statim atque existunt ex præscripto juris municip. ad aliquem dominum pertinent. Insulæ enim quæ in mari aut in fluminibus navigabilibus

(*a*) By 1 Vict., c. 26, it is provided that an estate *pur autre vie*, of whatever tenure (*which includes copyholds*), and whether it be a corporeal or incorporeal hereditament, may be devised by last will and testament. Stephen inclines to the opinion that these words do not include *quasi* entails. Vol. 1. p. 455.

(*b*) Cf. 1 Vict. c. 26.

nascuntur, saltem quatenus æstus maris accedit, ad regem pertinent; eæ vero quæ in fluminibus non navigabilibus nascuntur ei tribuuntur qui dominio fundi fluminis potitur (*a*). Si vero dominium fundi inter duos dominos divisum sit, insula quæ medium fluminis tenet ad utrumque dominum in communi pertinet, si vero non sit in medio fluminis domino ripæ vicinioris pertinet; nisi tamen quis jure exclusivo piscandi in flumine aliquo potitur [*has a several fishery*]; quia tunc ipse plerumque fundum fluminis et insulæ, quæ in eo nascuntur, jure municip. sibi vindicare potest. Terra quæ lente et paulatim alicujus agris adjicitur, aut per maris recessionem aut per alluvionem, a domino agrorum acquiritur. "Est autem alluvio incrementum latens; per alluvionem autem id videtur adjici quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possit quantum quoquo momento temporis adjiciatur" (*b*). Si vero terra per subitam maris recessionem formata sit pertinet ad regem. Ratio est quia spatium inter maritimorum æstuum accessum et recessum pertinet ad regem. Propter eandem rationem si mare terram adjacentem lente et paulatim submergat, solum quatenus æstus accedit a rege acquiritur. "Alia sane causa est, si cujus totus ager inundatus fuerit (sive a mare sive a flumine), neque enim inundatio speciem fundi commutat: et ob id si recesserit aqua, palam est eum fundum ejus manere cujus et fuit" (*c*). Si flumen quod inter agros diversorum dominorum defluit, paulatim et lente unam ripam deserit, et novum alveum ex altera efficit, terra derelicta ad dominum agrorum quibus adjungitur pertinet. Quod si flumen naturali alveo derelicto alia parte fluere cœperit, dominium agrorum inter veterem et novum alveum nullomodo mutatur, sed prior alveus eorum est quibus solum in fundo a jure municip. tribuitur (*d*).

§ 5. *De titulo abalienationis* [of title by alienation or conveyance] *generatim et universe spectato.*

597. Hic titulus et generalis est et maxime frequentatus, quia omnem modum quo agri ab uno sua sponte in alium transferri possint complectitur. Itaque sub hoc titulo generali tituli speciales donationis, venditionis et emptionis, tabularum nup-

(*a*) Cf. supra n. 500.
(*b*) Verba sunt Justiniani Inst. 2. 1. 20.
(*c*) Id. ibid. 24. Ex lege civili præscripta juris municipalis de hac materia fere mutuantur.
(*d*) Cf. sup. n. 500, ubi hanc materiam exposuimus.

tialium, testamentorum, &c., continentur. De tabulis nuptialibus, et etiam de tota materia ordinationis statuum jam egimus. De titulo vero generali abalienationis inquirendum est: 1. quis possit agros abalienare? 2. cui abalienari possint? et 3. quomodo abalienatio fieri debeat? De prima autem et secunda quæstione potius inquirendum est, quinam sint incapaces suos agros abalienandi aut agros acquirendi? quia quisque agros suos abalienare potest et agros aliorum modis legitimis acquirere, nisi ob aliquam causam incapax ad hæc agenda reddatur. Ii qui aut omnino aut aliqua ex parte incapaces sunt agros sive abalienandi sive acquirendi sunt: 1. infantes; 2. minores; 3. lunatici et mente capti; 4. mulieres matrimonio junctæ; 5. *attincti* [*attainted*] ob crimina perduellionis, aut homicidii ex animo occidendi facti; 6. alienigenæ; 7. corpora sive aggregata sive sola; de quibus omnibus satis fuse egimus ubi de subjecto dominii tractavimus. Etiam ubi egimus de variis statibus qui in agris haberi possunt, exposuimus quatenus facultas agros abalienandi nunc secundum præscripta juris municip. restringi possit. Status sive ad arbitrium sive ex tolerantia abalienari non possunt, ut ex eorum natura liquet.

598. Restat ergo inquirere quomodo quis sua sponte agros suos alteri abalienare possit. Sed quoniam status qui in agris, tenementis et hereditamentis concedi possunt sunt valde diversi, disceptationes et contentiones exorirentur de natura status qui alicui fuisset abalienatus, et etiam non raro an aliqua omnino abalienatio facta fuerit, nisi testimonia abalienationis a rep. exigerentur. Tabulæ itaque a jure municip. necessario exigi debent ex quibus constaret possessiones secundum præscripta legum ab uno in alium abalienatas esse. Revera hæ tabulæ exiguntur, et fiduciæ communes [*the common assurances*] regni appellantur; quia iis præsertim quisque statum suum sibi vindicat. Sed tractatio de hac materia ad tractatum de contractibus pertinet, quia manifestum est has abalienationes esse contractus aut gratuitos aut onerosos quibus unus possessiones suas alteri aut gratis aut pretio accepto radit.

§ 6. *De præscriptione prout in nostro jure admittitur.*

599. *Præscriptio est titulus quo quis dominium acquirit possessio um immobilium sive corporalium sive incorporalium, sive rem suam immobilem ab aliquo onere liberat per lapsum temporis a lege præfiniti, servatisque conditionibus a lege statutis.* Dicitur, 1. "quo quis," &c., quia titulus præscriptionis necessario ex usu personali

derivatur, et aut ipsæ *personæ* annectitur aut ei annectitur ratione status quem possidet, et in hoc differt a consuetudine quæ est mos *localis* totamque respicit communitatem, et per actus similes a majore parte communitatis frequenter repetitos inducitur. Sic si incolæ cujusdam vici ex usu diuturno jus viæ per agros alienos acquisiverint, hic mos consuetudo est. Si quis vero hoc jus pro se suisque heredibus acquisiverit, hoc jus præscriptione acquiritur. Insuper consuetudo contra legem non raro incipit mala fide; nemo autem mala fide præscribere potest. Ex consuetudine in jure nostro nunquam acquiri potest jus lucra ex agris alienis percipiendi; hoc autem præscriptione vindicari potest. Jus viæ modo supradicto consuetudine acquiri potest quia hoc jus non lucrum sed levamentum [*easement*] respicit. Sed consuetudo antiqua qua incolæ cujusdam vici sibi vindicant jus auferendi ex agris alienis algam quæ ad litus defertur, irrita est; si quis vero hoc jus sibi vindicet, eo quod ipsi ejusque antecessoribus, aut ipsi iisque quorum statum ipse possidet, inde ab antiquissimis temporibus pertinebat, hic est titulus præscriptionis quo tale jus firmiter vindicari potest.

600. Dicitur 2. dominium acquirit possessionum immobilium, quia ex jure nostro municip. possessiones mobiles titulo præscriptionis acquiri non possunt, ut infra exponetur. Dicitur 3. sive corporalium sive incorporalium; nam quamquam in jure municip. sola hereditamenta incorporalia præscriptione acquiri dicuntur, attamen hereditamenta corporalia eodem titulo acquiri possunt, sed diverso nomine appellatur. Dicitur 4. per certum temporis lapsum, namque lapsu temporis a lege statuti præcipue stabilitur titulus præscriptionis. Dicitur 5. servatis conditionibus a lege statutis, quia quoniam hic titulus lege municip. nititur, ad hunc stabiliendum præscripta juris fideliter servare necesse est. Sed neque hic titulus neque aliquis alius stare potest nisi ea serventur quibus deficientibus a jure naturali aut divino irritus efficitur.

601. Quamvis olim acriter disceptatum est utrum titulus præscriptionis valeat in conscientia an solummodo in foro externo, nunc tamen hac de re vix aliqua existit controversia. "Prima quæstio esse solet," ait Lugo (*a*), "an hoc jus solum locum habeat in foro externo, an etiam in foro conscientiæ possessor securus maneat, et liber a restitutione, licet tunc aperte cognoscat rem illam non fuisse suam sed alienam. . . . . Communis et vera sententia est, præscriptionem legitimam pro utroque foro juvare, et liberare ab

(*a*) De Just. disp. 7. n. 4.

onere restituendi amplius rem semel præscriptam. Probatur quia lex humana potuit ob bonum commune facere quod possessor vere acquireret dominium, cum ejusmodi potestas in principe humano ab omnibus concedatur." Deinde prolatis textibus juris civilis quibus probatur legislatorem civilem voluisse dominium rerum in eum possessorem conferre qui eas præscriptione acquisiverit, sic procedit: "In jure etiam canonico solum reprobatur præscriptio cum possessione malæ fidei, unde a contrario sensu videtur alia omnis præscriptio approbari. Imo id clare videtur colligi ex Concilio Lateranensi magno relato in cap. finali de præscriptionibus. . . . . Adde, si leges solum pro foro externo essent, non fuisse bene provisum bono communi: nec ad servandas conscientias, imo ad illaqueandas deservirent. . . . . Dicet aliquis, si adeo est hoc expediens ad bonum publicum: ergo ex natura rei, et ante omnem legem positivam præscriptio haberet hanc vim transferendi dominium; nam ipsum naturæ lumen, et naturalis ratio dictaret, hoc ita fieri debere ad bonum publicum, et pacem conservandam. Respondeo tamen lumen rationis dictare, hoc esse valde conveniens et expediens quod lege positiva statueretur, non tamen esse bonum adeo necessarium, ut ipsa naturæ lege immediate stabilitum sit. Sicut ratio naturalis dictat oportere quod minores sine curatore non possint se obligare, quod conjux non possit valide donare conjugi, quod filius succedat in bonis paternis, quod aliquis ob crimen proditionis in principem bonis omnibus privetur: hæc tamen et alia similia debent immediate lege aliqua decerni, ut vim habeant. Sic ratio naturalis dictat expedire ad bonum publicum quod præscriptio habeat vim applicandi dominium; hoc tamen debet lege humanâ induci." Certum itaque est civilem potestatem titulo præscriptionis dominium conferre posse; talis enim potestas omnino necessaria est ob bonum publicum societatis. Quatenus lex municip. vult dominium titulo præscriptionis conferre, ex sequentibus patebit.

602. Conditiones quæ ad præscribendum requiruntur his versibus exprimi solent:

> "Non usu capies, nisi sint talia quinque;
> Sit res apta, fides bona, sit titulus quoque justus,
> Possideas juste completo tempore legis."

Quamvis hæ omnes conditiones nominatim in jure municip. non exprimuntur, attamen omnes, excepta bona fide, revera exiguntur, et bona fides ex ipsa lege naturali semper necessaria est. Sed ex diversitate nominum quibus idem titulus appellatur, magna confusio in scriptis jurisperitorum de hac materia invenitur. Non

tantum enim restringunt objectum præscriptionis ad hereditamenta incorporalia, sed et quædam hereditamenta incorporalia, ut reditus, a statuto quo tempus requisitum ad præscribendum contrahitur (2 et 3 Guliel. IV., c. 71), excludunt, et dicunt hæc adhuc præscribi debere ad normam juris com. (*a*), quamvis tempus ad hæc præscribenda necessarium nunc alio statuto (3 et 4 Gul. IV., c. 27), modo omnino diverso a præscripto juris com. definitur. Hoc quidem statutum non ad tempus præscriptionis præfiniendum, sed ad tempus determinandum extra quod nemini conceditur potestas actionem ad jus suum vindicandum intendendi. Sed in multis casibus non solum actionem accusatori denegat, sed etiam ejus jus prorsus extinguit, et inde etiam magna oritur, confusio, quod in aliquibus casibus statutum solummodo limitat tempus intra quod actio ad jus vindicandum intendi necesse est; in aliis tempore definito elapso jus accusatoris extinguit. Insuper quamvis ex quibusdam hujus statuti præscriptis, jus accusatoris extinguitur, et ideo hoc titulo agri, tenementa et hereditamenta a possessore acquiri possunt, attamen inter titulos quibus dominium rerum obtineri potest non recensetur. Deinde aperte non declaratur in quibus casibus statutum jus accusatoris nullomodo extinguit, sed solummodo ei post tempus definitum actionem recusat. Propter has rationes investigatio hujus tituli multis difficultatibus implicata est. Insuper tractando de præscriptione prout in jure com. intelligitur, id est de præscriptione qua dominium hereditamentorum incorporalium plerumque acquiritur, non ii omnes qui dominii sunt capaces possessiones hoc titulo acquirere possunt. Itaque primo investigandum est quinam dominium hereditamentorum incorporalium præscriptione acquirere possint, deinde alias conditiones quæ ad possessiones sive corporales, sive incorporales, hoc titulo obtinendas requiruntur exponemus.

603. Quoniam, ut ex infra dicendis patebit, usus seu possessio ad præscribendum necessaria jure com. ex omni memoria ætatum existere debet; nemo præscribere potest vi possessionis propriæ, sed vi possessionis aut antecessorum suorum, aut eorum omnium quorum statum in agris habet. Si jus suum quis vindicet ex usu et possessione antecessorum suorum, potest quæcumque hereditamenta incorporalia jure præscriptionis

(*a*) The statute provides with respect to right of common, and the profits or benefits to be taken and enjoyed from or upon any lands with the exception, however, of *tithes, rents, and services which remain as at common law.* Steph. vol. 1, p. 698.

retinere; si autem nitatur jure eorum quorum statum in agris possidet, quod præscribere in *a que estate* in jure municip. dicitur, nonnisi ea hereditamenta quæ agris annexa sunt hoc titulo vindicare potest. Quando quis præscribit ex usu et possessione antecessorum suorum, singillatim (*in gross*) præscribere dicitur, quia hereditamenta incorporalia quæ hac specie præscriptionis acquiruntur non hereditamentis corporalibus sed ipsæ personæ annectuntur. Quando vero quis præscribit jure eorum quorum statum habet, præscriptionem fieri nomine tenentis in feudo ex præscripto juris com. necesse est; quia tempus necessarium ad præscribendum ex jure com. debet originem ex omni ætatum memoria deducere. Itaque tenens in vitam, aut in annos, aut per copiam, jure eorum quorum statum ipse habet præscribere non potest, sed præscriptio nomine tenentis in feudo necessario vindicanda est. Sic si Caius tenens cujusdam manerii in vitam suam jus pecora sua in agris alienis pascendi ut huic manerio annexum exigat, hoc jus vindicare non potest nisi alleget Julium habere seisinam hujus manerii in feudo, et Julium omnesque alios quorum statum habet jure ad pascua ut dicto manerio annexo ex omni memoria ætatum potitos esse; ipsumque Julium manerium cum juribus ei annexis Caio locasse. Sed nunc ex statuto 2 et 3 Guliel. IV., c. 71, s. 5, etiam ad hereditamenta incorporalia titulo præscriptionis vindicanda ad hanc fictionem legalem confugere necesse non est, potest enim ipse tenens in vitam, aut in annos, jure aut proprio aut eorum quorum statum habet, præscribere modo ceteræ adsint conditiones quæ ad præscribendum requiruntur. Ex præscriptis hujus stat. excluduntur decimæ, et reditus aliaque munera (*services*) quæ a tenente domino agrorum debentur; et proinde titulo qui in jure municip. præscriptio dicitur, hæc acquiri non possunt nisi præscripta juris com. impleantur. Sed revera dominium horum hereditamentorum titulo præscriptionis acquiri possit, non servatis præscriptis juris com., ut infra exponetur. Itaque quicumque dominii capax est, potest dominium fere omnium hereditamentorum, sive corporalium sive incorporalium, ex statutis quæ infra exponentur titulo præscriptionis obtinere, neque necessarium est ad ejus antecessores, aut ad eos quorum statum habet confugere ad hunc titulum perficiendum, si aliæ adsint conditiones quæ a jure requiruntur.

604. Prima conditio est ut res sit apta, seu ut sit talis ut, spectato jure naturali, divino et humano, hoc titulo acquiri possit. Ex natura rei ea omnia et sola præscribi possunt quæ inter objecta dominii humani numerantur. Unde manifestum est, 1. nihil præscribi posse contra jus naturale aut divinum.

2. Ex præscripto autem juris municipalis nulla bona mobilia titulo præscriptionis acquiri possunt; et proinde objectum hujus tituli ad agros, tenementa et hereditamenta, et jura quæ ex iis derivantur restringitur. 3. Objectum præscriptionis debet esse *certum* et justum [*reasonable*]; hinc usus solvendi loco decimarum unum numum plus minusve, aut auferendi ex agris alienis tantum argillæ quantum pro fornace quadam lateraria requiretur, nullum jus confert, quia non est certus et rationabilis. 4. In universim etiam statuitur nihil præscriptione acquiri posse quod abalienatione [*by grant*] concedi non potest. Sic dominus manerii præscriptione jus acquirere nequit vectigal ab alienis exigendi, quia tale jus ipsi titulo abalienationis concedi non potest. 5. Jus ad ea quæ ab eorum domino non auferuntur, nisi postquam convictus fuerit in curia quæ acta sua in tabulas refert, præscriptione acquiri non potest. Hinc bona rei qui feloniæ convictus fuerit hoc titulo acquiri non possunt. Sed libertates regiæ quibus thesauri, *bona waivata*, et pecora errantia principi pertinent, a subdito præscriptione acquiri possunt, quia hæc ex casibus privatis eveniunt.

605. Secunda conditio est ut existat bona fides ex parte præscribentis. Nulla fit mentio hujus conditionis in jure municip.; sed omnino necessaria est ut titulus præscriptionis valeat in conscientia. Bona fides in præsenti materia exigit ut quis rem aut jus alterius ita possideat, ut non sit reus peccati letalis contra virtutem justitiæ. Plerique auctores docent bonam fidem esse firmam persuasionem rem quam quis possidet esse *suam*. Sed quamquam jus viæ v. g. per agros alienos *res* dici posset, clarius tamen nomine juris designatur. Quatenus vero is qui præscribit credere debet rem aut jus *suum* esse, infra exponetur. Interim bonam fidem quæ excludit grave peccatum injustitiæ ad præscribendum necessarium esse manifestum est. Aliter enim injustus possessor rei alienæ, perseverando in sua injustitia, dominium rei in foro conscientiæ acquireret. Hinc in Concilio Lateranensi IV., A. D. 1216, definitum est: "Quoniam *omne quod non est ex fide peccatum est*, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis; cum generaliter sit omni constitutione atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet ut qui præscribit in *nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ*." Idem, antea A. D. 1180, definiverat Alex. III.; et 2. inter Regulas Juris in 6, hæc est: "Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit."

606. Notanda sunt verba concilii; "ut qui præscribit in nulla

temporis parte conscientiam habeat rei alienæ ;" quia ad bonam fidem non semper necessarium est ut quis judicet rem esse suam, sed sufficit ut nunquam habeat conscientiam rei alienæ. Quando enim quis, progressu temporis, dubitat num res aliqua quam ab initio bona fide possidebat sua sit necne, tenetur quidem diligentem inquisitionem instituere ad dominum detegendum, si vero perseveret dubium, communis et vera opinio est, hoc dubium superveniens præscriptioni non obesse. Attamen possessor credere non potest hanc rem absolute suam esse ; sed paratus esse debet eam domino tradere, si ante tempus præscriptionis completum comparuerit. Putamus etiam præscriptioni non obesse culpam venialem etiam in materia justitiæ, ut si possessor bonæ fidei levis negligentiæ reus fuisset, in inquisitione quam instituit ad dubium tollendum; aliter locus daretur perpetuis anxietatibus, et insuper Concilium Lateranense de peccato mortali expresse et nominatim loquitur. Si autem possessio dubia fide incepta sit, sive dubium sit an res sit sua an aliena, sive an sit sua an nullius, qui ita rem possidet præscribere non potest, quia nunquam in his casibus sibi persuadere potest rem esse suam, aut etiam se non habere rem alienam. In primo enim casu, si quis rem accipiat dubitans an sit sua an alterius, si ille alter sit possessor bonæ fidei rem ei restituere tenetur, sed etsi non sit possessor bonæ fidei, qui eam accipit, dubitans an sit ejus dominus necne, nullomodo dictamen conscientiæ practice certum efformare potest rem illam ad alium non pertinere. In hoc enim casu recurri non potest ad rationem *melior est conditio possidentis ;* quia hæc supponit rem in initio bona fide fuisse possessam. Qui enim rem bona fide possidet vere hujus rei dominus est, donec eam ad alium dominum pertinere demonstratur. Hæc autem ratio nullomodo ei inservit qui rem accipit, dubitans an sit sua an aliena. Si dubitet an res sit nullius, an vero dominum aliquem habeat, potest quidem rem sumere titulo occupationis conditionato; sed talis possessio ad præscriptionem non sufficiet; quia rem retinere potest tantum conditionaliter, nempe si non sit alterius. Proinde quocumque tempore invenit rem esse alterius ei rem suam tradere tenetur. Si vero inveniat rem esse nullius, ejus dominium titulo non præscripscriptionis sed occupationis obtinebit. Item si, ex negligentia graviter culpabili aut ex alia quacumque causa, dubio gravi superveniente, possessor bonæ fidei dubium resolvere neglexerit, non potest rem titulo præscriptionis acquirere, quia propter ejus grave delictum desinit esse possessor bonæ fidei.

(*a*) Lugo de Just. disp. vii. n. 22.

Idem quoque dicendum est si dubitet an res sit sua an alterius ; quia si hoc dubium possessionem antecedat, dictamen conscientiæ practice certum formare non potest rem non esse alienam.

606. Grave dubium movetur inter theologos, utrum is qui ex ignorantia aut errore putet se non posse rem juste possidere, quam tamen juste possidere possit, ut possessor bonæ an malæ fidei habendus sit ? Putat Molina (*a*), spectato solo jure naturali et communibus legibus præscriptionis tale judicium erroneum præscriptionem non interrumpere. Contrariam sententiam propugnat De Lugo (*b*), qui tamen eam non probat, nisi recurrendo ad rationem ob quam legislator civilis bonam fidem exigit. Sed quoniam lex civilis apud nos non obligat, et a jure municip. bona fides inter conditiones præscriptionis non ponitur, videndum est quatenus jure nat. mala fides quæ ex ignorantia procedit, præscriptioni obstet. Ipse Lugo rationes affert quibus fulciri potest sententia Molinæ. "Illa solum mala fides," ait (*c*), "impedire videtur præscriptionem, quæ possessorem facit *injuste possidentem ;* non est autem injuste possidens complete, qui solum ex conscientia erronea injuste possidet : nam si ego clam accipiam a te v. g. rem meam, quam putabam esse tuam, contraho quidem malitiam internam furti ; illud tamen peccatum non erit simpliciter et absolute furtum externum, quia non est usurpatio rei alienæ, nisi secundum solum effectum, quare reservato peccato furti, illud non erit reservatum, nec contrahet censuram, si quæ forte propter furtum imposita fuit." Deinde, allatis aliis exemplis, sic respondet : "Cæterum, quidquid sit de exemplis supra adductis, fatendum videtur quod ad malam fidem in ordine ad hunc effectum sufficiat usurpatio vera rei alienæ cum mala fide interna, sive in ordine *ad illum, sive ad alium dominum.* Nam quidquid sit, an in eo casu ille committeret verum peccatum furti externi completi, et incurreret reservationem, vel censuras impositas peccato furti ; in hoc tamen puncto non agitur de pœna furti, sed de privilegio bonæ fidei, quod privilegium *noluit lex* concedere nisi iis qui possiderent bona fide res alienas, hoc est, putantes bona fide esse proprias : "quamvis autem erres in titulo, putans rem illam pertinere ad Petrum titulo emptionis, cum non pertineat nisi titulo donationis, sive erres in persona, putans vel dubitans quod sit Petri, cum vere non sit Petri sed Pauli ; hoc tamen verum est, te non putare esse tuam, quod tamen potissime *exigit lex,* ut concedat tibi privilegium præscribendi." Sed hæc ultima exempla nullatenus ad rem de qua agimus per-

(*a*) Disp. 63. n. 11. (*b*) Disp. vii. n. 24. et seq. (*c*) Ibid.

tinent, supponitur enim possessorem potuisse rem *juste* et *licite* detinere nisi propter ignorantiam aut errorem. Fur autem aut homicida, deposito errore, non potuit juste furtum aut homicidium patrare. Quæstio præsens non respicit nisi præscriptionem bona fide inceptam; quia quum præscriptio nititur ignorantia aut errore quo quis bona fide credit rem alienam esse suam, non concipitur quomodo quis rationabilem causam habere potest rem occupandi ut suam quæ est et ab ipso creditur esse res aliena. Qualis enim esset hæc ignorantia? An facti aut juris aut personæ? Si ignorat utrum res sit sua, an alterius, an nullius, antea vidimus neminem in his circumstantiis præscribere posse; sed ratio non est quia ipse *falso* putat se rem ut suam detinere non posse, sed quia, manente tali ignorantia aut errore, oritur dubium quod obstat ne hanc rem ut suam bona fide possideat. Si vero ignorantia sit juris, v. g. Caius cognoscit rem esse nullius, sed putat eam juste possidere non posse, et rem illam mala fide animo eam sibi retinendi occupat, fit verus ejus dominus, ut ipse fatetur Lugo (*a*), non obstante ejus mala fide et peccato quo justitiam affective violavit, quia habuit voluntatem eam acquirendi in quantum poterat. Quæstio itaque respicit casum in quo Caius, rem ab initio bona fide ut suam possidens, postea dubitat an sit sua an Julii; et ex ignorantia *juris naturalis* putat rem Julio tradi debere; quo non obstante ille rem mala fide retinet. An in hoc casu interrumpitur præscriptio ob malam fidem Caii? Nobis valde probabilis videtur opinio Molinæ, præscriptionem non interrumpi; nam Caius solus, ut suppono justum habet titulum hanc rem ut suam possidendi. Itaque si ex ignorantia aut errore rem traderet Julio, nonne Julius invalide rem acciperet, et cognita veritate, eam Caio, ut possessori bonæ fidei, iterum tradere teneretur? Itaque Caius nullum jus Julii violat. Neque huic opinioni opponitur decretum Lateranense; quia ipse Lugo agnoscit *b*) stare posse præscriptionem cum peccato lethali "non tamen contra justitiam, nec dici debes ea de causa possessor malæ fidei, quia hoc nomine leges solum volunt significare possessionem cum *scientia* rei alienæ, vel possessæ contra *regulam* justitiæ." Sed sane qui rem ut suam juste possidet, non habet scientiam rei alienæ, neque eam possidet contra regulam justitiæ, quamquam ex ignorantia juris putet hoc sibi non licere. Quando itaque concilium loquitur de conscientia rei alienæ, sane intelligit conscientiam rectam, non erroneam, neque intendit a beneficio præscriptionis

(*a*) Disp. vii. n. 21. (*b*) Ibid. n. 26.

excludere justum rei possessorem. Similiter Alex. III. dicit : Nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, nisi resipuerit postquam *se noverit aliena possidere*. Sed possessor de quo loquimur nullomodo cognoscit se aliena possidere. Insuper si affectus injustus ad rem alienam præscriptioni obesset, bona fide possessor qui, dubio superveniente, dominum diligenter quærit, et nihilominus sperat ut non inveniatur, præscribere non posset. Deinde si præscriptio bonæ fidei possessoris interrumpatur ideo quia, dubio suborto, falso putet rem alteri tradendam esse, et, hoc non obstante rem per aliquod tempus retinet, nunquam rem hanc præscribere poterit ; quia jam est malæ fidei possessor, et si cognito suo errore iterum eam sibi vindicet, erit nunc ab initio hujus possessionis dubiæ fidei possessor, qui ex dictis præscribere non potest. His tamen non obstantibus, etiam probabilis est opinio Lugonis. Quidquid autem sit de hac opinione, notandum est : 1. malam fidem circa jus aut rem non esse extendendam ad aliud jus aut rem, quæ materialiter tantum non autem formaliter, et ratione juris inter se connectuntur. Sic mala fides circa ipsos agros non inficit bonam fidem circa usumfructum, aut vice versa. 2. Culpam juridicam, id est inculpabilis omissio diligentiæ a legibus requisitæ, præscriptioni in jure nostro non obstare, quia lex municip. bonam fidem juridicam non exigit.

607. Nunc vice versa quærendum est, num quilibet error quo quis rem alienam rationaliter suam esse credit, ad bonam fidem sufficiat ? Si error sit facti, certum est hunc sufficere, quia in eo præcipue nititur præscriptio. Sic si quis emat rem ab aliquo quem ex errore hujus rei dominum putat, certum est eum habere bonam fidem sufficientem ad hanc rem præscribendam. Si dubium sit juris, scinduntur theologi ; sed dissensio oritur aut ex præscriptis legis civilis quæ expresse declarant ex ignorantia juris non dari bonam fidem (*a*), aut ex præscriptis juris municip. aliarum gentium secundum quæ bona fides juridica requiritur (*b*). Quoniam vero bona fides juridica a jure nostro non requiritur, certum est ignorantiam invincibilem juris ad bonam fidem sufficere. Sed si desit aliqua conditio quæ a jure necessario requiritur, irrita erit præscriptio, non ex defectu bonæ fidei, sed quia præscripta juris necessaria ad hanc legitimam et ratam efficiendam impleta non sunt. His autem conditionibus omissis, etiam ex ignorantia invincibili, titulus ex præscripto juris irritus et nullus est.

(*a*) Cf. Lugo loc. cit. n. 29. (*b*) Cf. Carriere, 469, 470.

608. Bona fides non solum requiritur quando quis præscriptione dominium alicujus rei acquirit, sed etiam quando hoc titulo se ab obligatione liberat. Itaque necessarium saltem est ex jure naturali, ut solutionem toto tempore præscriptionis inculpabiliter distulerit. Inter nos autem nec etiam ignorantia invincibilis debiti, sufficiet ad debitorem liberandum, non quidem ex defectu bonæ fidei, sed quia titulus præscriptionis bona mobilia non complectitur. Qualis bona fides ex jure naturæ et ex definitione Concilii Lateranensis requiritur, sic expendit Lugo (*a*): "Quæri potest, an, seclusa illa Ecclesiæ prohibitione, posset aliqua lex civilis introducere præscriptionem cum possessione etiam malæ fidei. Ex illo enim decretali negativa pars videtur colligi, cum ideo abrogentur leges et consuetudines, si quæ sunt, præscribendi absque bona fine, *quia sine peccato mortali servari non possent.* Hæc autem ratio etiam, *seclusa omni Ecclesiæ prohibitione,* ostendit legem illam civilem justam et validam minime esse unde non immerito Panormit. et Medina dicunt, leges illas etiam *ante ullam definitionem canonicam fuisse ex natura rei invalidas, idque quod ex natura sua habebant, fuisse ab Ecclesia declaratam.* Distinguendum tamen videtur, nam si lex inducat præscriptionem in favorem possessoris *malæ fidei, et injusti,* id videtur omnino illicitum; hoc enim esset fovere injurias, proposito illis proœmio præscriptionis, *et de his videtur loqui* prohibitio Ecclesiæ. Si vero lex introduceret ob bonum publicum, quod aliquis sine possessione bonæ fidei *positivæ, sed tantum absque mala fide* aliquid præscribere, vel quasi præscribere, posset, *non videtur id ex natura rei illicitum:* imo de facto ita videtur lege sancitum, ut servitutes rusticæ, v. g. viæ, acquæductus, pastus, &c., præscribantur per hoc solum, quod is cui debentur, certo quodam tempore eis non utatur; ad quem effectum non est necesse quod is qui præscribit habeat bonam fidem positivam, qua credit se non debere talem servitutem, nam etiamsi sciat se illam debere, dum tamen non resistit, nec impedit habentem jus illud, ne illo utatur, id sufficit ad præscribendum. Cur ergo similiter non posset aliquando lex civilis ob aliquod publicum bonum introducere, ut qui absque culpa debitum aliquod pecuniarium per decennium non solvit, eo ipso liber remaneat, licettoto illo tempore sui debiti conscius fuisset? Non enim apparet differentia quoad hoc inter servitutem rusticam, et debitum pecuniarium, ut lex non posset, si ita ad bonum publicum expediret, concedere utriusque debiti præscriptionem debitori absque sua culpa illud

(*a*) Loc. cit. n. 47. 48.

non solventi cujusdam determinati temporis curriculo. Quod si hoc in debito pecuniario fieri posset, non video cur etiam in commodato non posset, ut qui absque culpa tanto tempore rem commodatam habuisset, etiamsi sciret non esse suam, elapso illo termino, rem præscriberet. Denique hoc ipsum in rebus aliis titulis debitis fieri posset, si tamen id ad bonum commune alicubi expediret."

609. Itaque quando nullus actus positivus requiritur ex parte præscribentis, potest seipsum ex his servitutibus liberare eo quod possessor juris eo non usus sit per tempus a lege præscriptum. Jam vidimus hæc respici in jure nostro non ex parte ejus a quo, sed ex parte ejus cui debentur, et hereditamenta incorporalia appellari. Hæc jura extingui possunt per cessionem [*release*] qua eorum dominus ea ad dominum hereditamenti corporalis in quod exercentur concedit, quia tunc hereditamenta incorporalia cum hereditamento corporali uniuntur. Si dominus hereditamenti incorporalis eo per viginti annos usus non sit, tribunalia plerumque declarabunt eum hoc jus cessisse domino tenementi corporalis. Hæc autem non est præsumptio facti, sed fictio juris, quod, nisi dominus juris aliqua ex inabilitatibus infra expositis ligatus fuerit, vult ipsum jus extinguere. Potest dominus rei corporalis bona conscientia hoc modo se liberare, si exercitium juris ex parte alterius non impediverit. Alius modus hæc hereditamenta extinguendi est per unitatem seisinæ, ut si is qui jure viæ per agros alienos potitur dominium ipsorum agrorum acquirat, quia tunc jus incorporeum in dominio ipsorum agrorum absorbetur. Huic præscripto datur exceptio in casu libertatis regiæ quæ conceditur subdito [*a franchise*], quia hoc hereditamentum etiam in solo proprio vindicare potest, et proinde per unionem seisinæ ab hereditamento corporali non absorbetur. Sed etiam hæ libertates extinguuntur quando rex a quo concessæ erant agros super quos libertas conceditur et ipsam libertatem obtinet. Libertas etiam extingui potest propter abusum [*misuser*], id est propter violationem conditionis aut explicitæ aut implicitæ sub qua concessa erat, aut etiam ex defectu usus. Sic si libertas corporis cuidam vico ante omnem ætatum memoriam concessa fuerit, et hic vicus nunquam eo privilegio usus sit, ex defectu usus abrogatur. Item jus ad lumina, cursum aquarum, &c., quæ occupatione acquiruntur, extingui potest ex defectu usus etiam in tempus viginti annos brevius, modo tamen constet, possessorem juris animum habuisse suum jus absolute abdicandi; si enim apparuerit ipsi propositum fuisse jus suum intra tempus rationabile resumere, jus ejus non extinguetur.

610. Quando vero quis præscribit per actus positivos, semper habere debet "bonam fidem, qua credat illud jus ad se pertinere, vel certe in continuatione non credat esse contra jus alterius: nec sufficit scientia et patientia ejus contra quem vis præscribere; quia hæc non sufficit ut tu velis possidere illud jus tanquam tuum, sed ad summum solum ut velis accipere illum usum pro ea vice ex gratia, et licentia interpretativa domini videntis et patientis. . . . . Oportet tamen in ejusmodi servitutibus permittendis cautum esse, etsi pati eas aliquando velis, procurare publicum instrumentum quo ex confessione accipientis constet illud beneficium gratis a te semper et revocabiliter habere: nec erit extra rem, si aliquando jure tuo utaris, ut omne præscriptionis periculum impediatur" (*a*). Sed jam observavimus bonam fidem solummodo exigere, ut quis rem alienam ita possideat ut non peccet graviter contra justitiam. Ad hoc non semper necessarium est ut rem alienam rationabiliter suam esse reputet, ut constat ex exemplo supra allato de possessore bonæ fidei qui non obstante dubio superveniente rem adhuc juste retinet, sed non absolute ut rem suam. Item potest quis se liberare ab aliquo onere secundum præscripta legis propter defectum usus, ex parte alterius quamvis is qui præscribit non possidet libertatem ex hoc onere ut *suam*, quia usque ad finem temporis requisiti talis possessio esset injusta et subversiva juris alieni. Sufficit ad bonam fidem ut alium non prohibeat ne utatur jure suo, ut tempore finito beneficio legis ab hoc onere liberetur. Similiter docet Lugo posse legislatorem ferre legem ad eximendum debitorem a solutione debiti quod per decennium inculpabiliter non solverit. Concedimus hanc legem non fore injustam propter defectum bonæ fidei ex parte debitoris, sed nobis videtur fore injustam propter alias rationes, quia viam innumeris fraudibus aperiret, et injusta esset erga creditores qui eorum jura vindicare non neglexerint, et solutionem non obtinuerint non ex eorum negligentia sed propter inopiam creditoris, qui postea dives factus, solo lapsu decennii sua debita solvere non teneretur. Sed quomodo possunt hæc conciliari cum doctrina doctissimi auctoris quæ hoc ipso numero attulimus, non sufficere scientiam et patientiam ejus contra quem vis præscribere, quia hæc non sufficit ut tu velis possidere illud jus *tanquam tuum?* Hanc bonam fidem exigit "ut quis acquirat jus piscandi, venandi, pascendi, jus viæ per alienum fundum, aquæductus, &c.," quia hæc jura per actus positivos acquiri debent. Sed revera potest quis hos actus positivos piscandi in aquis alienis, &c., exercere

(*a*) Lugo, ibid. n. 54.

sine peccato etiam veniali, quando dominus aquæ qui facile obstare possit si vellet, eos scienter permittit, modo tamen non exerceantur animo domini sed ex præsumpto consensu alterius. Jamvero fatente ipso Lugone necessarium semper non est ad præscriptionem ut possessor rem detineret ut suam, sed sufficeret ut eam haberet sine peccato gravi contra justitiam, si lex, tempore præscripto elapso, hanc rem ei traderet. Itaque v. g. si quis per agros alienos sæpe iter facit eorum domino sciente et non contradicente quando facile contradicere posset, nullum peccatum committit, et si dominus agrorum hoc permittat, bene cognoscens quod nisi contradicat ante lapsum temporis a lege definiti, ille homo jus viæ acquiret, non video quare hoc jure secundum præscripta legis potiri non posset. Et idem dico de aliis juribus supra recensitis, et de aliis omnibus præscriptionibus, quatenus conditio bonæ fidei consideratur. Hinc si Caius bona fide credat Julium non esse invitum ut quamdam partem ejus agrorum occuparet, non quidem animo domini sed quamdiu Julius hos agros non vindicaret, et Julius eum hos agros in viginti annos occupare permittat, quamvis bene cognoscat, quod post hujus temporis lapsum jus municipale eos Caio tradet, non video quare Caius hos agros sibi vindicare non posset. Item si Caius, Julio sciente et non contradicente, ædem Julii occupet, nullo pacto inito et nullo reditu soluto, in viginti annos, non video quare juxta præscriptum legis hanc ædem sibi vindicare non posset Caius. Talis modus præscribendi itaque apud nos valet, quoniam nullam bonam fidem juridicam lex exigit. "Legibus enim omnino standum est, cum totum præscriptionis jus ex legibus ipsis ortum habuerit" (*a*).

611. Disputant auctores utrum is qui accipit rem a possessore malæ fidei præscribere possit necne. Utique si malam fidem prioris possessoris cognoscat præscribere non potest, sed rem domino tradere tenetur. E contra si quis bona fide succedat possessori bonæ fidei, præscribere potest, et solummodo necessarium erit ut rem bona fide possideat donec residuum temporis quod ad præscribendum exigitur compleatur Si bona fide succedat quis quocumque titulo possessori malæ fidei præscribere possit, quia fictio illa juris civilis qua heres, licet ipse bonam fidem haberet, mala fide antecessoris infici existimabatur, inter præscripta nostri juris non invenitur. Si autem *certum* sit antecessorem gravis peccati contra justitiam reum fuisse sensu supra exposito, non poterit is qui in ejus jura quocumque titulo succedit, tempus in quod prior possessor rem habebat, intra tempus ad præscriben-

(*a*) Lugo, loc. cit. n. 56.

dum necessarium computare, et proinde si malam fidem prioris possessoris cognoscat antequam ipse rem per totum tempus quod ad præscribendum requiritur possidet, tenetur eam domino tradere. In dubio antecessor bonam fidem habuisse censendus est, si vir probus fuerit, quia talis homo mala fide egisse præsumi non debet, nisi probetur. Si quis rem accipiat a possessore bonæ fidei dubitans an res vere fuerit illius an alterius, potest præscribere eodem modo ac si ipse ab initio rem bona fide possedisset. "Ratio est," ait Lugo, "quia licet ipse cum illo dubio non posset inchoare possessionem; predecessor tamen ratione bonæ fidei qua possidebat, acquisierit sibi jus ad retinendam rem, etiam superveniente dubio, eo quod in dubio melior est conditio possidentis; potuit ergo hoc jus quod ipse habebat mihi vendere vel donare: quo casu ego succedo in toto illo jure quod prior possessor habebat; quare sicut ille poterat, ita ego potero, non obstante dubio, quia melior est conditio possidentis (*a*)."

612. Si Caius cognoscat patrem suum domum Julii bona fide ut suam possidere, tenetur ordinarie ex caritate, non autem ex justitia, patrem suum de ejus errore monere; quia pater juste retinet domum ut suam, ejusque dominium ope præscriptionis obtinere potest. Imo si pater Caii sit pauper et Julius dives puto Caium non teneri etiam ex caritate patrem monere. Itaque si pater vivat donec tempus præscriptionis completum fuerit, dominium domus acquiret, eamque vendere aut donare aut Caio aut alteri poterit. Si vero moriatur antequam tempus completum fuerit, vel Caius vel alius qui ignorat domum ad Julium pertinere, ejus dominio succedit, in secundo casu successor præscribere potest complendo tempus definitum. In primo casu si Caius dominium domus accipiat tenetur eam Julio tradere quia habet rem alienam sine ullo titulo justo, sed si domus per modum doni aut legati ipsi relinquatur ipsam renuntiare potest, quia nullum jus habet Julius ut eam accipiat; quo facto, tempus præscriptionis ab alio bonæ fidei possessore compleri possit. Sed si jure hereditario domus ei transmittatur, patre mortuo ipso facto ejus possessionem accipit, et ideo eam Julio tradere tenetur.

613. Tertia conditio est possessio. De possessione generatim sumpta jam disputavimus. Nemo præscriptione acquirere potest hereditamenta corporalia nisi earum possessione legali potiatur. Quod attinet vero ad præscriptionem hereditamentorum incorporalium lex municipalis non exigit possessionem sed *usum*. "Præscriptio," ait Coke (*a*), "est titulus ex usu et tempore, substantiam

(*a*) Lugo, loc. cit. n. 64. (*b*) Ap. Steph. vol. 1. p. 692. n.

capiens ab authoritate legis." Sed revera distinguendum est inter præscriptionem qua quis jus positivum acquirit, et eam qua se ab onere liberat. In priore semper necessarius est usus verus, in posteriore nullus usus necessarius est, ut ex supra dictis constat. Dici tamen potest eum qui præscribit possidere libertatem se hoc modo ab onere debito liberandi secundum præscripta legum, non quidem absolute, sed modo alter jus suum debito tempore non exigat. De his hereditamentis tractabimus infra, ubi de tempore ad præscribendum necessario agemus. Ad acquirendum vero novum jus positivum: 1. Usus verus necessarius est. Mera postulatio qua quis tale jus sibi vindicat per tempus longissimum facta, quamvis ejus justitia nunquam negata fuerit, ad præscribendum non sufficiet. Usus debet esse continuus, quia fictione juris supponitur ea etiam hereditamenta incorporalia, quæ revera sola præscriptione acquisita sunt, olim alio titulo v. g. emptionis aut donationis acquisita fuisse, quamvis nunc vestigium nullum hujus tituli inveniri potest, quia revera nunquam extitit. Itaque supponitur eum qui jus aliquod præscriptione vindicat eo usum esse eo modo quo habita ratione ejus naturæ ejus dominus eo uteretur. Proinde si eo jure raro usus sit tribunalia præsumerent hunc usum ei antiquo aliquo titulo concessum non fuisse, et ideo titulum præscriptionis non agnoscerent. Judices tamen bene cognoscunt hæc jura ordinarie vindicari, quia possessores ea acquisiverunt ex consensu tacito domini, qui hunc usum continuum vidit, et non prohibuit. Sed si probari possit usum obtinuisse ex positiva licentia aut concessione domini, non sufficiet ad præscribendum, non ex defectu usus sed ob titulum vitiosum, de quo statim agemus. 3. Usus debet esse pacificus. Hinc si usus vi obtineatur et exerceatur, non erit fundamentum tituli præscriptionis. Attamen si quis etiam violenter vindicet exercitium juris quod suum esse contendit, et alter ab oppositione desistat per totum tempus quod ad præscribendum requiritur, hic usus ad præscribendum sufficiet. Conversim, si usus violenter interrumpatur ante lapsum temporis ad præscribendum requisitum, et is qui jus vindicat ab ejus usu desistat, sane præscribere non possit. Si vero interruptio sit per breve tempus, et is qui jus vindicat postea eo pacifice frui permittatur, hoc ad præscribendum sufficiet. Quando, vero, antequam jus titulo præscriptionis acquisitum sit, sæpe interrumpitur usus ita ut is qui id vindicat eo pacifici frui dici non potest, talis usus ad præscribendum non sufficiet. Jure autem stabilito, quomodo ex defectu usus extingui possit, infra ubi de tempore ad præscribendum necessario exponetur. 4. Usus sciri debet ab eo contra quem jus

hoc modo acquiritur, aut ab alio qui ejus res et rationes curat; si enim probari possit, ab alterutro ex iis nunquam cognitum fuisse per totum tempus quo alter eo jure usus est, titulus præscriptionis tali usu stabiliri non potest. Quando agitur de hereditamentis sive corporalibus sive incorporalibus, quæ acquiruntur ex præscripto statuti ad tempus præfiniendum intra quod, ab eo qui jus suum vindicare proponit actionem intendi necesse est, eorum possessio debet esse pacifica et non interrupta, saltem nisi in breve tempus: ut si pars adversa agros ingressa sit animo eos possidendi sedstatim expulsa est. Talis enim interruptio præscriptioni non obstaret.

614. Quarta conditio est titulus. Quid per titulum intelligatur supra exposuimus. Est autem ratio seu fundamentum juris quo quis aliquid sibi vindicat. In jure municipali nullus titulus requiritur aut ad præscribendum aut ad actionem interdicendam, sed titulus vitiosus obstabit ne quis præscribere aut actionem interdicere possit. Quandocumque ergo quis rem possidet, aut jure potitur, vi tituli qui probat eam rem aut jus non esse suum sed ad alium pertinere, nunquam hanc rem titulo præscriptionis vindicare poterit. Hinc illud pronunciatum, "Melius est non habere titulum quam habere vitiosum." Itaque qui ex locationis instrumento agros aut domos possidet, nunquam eos præscribere posset, quamdiu ac hic titulus perdurat. Idem dicendum est de hereditamentis incorporalibus, quæ a Caio v. g. concessa sunt Julio ad arbitrium, aut in annos, aut in vitam. Si autem hereditamenta sive corporalia, sive incorporalia, concessa essent absolute Julio ejusque heredibus, eorum dominium haberet non autem præscriptione sed alio titulo. Quandocumque vero secundum præscripta legis probari potest, rem aliquam aut jus solummodo ex licentia aut concessione Caii a Julio possideri, non potest Julius hanc rem titulo præscriptionis vindicare, et nisi alium exhibeat titulum, hac re aut jure Caio cedere cogetur. Sed quamvis nullus titulus ex parte præscribentis jure municip. requiritur, omnino tamen necessarius est ad bonam fidem; quia sine titulo nemo juste rem aliquam possidere potest. "Est autem bona fides quando existimatio mentis correspondet animo" (*a*), ita ut si quis rem detineat ut suam, sua esse prudenter judicet; si autem detineat rem alienam, reum non esse peccati saltem gravis eam sic detinendo. Ad hoc sufficiet titulus aut putativus aut etiam rationabiliter præsumptus. Quando vero quis rem alienam possidet aut ea utitur domino sciente et non contradicente, quando facile contradicere posset si vellet, rationabiliter credere potest

(*a*) Lugo, Disp. vii. n. 16.

dominum non esse saltem graviter invitum; et legem quæ nonnisi hanc bonam fidem ad præscribendum exigeret non fore injustam, supra ex Lugone ostendimus. Hoc præsertim verum est quando tempus longinquum ad præscribendum exigitur; quod, ut statim videbimus, ex præscripto juris nostri municip. semper requiritur.

615. Quinta conditio est ut tempus a lege definitum compleatur. Ex præscripto juris com. usus extitisse debuerit ex omni ætatum memoria, id est, secundum judicum interpretationem, ante annum primum regni Ric. I., id est ante A. D. 1189. Sed nunquam necessarium erat ei qui jus aliquod ex præscriptione vindicare probare usum ex omni memoria ætatum extitisse; ex usu enim viginti annorum aut, si circumstantiæ indicarent usum antiquum, etiam temporis brevioris, lex præsumeret usum ex omni memoria ætatum extitisse, nisi contrarium positive demonstraretur. Et hoc tempus adhuc requiritur, quando ad normam juris com. præscribitur. Sed ad pleraque hereditamenta incorporalia præscribenda, nunc Statuto 2 et 3 Guliel. IV., c. 71, tempus definitur. Ex hoc Statuto ut omnia hereditamenta incorporalia quæ nomine jurium communium [*rights of common*] appellantur (*a*), et ut omne lucrum aut beneficium quod quis ex agris alienis vindicare possit (exceptis reditibus, muneribus, et decimis) titulo præscriptionis acquirantur, sufficit usus non interruptus triginta annorum; nisi is contra quem præscribitur aliquo impedimento legali impeditus fuerit. Incapaces sunt legaliter minores qui nondum an. 21um compleverint, mente capti, mulieres mat. juncti, et tenentes in vitam; et contra hos, aut alios qui eorum juribus succedunt, tempus in quod legali impedimento ligati erant non computatur. Si ergo Petrus jus pascuæ in agris Jacobi potitus sit per viginti annos, et Jacobus moriatur antequam Caius ejus filius natu maximus natus est, præscriptio suspendetur usquedum Caius an. 21um compleverit, et proinde usus ad præscribendum necessarius in hoc casu debet in 51um annos continuari. Tempus etiam in quod quis actionem ei qui jus vindicat intendit, et debita diligentia prosequitur, donec morte præventus fuerit, a computatione triginta annorum excludetur. Itaque si Caius an 50° actionem Petro intenderit, eamque per duos annos prosecutus sit et moriatur lite non finita, Petrus adhuc jus suum titulo præscriptionis stabilire non potest; et si Julius heres aut legatarius Caii, decem tantum annos natus sit tempore mortis Caii, quamvis actionem non prosecutus sit per procuratorem ad litem, Petrus nonnisi anno sexagesimo transacto jus suum titulo præscriptionis vindicare

(*a*) De his cf. supra, n. 416 et seq.

poterit. Anno autem sexagesimo transacto, quamvis Julius adhuc sit minor, titulus Petri erit completus, Quandocumque usus in sexaginta annos perduraverit, præscriptio erit completa, nisi probetur usum aut ex facto [*by deed*], aut ex scripto instrumento obtinuisse, quamvis is contra quem præscribitur per totum tempus aliqua incapacitate legali ligatus fuisset. Sed quamvis in præscriptionibus ex præscripto juris, com., usus viginti annorum, aut etiam temporis brevioris, præsumptionem legalem efficiat usum ex omni memoria ætatum extitisse, nunc in præscribendis hereditamentis de quibus loquimur, usus qui in triginta annos integros non perduraverit, nullam istiusmodi præsumptionem producet.

616. Statutum etiam præfinit tempus necessarium ad præscribenda jura viæ, cursus aquarum, et lumina, (*a*). Jus viæ per agros alienos, aut cujuscumque alterius levamenti [*easement*], et jus ad cursum aquarum, aut ad usum cujusvis aquæ (*b*), acquiritur per usum non interruptum viginti annorum, dummodo is contra quem præscribitur nullo ex impedimentis supra numeratis ligatus fuerit. Si vero aliquo ex iis detentus fuerit, per tempus in quod ita ligatus fuerit præscriptio suspenditur, ita tamen ut usus quadraginta annorum semper sufficiet, nisi probetur usum aut ex facto, aut ex scripto instrumento, obtinuisse. Quando agri ex quibus hæc jura vindicantur locati fuerint invitam aut in annos plusquam tres, hoc spatium intra tempus ad præscribendum constitutum non computabitur, modo is qui termino finito agros per modum reversionis accipit, intra triennium actionem intendat ei qui jus ex usu sibi vindicat.

617. Jus luminum (*c*) per usum non interruptum viginti annorum semper absolute acquiritur, nisi probetur usum ex facto, aut ex scripto instrumento obtinuisse. Jam vidimus hereditamenta omnia incorporalia extingui posse ex defectu usus. Sed in jure nostro hoc præscriptum fictione legali nititur, quando de aliis hereditamentis præter jus ad cursum aquarum et ad lumina agitur. Quando enim is qui jure potitur eo non utitur in viginti annos judices plerumque declarabunt eum jus suum cessisse, et ideo hereditamentum corporale exonerasse [*released*] a jure sibi debito. Hæc non est falsa præsumptio facti quia judices apprime cognoscunt nullum exonerationem concessam fuisse, et sententia revera dicitur contra eum qui jure ad usum potitus est, quia eo non usus est in viginti annos. Jus vero ad lumina aut

(*a*) De his hereditamentis cf. supra, nn. 422, 429, 430.

(*b*) Verba statuti sunt, "Any way or other easement, or any watercourse, or the use of any water, to be enjoyed upon, over, or from any land or water."

(*c*) Cf. supra, n. 430.

ad cursum aquarum directe extinguitur propter non usum, etiam in tempus brevius quam viginti annorum, modo tamen ex circumstantiis judicetur dominum juris voluisse id absolute relinquere. Si vero judicetur eum animum habuisse jure suo intra tempus rationabile utendi, antequam tempus rationabile effluxerit jure suo non privabitur. Sed sicut defectus usus in viginti annos plerumque sufficit omnia alia hereditamenta incorporalia extinguere, ad extinguendum etiam jus ad cursum aquarum et ad lumina sufficiet. Ex supra dictis patet posse quemquam conscientia bona his præscriptis se ab oneribus liberare.

618. Præscriptio hoc nomine hereditamenta corporalia non complectitur, sed novum præscriptum in jus municip. introductum est, ex statuto quo tempus intra quod actio intendi possit, circumscribitur et definitur. Distinguit statutum inter res immobiles et res mobiles; quando tempus intra quod actio intendi potest ad res immobiles vindicandas effluxerit, non solum actionem ad jus suum vindicandum intendere non potest petitor, sed et ipsum jus ejus et titulus extinguuntur (*a*). Quum autem jus et titulus petitoris ad hereditamentum extinguuntur utique a possessore, servatis debitis conditionibus, acquiritur, et non alio titulo quam titulo præscriptionis. Quod attinet vero ad res personales, statutum solummodo actionem interdicit post lapsum temporis definiti, sed dominium harum rerum ex titulo præscriptionis nunquam concedit, et proinde qui res mobiles alienas possidet aut debitum contraxerit, nunquam temporum diuturnitate a restitutione in conscientia excusabitur. Et quamquam post lapsum temporis præfiniti actio interdicitur, attamen si creditor res aliquas debitoris possideat, has detinere potest donec res sua restituatur aut debitum solvatur. Ex hoc manifestum est quod, quamquam post lapsum temporis præfiniti actio interdicitur, obligatio restitutionis in conscientia adhuc permanet.

619. Jura regis ad agros non regitur statuto laudato, sed aliis, nempe 9 Geo. III., c. 16, et 24 et 25 Vict., c. 62, quibus statuitur actionem a rege institui non posse ad agros vindicandos post lapsum sexaginta annorum. Sed hoc præscriptum fere nullius est momenti; quia ex supra dictis patet regem nunc vix

(*a*) Verba sectionis 34, Stat. 3 et 4 Gulicl. iv., c. 27, hæc sunt: "And be it further enacted, that at the determination of the period limited by this Act to any person for making an entry or distress, or bringing any writ of *Quare impedit*, or other action or suit, *the right and title of such person to the land, rent, or advowson*, for the recovery whereof such entry, distress, or suit respectively, might have been made or brought within such period, *shall be extinguished*."

ullos agros possidere. Quod attinet vero ad personam privatam, aut corpus politicum, aut collegium statutum est: 1. ut post diem, 31um Dec. A. D. 1833, neque ingressu in *agros* neque actione *eos* vindicare possent, neque bona in iis inventa in pignus ob reditum non solutum capere, neque actione vindicare *reditus* aut *heriota* aut *munera* [*services*] ad quorum solutionem obtinendam bona in agris inventa in pignus capi possent [*distress may be made*], nisi actio intenta fuerit *intra viginti annos* a tempore quando jus aut ingressus, aut bona in pignus capiendi aut actionem intendendi primo obvenerit, sive ipsi qui jus vindicat, sive ejus heredibus vel legatariis, sive aliis quorum vicem gerit vel quorum jure ipse agros vindicat. Si tamen eo tempore quo jus ingressus, &c., primo obvenerit, is qui eo jure potitur fuerit minor, aut mulier mat. juncta, aut lunaticus aut mente captus, aut trans mare in exteris regionibus, poterit ipse aut quivis alius qui ejus vicem gerit aut ejus jure potitur, quamquam viginti anni jam effluxerint, infra decem annos postquam impedimentum cessaverit aut post mortem ejus qui legaliter impeditus est; agros ingredi, bona in iis inventa ad reditus solutionem obtinendam in pignus capere, aut actionem possessori intendere. Si impedimentum cessaverit ante mortem ejus qui eo ligatus erat, computatio decem annorum incipienda est non a tempore mortis, sed a tempore quo remotum est impedimentum. Quando vero quadraginta anni effluxerint, jus et titulus petitoris omnino extinguitur, et ideo possessor bonæ fidei potest omnia hereditamenta enumerata, sive corporalia sive incorporalia, tuta conscientia ut sua retinere; quia solæ conditiones quæ ex præscripto juris municip. exiguntur sunt: 1. ut non existat titulus vitiosus; 2. in præscriptionibus quibus res aut jus acquiritur ut rem vel jus sine interruptione possederit; et 3. ut tempus præscriptum expleatur. Hoc præscriptum juris complectitur agros qui per copiam rotuli tenentur, et etiam decimas, iis exceptis quæ ad corpora sola, sive spiritualia sive eleemosynaria, pertinent. 11. Ut post diem prædictum, ulla persona, aut corpus politicum aut collegium actionem intendere non posse ad statum æquitabilem aut ad reditus æquitabiles vindicandos, nisi intra tempus quo potuerit ipsos agros jure ingredi ad eorum possessionem obtinendam, aut bona in iis inventa ob reditum non solutum in pignus capere, aut actionem intendere, si ejus status fuisset legalis. Sed huic præscripto dantur quædam exceptiones. Primo quando agri aut reditus dantur fiduciario in modum fidei-commissi expliciti, jus ejus cui status æquitabilis in agris aut in reditibus pertinet [*cestui que trust*], aut cujuslibet alterius qui ejus vice fungitur, aut in ejus jura succedit, primo evenisse censebitur, quando fiduciarius eos emptori abalienaverit,

pretio æstimatione digno soluto. Itaque tempus præscriptionis a tempore abalienationis computandum est. Sed hoc præscriptum non respicit fiduciarium, sed emptorem, aut alium qui ejus jure potitur. Secundo, in casu fraudis occulti, jus cujuslibet personæ actionem in curia æquitatis intendendi ad statum suum æquitabilem in agris aut reditibus vindicandum, tunc primo evenire censebitur quando fraudem aut detegerit, aut diligentia ordinaria adhibita eam detegere potuerit; sed hoc solummodo fiduciarium respicit, non autem emptorem bonæ fidei qui fraudem non cognoverit; quod enim ad eum attinet, jus præscribendi a tempore emptionis computabitur. Si vero emptor in fraude participaverit, tempus computandum erit a tempore in quo fraus patefacta est. Sed in hoc casu præscribere non potest ob defectum bonæ fidei theologicæ. Tertio in casibus in quibus curiæ æquitatis actionem petitori recusassent ob ejus præsumptam consensionem [*acquiescence*] ante statutum latum, possunt adhuc etiam ante lapsum temporis præfiniti actionem recusare, nisi ei jus actionem intendendi per ipsum statutum interdictum fuerit. Quarto, quando quis acceperit possessionem agrorum in vado mortuo [*mortgage*], aut eorum lucra aut reditus perceperit, nulla actio ei aut aliis qui ejus jure potiuntur intendi poterit, nisi ante lapsum viginti annorum a tempore quo possessionem acceperit; nisi forte is qui agros in vado mortuo possidet, aut alius qui ejus jure iis potitur, scriptum testimonium, nomine suo subsignatum, intra viginti annos dederit ei qui agros suos in vado mortuo abalienaverit, aut alteri qui ejus vice fungitur, quo ejus titulus, aut jus ad agros redimendos agnitum fuerit. Actio ad agros redimendos intendi non poterit nisi intra viginti annos a tempore quo dictum testimonium datum fuerit (*a*).

620. Aliis præscriptis hujus statuti definiuntur tempora intra quæ ad varia jura vindicanda actionem intendere necesse est. Sed ad nostrum propositum non pertinet hæc præscripta exponere. Tempus præfinitur intra quod corpora sola, sive spiritualia sive eleemosynaria, jus ad agros aut reditus vindicare possunt. Sufficit dicere ad tales præscriptiones spatium sexaginta annorum minimum exigi. Quod attinet ad debita quæ ex contractu simplici oriuntur, si creditor nullo impedimento legali ligatus fuerit, actio ad hæc vindicanda intra sex annos intendi necesse est, si vero facto [*by deed*] munita sint, actio intra viginti annos intendi poterit. Actiones ad damnorum reparationem obtinendam intra

(*a*) By a subsequent Act, 1 Vict., c. 28, it is declared that it shall be lawful for any person claiming under a mortgage of land to make an entry, or bring an action at law, or suit in equity, to recover it, at any time within twenty years from the last payment on account of principal or interest.

sex annos intendere necesse est. Sed de his rebus necessarium non est accurate et diligenter tractare, quia, ut jam monuimus, quamvis lex municip. actionem recusat, *quia vigilantibus non dormientibus jura subveniunt*, non tamen vult excusare debitorem ab obligatione debitum suum solvendi, et proinde quantumvis bona fide fuerit, et quanquam centum anni effluxerint, ab obligatione debitum suum solvendi minime excusatur, quia titulus præscriptionis auctoritate legis municip. nititur.

621. Quamvis vero actio interdicitur nisi intra tempus a lege præfinitum intendatur, potest petitor per 15 et 16 Vict., c. 76, s. 11, præscriptum ab aliquo judice tribunalium regis superiorum obtinere, quo possessor in judicium venire mandabitur (*a*). Hoc præscriptum sexto quoque mense renovare necesse est, ab eo qui hoc munere in tribunali fungitur [*the proper officer of the court*], qui præceptum sigillo quo dies renovationis inscribitur imprimit. Hoc modo jus actionem intendendi semper conservari potest. Quamdiu petitor jus suum hoc modo tueri pergit, evidens est possessorem nunquam posse præscribere. Hoc tamen præscriptum non respicit præscriptionem quæ eo nomine in jure notatur, sed solummodo Statuta (21 Jac. I., c. 10, and 3 et 4 Guliel. IV., c. 42), quibus tempus intra quod actionem intendere necesse est definitur. Hoc Statutum pro Anglia et Hibernia, non autem pro Scotia latum est.

(*a*) This judicial instrument is called a *writ of summons*, and the process itself *saving the Statute of Limitations*.

DISPUTATIO DUODETRICESIMA.

DE MODIS SEU TITULIS QUIBUS DOMINIUM RERUM MOBILIUM ACQUIRI POSSIT.

622. Tituli quibus dominium rerum mobilium acquiri potest secundum jurisperitos sunt: 1. occupatio [*occupancy*]; 2. inventio; 3. donatio, et venditio et emptio [*gift, and assignment*, that is, *bargain and sale*]; 4. contractus; 5. cessio bonorum [*bankruptcy*]; 6. testamentum et administratio [*will and administration*]; 7. privilegium regis [*prerogative*]; 8. multa [*forfeiture*]; 9. consuetudo; 10. successio; 11. matrimonium; et 12. judicium tribunalium. Sed ex his titulis 3^tius^ et 4us pertinent ad materiam de contractibus, ubi etiam de 6° tractant theologi, et 5us in tractatu de restitutione exponetur. Ceteri nunc exponentur.

§ 1. *De titulo occupationis, ubi etiam de rebus in bello captis, de accessione, de commixtione et confusione, et de inventione agitur.*

Punctum primum.—De occupatione.

623. De occupatione, quatenus est modus acquirendi dominium rerum immobilium, jam tractavimus, Nunc idem titulus, quatenus est modus acquirendi res mobiles, exponendus est. Occupatio a theologis ordinarie definitur apprehensio rei quæ nullius sit aut nullius esse censeatur animo eam sibi acquirendi. Hæc definitio satis intelligetur ex iis quæ de origine dominii diximus. Aliquando titulus inventionis a theologis ad titulum occupationis revocatur, aliquando ut titulus distinctus habetur. Non est quæstio nisi de nomine, et nos de eo sub titulo occupationis agemus. Titulus vero 2us quem supra hoc nomine appellavimus respicit jus quod competit auctori in proprii sui ingenii fœtus, (quemque theologi inter modos dominium acquirendi non computant, sed eum plerumque ad tractationem de dominii subjecto revocant.) Attamen, quoniam est verus modus dominium acquirendi, nobis videtur quod inter titulos quibus dominium comparatur recenseri

debeat. Tituli vero accessionis, &c., quos jurisperiti ad titulum occupationis revocant, non respiciunt res quæ sunt nullius, sed res quarum dominium ex præscriptis juris municip., aut gentium, aut naturalis, *ab occupante*, sed non jure solius occupationis, acquiri potest.

624. Præcipuæ res mobiles quæ adhuc sine domino manent, sunt feræ in sylvis, aves in aere, pisces in mari aut in lacis publicis aut in fluminibus, lapilli in fundo aut litore maris, &c., (*a*). Ut autem res hoc titulo acquiratur, requiritur, 1. ut inter objecta dominii computetur; 2. ut qui eam occupat animum habeat ejus dominium acquirendi; 3. ut sit aut salem censeatur esse nullius; 4. ut res potestati acquirentis physice subjiciatur; et 5. ut lex ex justitia obligans occupationi non obstet. Præcipue in hac materia agunt theologi de occupatione animalium. Secundum præscripta juris civilis animalia triplicis sunt generis, nempe naturæ feræ, mansuetæ, et mansuefactæ. Animalia feræ naturæ sunt quadrupedia, volucres, et pisces, qui a consortio humano abhorrent, in sylviis, aere, et aquis habitant, et nonnisi vi capiuntur. Animalia naturæ mansuetæ seu domesticæ ea sunt, quæ inter homines habitant, eorumque commodis et necessitatibus inserviunt. Animalia naturæ mansuefactæ, ex præscripto juris nostri, ea sunt quæ naturaliter sunt feræ naturæ, sed aut *per industriam, aut propter impotentiam*, aut propter *privilegium*, sub alicujus dominio constituuntur.

625. Homo dominium habet *absolutum* animalium domesticorum, nempe equorum, bouum, vaccarum, ovium, bestiarum, volatilium, et proinde prioris domini permanent ubicumque inveniuntur. Itaque eorum dominium titulo occupationis obtineri non potest. Hæc enim animalia cura et industria hominis multiplicantur, ipso partu hominis dominio subjiciuntur, et quantumvis aberrent ab ejus dominio non liberantur.

626. Homo non potest habere dominium absolutum sed solummodo conditionale animalium mansuefactorum, quamdiu vivunt. Mortuo autem animali sive mansuefactæ sive feræ naturæ, utique ad ejus justum possessorem absolute pertinet, quia ejus naturalem libertatem nunquam recuperare potest. Sed dominium absolutum animalium mansuefactorum nunquam quis habere potest dum vivunt, quia hæc eorum libertatem naturalem recuperare possunt, quo facto sub nullius potestate constituentur, et fient primi occupantis. Horum tamen animalium dominium conditionale habere quis potest, id est, quamdiu aut naturaliter

(*a*) Cf. Carriere de Just. n. 28.

aut ex præscripto legis ejus potestati subjiciantur. Hoc, ut diximus, tribus modis efficitur: 1. per industriam; 2. propter impotentiam; 3. propter privilegium.

627. 1. Quis dominium acquirere potest animalium feræ naturæ per industriam. Hoc autem duplici modo effici potest, nempe ea in loco unde evadere nequeant includendo, aut ut domum revertantur assuefaciendo. Priori modo dominium habet quis conditionale cervorum in vivario suo, leporum et cuniculorum in septo [*an inclosed warren*], phasianorum, perdricum in cavea [*a mew*], piscium in stagno privato, &c. Altero modo dominium conditionale habet quis columbarum quæ in ejus columbario habitant, accipitrum domino parere assuefactorum, apum quæ in alveario congeruntur, &c.; quamvis enim hæc libertate gaudent, attamen dum consuetudinem revertendi servant, quantumvis aberrent, ad eum cujus industria mansuefacta sunt pertinent. Si vero hanc consuetudinem deseruerint, ex præscripto juris civilis, cui lex municip. in hac materia est omnino conformis, "tua esse desinunt et fiunt occupantium (*a*). Apium quoque fera natura est: itaque quæ in arbore tua consederint, antequam a te alveo includantur, non magis tuæ esse intelliguntur, quam volucres quæ in tua arbore nidum fecerint: ideoque si alius eas incluserit, is earum dominus erit. . . . . Examen quod ex alveo tuo evolaverit, eousque tuum esse intelligitur, donec in conspectu tuo est . . . . alioquin occupantis fit" (*b*). Quod attinet vero ad apes sylvestres quidam ex nostris jurisperitis tenent (*c*) dominium conditionale in iis haberi posse *ratione soli*, quam doctrinam deducunt ex Stat. Charta de Foresta dicto (*d*), quo jus vindicatur omnium hominum liberorum ad mel quod in eorum sylvis invenitur. Sed quicquid sit, hæc præscripta de apibus sylvestribus in desuetudinem omnino abierunt, et earum mel quod in sylvis aut in agris invenitur certe ad primum occupantem pertinet. Attamen "plane integra re, si provideris (alium) ingredientem in fundum tuum potes eum jure prohibere ne ingrediatur" (*e*). Quod dictum est de apibus quæ ex alicujus alvario evaserint, nempe eorum dominium non amitti quamdiu dominus eos videt et prosequitur, etiam de aliis animalibus feræ naturæ quæ hominis dominio per industriam subjiciuntur intelligendum est; eorum enim dominus suo dominio non privatur etsi e septo suo evaserint, si eos statim prosequitur. Si autem ea non comprehendat, naturalem libertatem recuperant, et fiunt primi oc-

(*a*) Inst. 2. 1. § 15. (*b*) Ibid. § 14. (*c*) Cf. Steph. vol. 2. p. 6.
(*d*) 9 Hen. III., c. 13. (*e*) Justinian. ibid.

cupantis. Potest autem quis dominium non solum earum animalium ferarum quæ solent ab hominibus mansuefieri per industriam acquirere, sed et cujuscumque alterius animalis feræ naturæ, ut leonis, tigris, elephantis, &c., quæ omnia ipsi pertinent quamdiu ea in loco ex quo evadere nequeunt custodit.

628. 2. Ex præscripto Stat. citati (*a*), potest quis habere dominium aliquod imperfectum animalium feræ naturæ *propter impotentiam*. Hoc fit quando accipitres, ardeæ, aliæve aves in cujuspiam agris aut arboribus nidificant, et pullos ex ovis excludunt, aut cuniculi aliave animalia cubilia in cujuspiam agris faciunt, et sobolem procreant; tunc enim quæ procreata sunt pertinent ad dominum agrorum propter impotentiam donec evadere possint. 3. Potest quis ex præscripto juris municip. dominium aliquod conditionale habere in animalibus feræ naturæ propter privilegium. Hanc materiam jam exposuimus (*b*), ubi diximus hoc præscriptum pura juris fictione niti. Nemo enim dominium ullum habere potest animalium feræ naturæ quæ naturali potiuntur libertate, neque quis propter ipsius animalis occupationem ad restitutionem teneri possit. Quatenus autem injustitiæ reus sit qui agros alienos, domino nolente, ingreditur, et animalia fera ibi inventa appropriat, statim dicetur. De alia autem quæstione, quatenus, nempe, is qui partem suorum agrorum seponat ut ibi congregentur animalia apta ad venandum aut aucupandum, jus habeat strictum ne alius quispiam, ipso nolente, animalia fera ibi occupet, aut inde arceat, ad materiam de restitutione pertinet (*c*). Idem fere dicendum est de titulo propter impotentiam; si enim dominus agrorum nullam curam adhibuerit, ut aves in suis agris pullos excluderent, non apparet quo titulo pulli quorum forsan existentiam omnino ignorat, sibi vindicare posset. Alia autem quæstio est quatenus cuipiam licitum sit agros alienos ingredi, et pullos, domino agrorum nolente, inde auferre. Certum est dominum agrorum alienum prohibere posse, ne agros suos ingrediatur ad hæc auferenda. Insuper qui hæc aufert, nolente aut nesciente domino, semper in jure municip. offensæ [*of a trespass*], et aliquando etiam felonie reus habetur, et pœnæ obnoxius est. Sed ad restitutionem faciendam propter animalia feræ naturæ quæ illicite abstulerit, non obligatur.

629 Hoc autem intercedit discrimen inter animalia feræ naturæ quæ cujuspiam dominio subjiciuntur, eo quod in loco unde evadere nequeunt detinentur, et ea quæ domino pertinent

(*a*) Charta de Foresta. (*b*) Cf. supra, nn. 433 434.
(*c*) Sed cf. infra, n. 635, ubi hoc exponitur.

quia consuetudinem revertendi retinent; quod in primo casu si eorum dominus statum hereditarium possideat, et status *jure hereditario* transmittatur, animalia simul cum statu ad heredem descendent; in secundo vero casu ad testamenti exsecutorem aut ad administratorem pertinebunt. Actio intendi possit ei qui aut detinet, aut lædit, aut occidit, animal feræ naturæ quæ cuipiam titulo dominii pertinet. Crimen feloniæ est furari animalia feræ naturæ quæ aut in septo detinentur ubi eorum dominus ea capere possit quandocumque vult, aut quæ a fure mansuefacta esse cognoscuntur; quando pro cibo aut alio commodo prodesse possunt. Furtum etiam animalis feræ naturæ quæ solius voluptatis causa habetur, ut ursæ, canis, felis, psittaci et avis canoræ quamvis felonia non sit, graviter multa et incarceratione punitur.

630. De animalibus feræ naturæ quæ naturali potiuntur libertate, sic habet Justinianus (*a*): "Feræ igitur bestiæ et volucres et pisces, id est omnia animalia quæ in terra, mari, cælo nascuntur, simul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt: quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Nec interest feras bestias et volucres, utrum in suo fundo quisque capiat, aut in alieno: plane qui in alienum fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia, potest a domino, si is providerit, prohiberi ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis, eousque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur; cum vero evaserit custodiam tuam et in naturalem libertatem se receperit, tuum esse desinit, et rursus occupantis fit; naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus prosecutio. Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, ut capi possit, statim tua esse intelligatur. Quibusdam placuit statim tuam esse, et eousque tuam videri donec eam persequeris; quod si desieris persequi, desinere tuam esse, et rursus fieri occupantis; alii non aliter putaverunt tuam esse quam si eam ceperis. Sed posteriorem sententiam nos confirmamus, quia multa accidere solent ut eam non capias." His omnino consona sunt juris nostri præscripta.

631. Jure naturali animalia feræ naturæ quæ naturali gaudent libertate fiunt primi occupantis, nisi in aliquibus casibus hoc jus a jure municip. ob causam rationabilem restringatur. Jam vidimus regem jure potiri ad balenas et acipenseres, quod tamen jus nunquam exigitur; et fictione juris, dominium aliquod in quibusdam animalibus in certis et definitis locis concessum

(*a*) Loc. cit. § 12 et 13.

esse iis qui privilegio habendi Forestam, Chaceam aut Warennam potiuntur. Alia restrictio respicit animalia quæ venationis causa conservantur. Hæc animalia venatio [*game*] appellantur. His animalibus exceptis, unusquisque occupare et appropriare potest animalia feræ naturæ quæ in propriis agris inveniuntur. Ille vero qui agros aliquos (non tamen in breve tantum tempus) possidet, jure potitur occidendi in suis agris animalia quæ venationis causa conservantur; sed necessarium est ut singulis annis vectigal solvat et licentiam obtineat. Potest etiam quis aliis facultatem concedere, animalia quæ venationis causa conservantur, in suis agris occidendi. Et nulla licentia necessaria est iis, qui aliquem qui debita licentia munitus est comitantur, ipsumque ad animalia prædicta occidenda adjuvant. Animalia quæ variis statutis nomine venationis conservantur sunt lepores, phasiani, perdrices, tetraones, fulices [*moor game*], tetrices [*black game*], otides [*bustards*], cervi, scolopaces [*woodcocks*], gallinagones [*snipe*], et cuniculi. Oves etiam phasianorum, perdricum, tetraonum, fulicum, et tetricum nomine venationis conservantur. Quicumque vero possidet agros, nisi aliter conventum fuerit, lepores in iis inventos occidere potest, nulla licentia obtenta; et nulla licentia requiritur ut lepores canibus vestigatoribus aut vertagis occidantur. Nisi tamen aliquis locus seponatur ad animalia hæc conservanda, et cujus quasi fructus hæc animalia respici possunt, hæc præscripta juris municip. sunt pure pœnalia, et qui occidit animalia prædicta in propriis agris, aut in campo aperto, sine licentia minime ad restitutionem tenetur. Et revera præscripta prædicta nullatenus respiciunt dominium animalis, sed solummodo ordinantur ad ea animalia conservanda quæ venationi aut aucupationi inserviunt.

632. Præscripta vero juris municip. quæ respiciunt acquisitionem dominii animalium feræ naturæ per occupationem hæc sunt. Si quis animalia feræ naturæ in suis agris occupet, etiamsi venationis nomine designentur, quamvis is jure talia animalia occidendi non potiatur, dominio animalis nulla lege privatur, quamvis ipse propter transgressionem legis judicio prosequi posset. Si quis vero animal excitet in agris suis idque in agris alienis occidat, ad occupantem pertinet. Si autem id excitet et occidat in agris alienis, ad dominum agrorum pertinet. Si Petrus vero animal excitet in agris Pauli idque occidat in agris Caii, quamvis Petrus jus tum Pauli tum Caii violavit, eorum agros ipsis nolentibus ingrediendo, attamen animal occisum ad ipsum pertinet. Si autem fera excitata fuerit a Petro in Foresta, aut Chacea, aut libera Warrenna Pauli, et extra ejus libertatem occisa sit, adhuc

ad Paulem pertinet. Itaque fera capta pertinet ad primum occupantem duobus casibus exceptis : 1. quando in alienis agris et excitata et occisa fuerit ; et 2. quando ratione libertatis regiæ is in cujus foresta, &c., excitata fuerit, jam dominio conditionato in feram potitus sit.

633. Sed revera feræ quæ libertate naturali potiuntur ad eum pertinent, a quo capiuntur ; quia, utpote nullius, pertinent ad primum occupantem. Potest quidem hoc jus naturale ita restringi a jure municipali ut in quibusdam casibus fera non pertineret ad occupantem, sed apud nos non ita restringitur, et proinde qui animalia fera occupat contra præscripta legis, in multis casibus pœnis obnoxius est, sed restitutionem facere ob feram illicite occupatam nunquam adstringitur. Potest tamen dominus agrorum, ex præscripto legum, feram in suis agris illicite occisam a prædone auferre, quia lex non permittit prædonem acquirere jus absolutum ad feram, sed solummodo conditionale ; et si dominus agrorum probare possit feram in suis agris illegitime captam, vel occisam fuisse, eam a prædone, ubicumque inventa fuerit, vindicare potest. Unde si quis laqueum illegitime posuerit in agris alienis, is quidem injustitiæ reus non est feram ibi captam appropriando. Si vero dominus agrorum invenerit bestiam laqueo captam potest eam vindicare, et si viderit prædonem feram auferentem, potest eum etiam extra agros prosequi, et si eum comprehenderit, feramque exegerit, non possit prædo resistere, sed tenetur feram ipsi tradere. Similiter non potest prædo ferarum rei ferinæ magistro [*gamekeeper*] resistere, etiamsi eum prosequatur ut propter transgressionem legis puniatur, quia rei ferinæ magister jus habet eum etiam in hunc finem prosequendi. Itaque sola fuga prædoni permittitur.

634. De fera ab uno vulnerata et ab alio occisa sic distinguendum est ; si fera ita vulnerata sit ut evadere nequeat, et is qui eam vulneraverit prosequatur cum morali certitudine eam capiendi, ad eum pertinet. Si vero eam prosequi desierit quia difficilius judicet eam assequi, aut quia ignoraverit ubinam fugerit, aut quia noluerit eam ulterius prosequi, ut nullius habenda erit, et ad primum occupantem pertinebit. Item si ita vulnerata non fuerit ut evadere non possit, adhuc in libertate naturali remanere censebitur, et proinde ad primum occupantem pertinebit. Ex his resolvi potest ad quem pertineat fera quæ capta est a Julio in laqueo a Caio posito. Tunc enim Caius laqueum posuit aut in fundo suo, aut in loco communi, aut in fundo Julii. Si laqueum posuerit in fundo suo, sive fera ita capta sit ut se extricare non possit sive non, quamdiu spes existit quod fera a Caio capiatur, non po-

test a Julio aut ab aliquo alio occupari, quia jus strictum habet Caius ut nemo eum spe feram in suo laqueo et in suo fundo posito, capiendi privet. Si autem laqueum posuerit in loco communi, plerumque dicunt, si fera ita capta sit ut se extricare non possit, ad Caium pertinet; si autem extricare se possit a Julio appropriari potest titulo occupationis. Sed hoc non admitteremus, nisi moraliter certum esset, feram evasuram antequam ab ipso Caio apprehenderetur. Fieri enim posset ut Caius brevi veniret et feram caperet, et jus strictum habet ne quis eum hac spe privet. Denique si laqueum posuerit in fundo Julii, jam vidimus Julium feram occupare posse. De alio autem qui feram ibi inveniat, ratiocinandum est eodem modo ac si laqueus in loco communi positus fuisset.

635. Diximus sæpius venationem aut aucupationem in agris alienis, aut piscationem in aquis alienis, non esse injustam, modo aquæ aut agri in hunc finem ab eorum dominis specialiter non conserventur. Potest enim quis locare pro pecuniæ summa jus venationis in suo fundo aut piscationis in suis aquis. Et quamvis ex dictis qui venatur in agris alienis aut piscatur in aquis alienis non teneatur ad restitutionem pro ipsis animalibus aut piscibus captis, attamen si propter ejus illicitam venationem aut piscationem, pretium minuatur, aut dominus lucro aut emolumento quod ex piscatione aut venatione percipere debet privetur, is qui ejus jus sic invadit ad restitutionem tenetur. Sed etiam in casibus in quibus aquæ ad conservationem piscium aut ferarum sepositæ fuerint, si animalia non ita teneantur ut a domino aquæ aut sylvæ moraliter certo capi possunt, libertate naturali gaudere censetur, neque in his circumstantiis propter ipsos pisces aut fera animalia quæ appropriat, sed solummodo propter injuriam, is qui illicite hæc loca invadit, ad restitutionem tenetur.

Punctum secundum.—De rebus in bello captis.

636. Aliquando bona hostis alieni fiunt primi occupantis. Hoc obtinet, solummodo in uno casu ex præscripto juris municip., nempe quando bona in regnum tempore belli invehuntur ab hoste alieno, qui neque fidem publicam, neque syngraphum [*a passport*] acceperit. Bona autem alieni qui sedem in nostra republica habuerit antequam bellum indictum fuerit contra regnum cujus is subditus est, jure occupationis arripi non possunt; et jus actionem intendendi ob contractus cum alienis tempore pacis initos, moto bello inter eorum nostramque rempublicam, non aufertur, sed solummodo usque ad finem belli suspenditur. Itaque bona hostium alienorum, nonnisi auctoritate publica occupari possunt; et

hoc præscriptum juri naturali consonum est. Quando vero bona ab hoste alieno terrâ legaliter capta sint, quamvis hostes hæc bona ab aliquo nostræ reipublicæ cive antehac ceperint, attamen ab occupante vindicari possunt; modo tamen civis a quo ab hostibus arrepta erant, ante solis occasum die quo occupata erant, ea non postulaverit. Sed navis aut alia bona quæ ab hoste alieno mari arripiuntur, ad occupantem plene non pertinent, nisi ut præmium ob certamen debitum a tribunali cui hæc negotia demandantur condemnata eique adjudicata fuerint. Si autem navis aliave bona quæ ab hoste mari capta sint, antehac ab aliquo nostræ reipublicæ cive arrepta fuerint, ipse hæc semper vindicare possit, soluto pretio quod ei adjudicabitur qui hæc ab hoste recuperaverit. Sed cives reipublicæ quæ neutri parti se adjungit, eorum bona quæ in navibus hostium inveniuntur vindicare non possunt, hoc enim viam fraudibus aperiret. Aliquando vero tempore belli vel literæ conceduntur ab iis qui toti officio maritimo præponuntur [*the Lords of the Admiralty*], vel pronunciatio a rege in concilio suo interiori facta est, unde facultas mercatoribus, aliisque civibus conceditur naves armatas construendi ad hostes deprædandos. Hæ literæ [*letters of marque*] appellantur. Naves et bona his navibus ab hostibus capta, postquam, tamen, ut præmium ob certamen debitum modo supra exposito condemnata fuerint, inter dominos navium ex una parte, ex navarchum et nautas ex altera dividi jubentur. Sine dubio respublica hanc facultatem tempore belli concedere possit; si autem cives privati sine hac facultate naves bellicas construerent hostesque aggrederentur, ab hostibus ut privati haberi et puniri possent; quamvis ex præscripto juris nostri, naves et bona ex hostibus sic capta, hostibus non restituuntur, sed regi adjudicantur. Hic modus agendi ex parte reipublicæ necessario supponit facultatem tempore belli a suprema potestate omnibus civibus concessam esse, naves hostium bonaque in iis inventa arripiendi, ea tamen conditione ut nisi specialem facultatem ad hoc efficiendum obtinuerint, bona capta ab ipsa republica vindicari possunt. Sed quamquam tale præscriptum, solo jure naturali spectato, injustum non est, attamen omnino conveniens esset, ut per pacta inter varias gentes inita, hæc jura ad humanitatem atque mansuetudinem revocarentur, ita ut nemini, nisi speciali reipublicæ auctoritate muniretur, naves aut bona hostium arripere liceret.

637. Olim, quando cives unius reipublicæ injuriam in alterius reipublicæ cives intulissent, et damnum reparare recusassent, literæ magno sigillo munitæ, etiam tempore pacis a republica cujus cives damna passi essent, iis concessæ erant, quibus cor-

pora et bona civium reipublicæ infensæ arripi potuerint, donec reparatio damni obtenta esset. Sed hic modus concedendi hujusmodi literas jam a longo tempore in desuetudinem abiit, et quamvis possit quis suprema auctoritate munitus hoc modo sine injustitia reparationem injuriarum exigere, attamen ipsas respublicas fere semper in arma instigat, et longe magis humaniter hæc jura ab ipsa republica per se vindicarentur. In bello justo potest respublica bona hostium occupare, tum ad damna injuste illata resarcienda, tum ad compensationem impensarum quas fecerit obtinendam, tum etiam ad injustam aggressionem puniendam, et ad hostes ab injusta invasione deterrendos; aliter enim neque seipsam, neque vitas et bona civium suorum defendere posset, neque ipsum finem propter quem societas civilis instituta est attingere. Sed de bello, ubi de restitutione, agetur.

638. Ex dictis constat dominium rerum quæ in bello capiuntur non acquiri mero titulo occupationis, sed jure supremæ potestatis reipublicæ, quæ ob justam causam hæc bona, ut sibi aut suis civibus qui ea occupant debita, vindicare potest. Potestas autem bona hostium in bello justo titulo occupationis obtinendi, a republica ordinarie solis belli ducibus conceditur. Et nunc saltem neque singulis militibus, neque ducibus etiam inferioribus, extra casum necessitatis, conceditur facultas bona hostium deripiendi, exceptis iis quæ in ipso loco pugnæ inveniuntur. E contra milites et duces inferiores plerumque deprædari ita stricte prohibentur, ut violatio hujus mandati etiam morte puniatur. In his casibus manifestum est, milites bona hostium deprædantes, injuste agere, et ad restitutionem teneri.

Punctum tertium.—De titulo accessionis.

639. Doctrina circa dominium bonorum quæ accessione acquiruntur, secundum jurisperitos occupatione nititur (*a*). A theologis (*b*) magis accurate definitur, esse titulus quo dominus rei principalis dominium acquirit earum rerum quæ a re principali aut naturaliter producuntur, aut artificiose ei adjunguntur. Nititur itaque hic titulus principio quod "accessorium sequitur principale," potiusquam jure occupationis. A re principali naturaliter producuntur fructus terræ quæ sponte nascuntur, ut lignum in sylvis, fenum et gramen in agris, quando tamen hæc sine industria humana producuntur, et partus animalium. Rei principali aliquid artificiose adjicitur, quando quis v. g. in telo

(*a*) Cf. Steph. vol. 2. p. 22. (*b*) Cf. Carriere, tom. 1. n. 369.

alieno pinxerit, aut pannum alienum auro distinxerit. Plura autem sunt accessoria quæ partim naturaliter, et partim industria a re principali producuntur. Hujusmodi sunt segetes. Ex præscriptis juris nostri, partus sequitur ventrem, et proinde ad dominum matricis pertinet. Partus autem cygnorum inter dominum maris et feminæ æqualiter dividendi sunt. Fructus quæ a re principali aut naturaliter aut partim naturaliter et partim industria producuntur, secluso pacto, ex juris com. præscripto, ad dominum rei principalis pertinebant. Sed hoc præscriptum nunc nonnisi fructus naturales respicit. Præscripta juris municip. circa fructus mixtos, quæ nunc vigent, supra n. 335 exposuimus. Quod attinet vero ad ea quæ rei principali artificiose adjiciuntur, vel species mutata est, vel non. Si species non est mutata, ut si quis in telo alieno pinxerit, aut pannum alienum auro distinxerit, aut vasa ex ligno aut auro alieno fabrefecerit, hæc omnia in eorum meliori conditione ad dominum rei principalis pertinent. Attamen si is qui opera sua in his rebus conficiendis impensus sit, bona fide egerit, ut si rem suam fuisse bona fide judicaverit, sane dominus rei pro labore compensare tenetur in quantum inde res majoris pretii efficitur. Si vero species rei immutata sit, ut si Caius ex uvis, olivis, aut tritico Julii, vinum, oleum, aut, farinam, conficiat, hæc omnia ad Caium pertinent, qui tamen pretium uvarum, olivarum, aut tritici, Julio solvere tenetur.

Punctum quartum.—De titulo confusionis et commixtionis.

640. Quamvis ad titulum occupationis a jurisperitis nostris (*a*) revocatur jus quod ex confusione et commixtione bonorum oritur, attamen, ut ex dicendis patebit, vix ullum jus ex præscriptis legis nostri, ratione occupationis, his titulis conceditur. Vel enim confusio fit mutuo consensu vel non. Si confusio facta fuerit mutuo consensu, unusquisque jus habet ad proportionem pro rata accipiendam. Si autem confusio bonorum Caii et Julii facta sit scienter a solo Caio, Julio nesciente aut nolente, vel res adhuc separari possunt, ut v. g. in confusione supellectilis, vel non. In priori casu unusquisque jus habet ad bona sua; in posteriori casu si res probari possunt fuisse ejusdem speciei et bonitatis, et quantitas a Caio collata cognita sit, adhuc jus habet ad proportionem pro rata accipiendam. Si autem Caius scienter frumentum aut fenum suum cum frumento aut feno Julii miscuerit, aut aurum

(*a*) Cf Steph. loc. cit. p. 24.

in catinum [*smelting-pot*] Julii, eo nolente aut nesciente, injecerit, nisi qualitas et quantitas rerum quas Caius cum rebus Julii miscuerit probari possint, hic jure municip. nihil vindicare potest. Et idem dicendum est si res confusæ diversæ sint speciei, ut si Caius aurum injecerit in catinum in quo Julius argentum suum liquefecerit. Et hæc rite præscribuntur, quia juste præsumitur Caium fraudulenter egisse, et proinde lex ei recusat facultatem actionem Caio intendendi. Si vero Julius bona fide egerit Caius sine dubio restituere tenetur proportionem quam *certo* cognoscit Julio debitam esse; sed non tenetur restituere in dubio, quia melior est conditio possidentis. Et idem putamus dicendum esse, etsi Julius mala fide egerit; quia lex non vult dominium ad Caium transferre, sed solummodo actionem ob periculum fraudis Julio recusare.

Punctum quintum.—De bonis inventis.

641. Bona quæ inveniri possunt quadruplicis sunt generis, nempe thesauri, bona nuper amissa, bona derelicta, et bona vacantia. Thesaurus ex jure municip. est depositum pecuniæ, auri, argenti, aut vasorum aureorum aut argenteorum, in terra aut in alio loco secreto absconditum, cujus dominus inveniri non potest. Res amissæ sunt eæ quæ a domino involuntarie deperduntur. Bona derelicta sunt ea quæ dominus abjecerit, animo ea non amplius habendi. Bona vacantia secundum jurisperitos (*a*) complectuntur omnia bona quorum dominus aut non existit aut inveniri non possit, et hoc sensu thesauri, bona nuper amissa, et derelicta, et in naufragio deperdita, inter bona vacantia recenseri debent. Ut autem bona vacantia ab aliis distinguantur, ea dicenda sunt bona quæ ab eo relinquuntur qui nec testamentum confecerit, nec post se aliquem reliquerit cui hæc bona ex præscripto statuti de bonorum distributionibus transmitti debent (*b*). Hæc ultima bona ad regem, seu potius ad rempublicam, pertinere, sup. n. 478, ubi de filiis non legitimis egimus jam diximus. Ibi etiam explicavimus quomodo hæc bona ordinarie disponuntur.

642. Ex præscripto juris nostri omnes thesauri ad regem seu ad rempublicam pertinent, et si inventor eum a rege occultaverit olim capitis pœnæ obnoxius erat. Nunc autem multa et captivitate puniri potest. Sed hæc præscripta non obligant

(*a*) Cf. Steph. vol. 2. p. 558.; cf. etiam sup. n. 503.

(*b*) De hoc statuto agetur in contractibus ubi titulos exsecutoris et administratoris exponemus.

ante sententiam, et nullus inter nos invenitur, quantumvis timoratæ conscientiæ, qui thesaurum a se inventum non sibi appropriaret. Re autem cognita thesaurum regi tradere cogeretur, sed nunc vix alio modo puniretur. Bona derelicta ex præscripto generali juris ad primum pertinent occupantem. Quædam sunt exceptiones quæ vix ullius sunt momenti, et præscripta circa eas non obligant nisi post sententiam. Qui res amissas invenerit, tenetur dominum diligenter inquirere, et eo invento res illius ei tradere. Sed si dominus non compareat, potest inventor ex expresso præscripto juris municip. (*a*) hæc, sibi appropriare, hac tamen conditione, ut ea domino reddat si postea inveniatur Inutile ergo esset investigare ea quæ de thesauris, et de rebus amissis satis fuse a theologis tractantur. Utrum v. g. quis appropriare possit thesaurum in agro alieno inventum? Jure enim naturali probari non potest dominum agri ullum jus ad thesaurum possidere. Aliunde jus municip. potest de thesauro disponere, et sane nullum jus in domino agri agnoscit. Est ergo aut regis aut primi occupantis, et quid inter hos dicendum sit jam exposuimus. Item disputatur utrum res inventæ, domino non invento, dari debeant pauperibus, an appropriari possint ab inventoribus. Sed de his rebus sine dubio jus municip. disponere possit. Dat autem inventori dominium conditionatum in iis rebus, vi cujus ea vindicare potest contra omnes alios præter priorem dominum.

§ 2. *De dominio hominis in proprii ingenii fetus.*

643. Quæstio respicit libros ab aliquo auctore scriptos et artes industriales ab eo inventas. Hæc autem considerari possunt antequam auctor ea in lucem ediderit aut divulgaverit, aut postquam ea foras dederit. Iterum quæstio perpendi potest spectata sola lege naturali, aut habita ratione præscriptorum juris municipalis.

Punctum primum.—De dominio auctorum, spectata sola lege naturali.

644. Spectata sola lege naturali, manifestum est hominem jure potiri ad fructus sui ingenii et laboris. Quamdiu auctor suam inventionem non divulgaverit, jus habet ut ipse solus

(*a*) Cf. Steph. vol. 2. p. 11. "The finder has a special property; defeasible, it is true, upon discovery of the right owner, but in the mean time valid against the rest of the world."

ea utatur, ejusque lucra percipiat; ideoque si Caius v. g., vi vel fraude notitiam inventionis Julii acquisiverit, vel si Julius eam privatim Caio explicaverit, nolens ejus usum ei concedere, et is ea utatur, injustitiæ reus est, et damna quæ inde passus fuerit Julius reparare tenetur. Si vero Julius suam inventionem divulgaverit, ita ut Caius ejus cognitionem licite acquisiverit, quæstio est utrum jus strictum habeat Julius Caium prohibere, ne hac inventione in proprium suum commodum utatur. Nobis omnino dicendum videtur unicuique integrum esse, spectato solo jure naturali, quibuscumque inventionibus in proprium commodum uti, quarum cognitionem mediis justis obtinuerit. Aliter enim si Caius novum aratrum, v. g. excogitaverit, multaque ejusdem generis fecerit et vendiderit, Julius qui unum ex iis emerit, eo fracto, alium in proprium usum et commodum conficere non posset. Neque posset is qui instrumentum in alia regione emerit, alia ejusdem generis in sua regione conficere sine injustitia, solo jure naturali spectato. Sane, enim, nemo privari possit fructibus suæ industriæ qui ipsi jure naturali debentur, quia hos ad alias regiones quis asportaverit. Sed doctrina quæ in prædictis casibus eum qui aratrum aut instrumentum secundum exemplar ab alio excogitatum et divulgatum conficeret injustitiæ condemnaret, nimis rigida est, et contra sensum hominum bonorum et justorum, qui sine scrupulo inventiones industriales aliarum regionum appropriant; et exemplaria invehunt librorum in nostro regno divulgatorum, qui sine consensu auctoris in aliis regionibus typis descripta sunt. Si autem injustum sit librum typis describere et in lucem edere sine consensu auctoris, sine dubio injustum est exemplaria emere; est enim cooperatio cum typographo, in actu auctori damnoso, namque damnum non sequitur ex eo quod liber typis describitur, sed quia venditur et emitur.

645. Præterea quando emo exemplar libri cujuslibet auctoris a bibliopola, nulla conditione imposita, solo jure naturali spectato, hoc exemplar *absolute meum* est, possumque id donare aut vendere alicui qui paratus est aliud exemplar a bibliopola emere. Possum non solum omnes alios sed et ipsum auctorem ab omni usu mei exemplaris excludere, et si id furaretur, furti reus esset. Quoniam ergo hoc exemplar absolute meum est, quomodo probari possit hunc solum usum, nempe alia exemplaria excudendi eaque vendendi, secluso pacto et lege humana, mihi vetitum esse? Deinde si talis lex naturalis existat, obligat in omni loco et tempore, ita ut nolente auctore iisque qui in ejus jura succedant, in nullo loco aut tempore, novum exemplar aut libri aut instrumenti excudere liceret. Sed talis doctrina est contra

communem sensum hominum justorum et piorum. Observandum est quæstionem non respicere ipsa exemplaria quæ opere aut impensis auctoris excusa fuerint; hæc enim omnino pertinent ad dominum donec ea vendiderit aut donaverit; sed ipsas ideas quæ simul ac consentiente auctore palam prolatæ fuerint, utpote usus inexhausti inter res omnibus communes computandæ sunt.

Punctum secundum.—De præscriptis juris municip. circa dominium inventionum industrialium.

646. Quamvis autem, *solo* jure naturali spectato, nullum jus exclusivum inventori artium, quas in publico protulerit competat, attamen rectæ rationi omnino consonum est, ut jus aliquod proprium, intra debitos limites circumscriptum, ipsi concederetur. Hoc enim modo cives ad novas artes excogitandas excitarentur, quæ magnopere bonum reipublicæ promovere possint. Deinde in hujusmodi artibus excogitandis multum temporis et magnus labor impenduntur, pro quibus æquum est ut respublica quæ earum commoda et utilitates perceptura est, aliquam compensationem earum inventoribus concederet. Præterea auctor in artibus utilibus a se excogitatis perficiendis, non raro magnas impensas incurrit, et si cives hujusmodi artes et inventiones, in eorum commodum convertere velint, omnino æquum est ut eorum inventori debitam compensationem facere obligarentur. Hæc autem compensatio meliori modo fieri non potest, quam aliquod proprium privilegium circa usum artis aut novi instrumenti ipsi inventori concedendo. Si enim res nullius sit æstimationis, aut si alii ea uti non velint, inventor nihil accipiet; si vero alii eam in proprium eorum commodum convertere velint, æquum est ut inventori compensationem facere tenerentur. Sed hæc non probant quod, spectato solo jure naturali, injustus is esset qui uteretur arte ab alio inventa, etiam ipso nolente, si ipse inventor eam in publicum protulisset; sed solummodo legem humanam quæ compensationem inventori concederet æquitati naturali omnino consonam esse. Itaque considerandum est quid circa hanc materiam a lege municip. statutum sit; et quoniam lex hujusmodi nonnisi in republica in qua condita sit *per se* obligat, ideo obstare nequit ne hæc ars in aliam rempublicam, etiam sine ulla compensatione aut consensu inventoris, introducatur. Dixi, *per se* loquendo; posset enim alia respublica inventori artis idem privilegium concedere quo in propria potitur.

647. Ipsum nomen quo designantur privilegia quæ novarum artium inventoribus conceduntur, ostendit ea censeri apud nos

ex solius legis municip. præscripto derivari. Hoc enim jus *patent-right* dicitur, quia per *literas patentes*, (id est quæ ab omnibus videri possunt) sigillo magno munitas, a rege, non ex debito justitiæ, sed ex gratia et favore conceditur. Attamen in debitis circumstantiis nunquam recusatur. Privilegium in hoc consistit, quod inventori novi operis manufacti [*new manufacture*] conceditur in spatium non excedens ad summum quatuordecim annos, jus exclusivum instrumenta secundum exemplar a se inventum conficiendi. In regno Elizabethæ reginæ privilegium regium ex quo principes eorum familiaribus jus exclusivum negotiandi in quibusdam mercium generibus concedebant, ita ultra limites consuetos extensum est, ut fere everterentur mercaturæ totius regni. Hinc in regno ejus successoris Jacobi I. statutum contra monopolia (*a*) conditum est, quo declaratur esse omnino contra leges regni ulla monopolia concedere; excepto tamen privilegio in gratiam inventorum novorum operum manufactorum. Ut autem concedi posset privilegium requiritur: 1. ut ipsa inventio sit aliquod opus manufactum [*a manufacture*]. Sed non requiritur ut res ab inventore excogitata *actu confecta* fuerit, ut privilegium illud obtineri posset. Ad hoc sufficit ut ipsa idea operis sit *explicata* et *approbata* modo qui statim indicabitur; 2. requiritur ut opus manufactum sit *novum intra fines* Angliæ, Hiberniæ, et Scotiæ. Si enim eodem instrumento alii usi sint eo tempore quo privilegium concessum est, conessio erit irrita. Sed usus rei in alienis regionibus non impedit quin privilegium concedatur ei a quo primo in hæc regna introducta fuerit. Neque etiam necessarium est ut res tota sit nunc primum aut excogitata aut introducta, sufficit si sit nova melioratio [*a new improvement*] rei jam cognitæ; 3. requiritur ut is cui privilegium conceditur *vere* sit *primus* inventor artis, aut is qui eam *primo* in hæc regna introduxerit; si enim quis novum opus secundum ideam ab alio acceptam confecerit, ille alius et non rei fabricator erit primus inventor. 4. Ad obtinendum privilegium libellus supplex regi dari debet, in quo affirmare necesse est inventionem novam esse, et veritas descriptionis per declarationem

(*a*) 21 Jac. I. c. 3. By which monopolies are declared to be "altogether contrary to the laws of this realm, except all letters patent, for the term of fourteen years or under, by which the privilege of sole *working* or *making* any new manufactures within this realm, which others at the time of granting the letters patent shall not use, shall be granted to the true and first inventor thereof; so as they be not contrary to law, nor mischievous to the State, nor to the hurt of trade, nor generally inconvenient."

quæ nunc in locum juramenti substituitur, confirmari debet (*a*). Hic libellus et declaratio apud curatores ad Diplomata et Inventiones examinandas constitutos [*Commissioners of Patents for Inventions*] deponi jubentur, et simul cum libello supplici et declaratione, descriptio temporanea singularum partium [*a provisional specification*] in quo natura Inventionis describitur.

648. His factis inventor ad unum ex jurisconsultis qui quibusdam regiis muneribus præficitur [*a law officer of the Crown*] a curatoribus remittitur, qui aliquem qui in artibus versatur [*a scientific person*] ad eum in re perpendenda adjuvandum advocare potest. Si jurisconsulto videatur inventionem satis esse expositam in descriptione singularum partium, ejusque rei fidem literis fecerit, auctor inventione sua uti posset et in publico divulgare, in spatium sex mensium, salvo ejus jure literas patentes petendi et obtinendi, post hujus temporis lapsum. Et, quamvis hoc non sit necessarium, posset inventor ab initio descriptionem singularum partium non temporarium sed completum apud curatores deponere, quo facto, iisdem gaudebit privilegiis in spatium sex mensium, ac si literæ patentes ipsi concessæ fuissent. Semper descriptio completa singularum partium apud curatores deponenda est, antequam literæ patentes concedantur. In descriptione singularum partium conficienda tria necessario observanda sunt: 1. ut expositio naturæ inventionis cum *titulo* quo inventio designatur, et sub quo privilegium literarum patentium petitur, concordet; 2. ut sit vera et accurata, si enim expositio sit falsa in ulla quacumque gravis momenti materia, vel si includat plura, quorum aliqua sunt nova, alia jam cognita, literæ patentes irritæ efficiuntur. Si ergo in indice res jam cognitæ simul cum novis inventionibus includantur, hæc accurate secerni debent; 3. descriptio debet esse completa, quia ratio eam exigendi est, ut ii omnes quorum interest rem accurate investigare possent, et libello supplici intercedere ne literæ patentes concedantur, si inventio ad quam defendendam petuntur jam cognita sit, aut tam manifesta ut omnibus facile occurreret; tum etiam ut elapso tempore privilegii, omnes cives inventioni uti et frui possent. Descripto ergo talis esse oportet, ut homines ordinariæ peritiæ, inventionem plene intelligere eaque uti possent. Et tribunalia in hac materia ita stricte procedunt, ut si

(*a*) Act relating to oaths, 5 & 6 Wm. IV., c. 62. s. 11. An application for the patent is made by petition to the Crown, the allegations of which are to be supported by a declaration in lieu of oath (made and subscribed by the party), that he is the true and first inventor, and that the invention is not in use in these countries by any other person to the best of his knowledge.

in descriptione plures methodi rem conficiendi designentur, et una insufficiens inveniatur, descriptio imperfecta esse habetur.

649. Quum descriptio completa apud curatores deponitur, inventor eos monere tenetur se intendere literas patentes petere, quæ quidem intentio palum a curatoribus declarabitur [*will be advertised*], et tempus sufficiens ante concessionem literarum concedetur ita ut omnes qui velint petitioni obstare possent. Tempore quod a curatoribus statutum fuerit ad ea audienda quæ contra privilegii concessionem proferri possent jam elapso, ipsa descriptio et rationes contra privilegii concessionem, si quæ prolatæ fuerint, jurisperito qui vice regis in hac materia fungitur, referrentur, a quo, si necessarium judicetur, examen instituetur; et si descriptionem approbaverit, mandatum [*a warrant*]ad literas apertas obsignandas emittet. Mandato obsignato a curatoribus, Summus Cancellarius literas patentes magno sigillo Angliæ, Hiberniæ, et Scotiæ obsignari jubebit, quo facto inventor solus privilegio potietur inventione sua utendi in regnis prædictis, et in insulis freti [*the Channel Islands*], et in insula Monæ, in spatium quatuordecim annorum, vel in aliquod spatium minus; prout in mandato indicabitur. Aliquando privilegium etiam ad colonias extenditur; sed ad hoc efficiendum coloniæ in ipsis literis expresse nominari debent. Literæ patentes etiam postquam concessæ fuerint rescindi possunt, si postea inveniatur indicem imperfectum fuisse, quia clausula in hunc effectum in iis semper inseritur.

650. Olim privilegium extendi non potuit ultra quatuordecim annos sine lege speciali Parlamenti; sed nunc approbantibus viris delectis qui regi sunt a conciliis interioribus [*the Judicial Committee of the Privy Council*], rex alios quatuordecim annos qui prioribus addendi sunt, aut ipsi inventori aut iis quibus jus suum assignaverit concedere potest. Libellus supplex quo prorogationem temporis petitur regi dari necesse est, saltem sex menses ante lapsum termini in literis patentibus designati, et etiam indicium intentionis prorogationem temporis petendi in medium proferendum est [*must be advertised*], ut ii quorum intersit prorogationi obstare possent. Similiter rex nunc, approbantibus prædictis viris delectis, sanare potest quosdam defectus, ob quos literæ patentes quæ bona fide obtentæ sint, irritæ fiunt. Sic si quis literas patentes obtinuerit ob inventionem industrialem revera ab alio excogitatam, sed quam ipse suam bona fide crediderit, sed eo tempore quo literæ patentes concessæ erant, inventio paucis cognita est; aut si error non magni momenti in titulum aut in descriptionem irrepserit; hæc vitia a rege modo explicato sanari possunt.

651. Objecta dominii tum inventorum artium industrialium,

tum auctorum a quibus libri eduntur, sunt res incorporales, quoniam in jure constant, sed objecta horum jurium, nempe instrumenta et libri, sunt res corporales. Sunt etiam bona mobilia, et a jurisperitis (*a*) *catalla incorporalia* appellantur. Jus per literas patentes obtentum aliis aut omnino aut solummodo partim assignari potest; sed quamvis sit res mobilis, assignatio scripto instrumento fieri necesse est, quod etiam nomine auctoris subscribi, ejusque sigillo muniri debet et in acta publica conferri, in libro qui in sede indicis inventorum et auctorum conservatur. [*All assignments and licenses relating to letters patent must be registered in a book directed to be kept at the Specification Office, called "The Register of Proprietors," before the rights of the original grantee or grantees are affected by any such transaction* (15 et 16 Vict., c. 83., s. 35)] (*b*). Hæc omnia servari debent, etiam quando aliqua tantum pars juris assignatur, nisi quod tunc instrumentum abalienationis sigillo muniri non indiget. Si jus per literas patentes concessum inter plures dividatur, libellum supplicem quo extensio temporis petitur, nomine eorum omnium regi dari necesse est. Si jus quod per literas patentes conceditur ab aliquo violetur, inventor ei actionem intendere potest ad compensationem damni obtinendam. In hac actione libellus supplex dari potest judici tribunalis superioris juris com. in quo causa agitur, ad mandatum [*an order*] obtinendum quo invasor juris ab usu inventionis abstinere cogatur, et simul rationem lucrorum quæ ex ejus usu jam perceperit reddere. Quamvis, insuper, nulla actio invasori intenta fuerit, rogatione facta ad curiam æquitatis, mandatum obtineri potest quo invasor juris ab usu inventionis abstinere cogetur, et lucrorum quæ jam perceperit ex ejus usu rationem reddere. Præterea per 5 et 6 Guliel. IV., c. 87, s. 7, si quis sine licentia utatur nomine, aut signo [*stamp*] aut nota illius qui tali nomine, &c., designat res manufactas, ad quæ conficienda ipse jus sibi soli per literas patentes vindicat, invasor, singulis vicibus quibus hæc usurpat, multæ 50 lbb obnoxium se reddit. Si vero inventor actionem intendat non ad hanc multam obtinendam (quia semper multam propter illegitimam nominis, &c., usurpationem obtinere possit), sed ad compensationem obtinendam, quia alter ejus inventione sine licentia usus sit, quamvis nomen inventoris &c., non usurpaverit, poterit reus se defendere aut probando se inventione usum non esse, aut literas patentes esse irritas, vel quia inventio ita obvia sit ut omnibus facile occurreret, vel quia is qui literas obtinuerit non sit primus inventor, vel quia descriptio sit insufficiens.

(*a*) Cf. Steph. vol. 2. p. 9. (*b*) Cf. Steph. ibid. p. 31. n.

652. Claritatis causa hæc præscripta lingua Anglicana referemus: "If a patent right be infringed, the author may bring an action to recover damages for the injury, and in this action he may obtain an order to restrain the wrongdoer from the further use of the invention, and to account for the profits received; or, without resorting to an action, by application to a court of equity. In addition to which, it is provided by 5 & 6 Wm. IV., c. 83, s. 7, that if any person shall, without license, use the name, stamp, or mark of the patentee, he shall for every such offence forfeit the sum of £50. A proceeding for infringement only (and not for recovery of this penalty), may, however, be successfully resisted, either on the ground that no infringement has in fact taken place, or that the patent is void; and such invalidity may be established either by showing that the article was not a fit subject for a patent, or that the patentee was not the first inventor, or that the specification was insufficient. Nor is this the only method of defeating claims founded on an illegal grant of patent right; for whether there be any complaint of infringement or not, it is competent to the Queen (or to any subject of the realm in the Queen's name by leave of the Attorney-General) to institute a proceeding called *scire facias* for the formal impeachment of the patent; by the effect of which (if found open to any of the objections above enumerated, or to any other sufficient exception in point of law), it will be cancelled"](*a*). Et quamvis, ut supra diximus, quidam defectus qui in literis patentibus inveniuntur a Rege sanari possunt, attamen hæc sanatio per modum excusationis afferri non potest in actione quæ intendatur antequam sanatio concessa fuerit. Propter opportunitatem quæ conceditur cuilibet literas patentes impugnandi, et propter cupiditatem multorum hominum qui clanculum utuntur iis rebus quæ eorum inventoribus solis, per literas patentes vindicantur; non raro accidit ut is qui obtinuerit literas patentes et ipsas literas contra injustos impugnationes defendere cogatur, et cum multis incommodis ad tribunalia recurrere ad eos cohibendos qui ejus jura invaserint.

653. Jamvero certum est: 1. eos qui scienter et injuste impugnant literas patentes, damna quæ inde patitur auctor reparare teneri. Certum est: 2. hanc legem obligare saltem post sententiam. Liquet enim ex dictis legem qua jus soli inventori vindicatur, inventione sua in certum tempus utendi, æquitati naturali omnino consonam esse. Quando ergo mandatum [*an injunction*] ab aliquo tribunali obtinetur, quo Julius v. g. jubetur a violatione juris quod Caio per literas patentes vindicatur, aut damna quæ passus est Caius ob sui juris violationem reparare,

(*a*) Steph. lib. 2. p. 2. c. 3.; vol 2. p. 32. et 33.

aut utrumque facere, sine dubio Caius in foro etiam conscientiæ hæc facere tenetur. Tota quæstio est an hæc lex obliget etiam ante sententiam? Nobis videtur legem esse partim obligatoriam ante sententiam, et partim pœnalem. Obligatoria est ante sententiam quatenus soli inventori vindicat jus re sua in certum tempus utendi, jubetque hujus juris transgressorem damna quæ inde passus est inventor reparare; pœnalis est quatenus præter hanc compensationem multam 50 lbb. in transgressorem imponit. Utraque pars constat ex sensu hominum justorum et in his rebus peritorum. Omnibus enim damnis reparatis, nemo solutionem multæ ante sententiam exigeret. Altera vero pars etiam certa videtur. Per literas enim patentes inventori conceditur privilegium res a se confectas nomine, aut nota, aut signo speciali, designandi; neque potest quis fere jus ejus violare nisi ejus nomen, aut notam, aut signum usurpando, et tabulas corrumpendo. Si autem inventor inde damnum patiatur, falsarium ad restitutionem teneri vix dubitari possit. Insuper falsarii non raro violant justitiam erga emptores, quibus res suas fucatas et viliores pretio justo majori, sub nomine aut nota alterius vendunt. Et hoc etiam admittendum est de libro in lucem edito. Si enim Caius librum foras daret nomine Julii, unde Julius damnum pateretur, sine dubio si hoc, Julio invito, fecerit, injustitiæ reus foret, et ad restitutionem teneretur. Sed alia omnino quæstio est an violaret justitiam, si solummodo nova conficeret exemplaria ipsius Julii operis jam foras dati, eaque venderet.

Punctum tertium.—De dominio auctorum ex præscripto juris municip.

654. Jure com. auctor solus iique qui in ejus jura successerint, ex sententia judicum (*a*) jure perpetuo ejus librum foras emittendi potiti sunt. Jus illud *copy-right* appellatur, quia soli auctori jus reservatum est primum exemplar multiplicandi et copiam ejusdem faciendi. Nunc autem per 5 et 6 Vict. c. 45, jus typis exscribendi, aut ullo alio modo multiplicandi exemplaria cujusvis libri (*b*) conceditur soli auctori aut iis quibus jus suum assignaverit in vitam suam, et in septem annos post ejus mortem,

(*a*) Cf. Steph. vol. 2. p. 35.

(*b*) Verbum *book* in 2. sec. Stat. definitur: "Every volume, part, or division of a volume, pamphlet, sheet of letter press, sheet of music, map, chart, or plan, separately published." An injunction may be obtained to prevent *copying* of matter from a book, the copyright as to which has not expired, into another publication. Verbum *copyright* in Stat. definitur: "The sole and exclusive liberty of printing or otherwise multiplying copies of any subject to which the word is applied."

modo totum tempus postquam liber primo in lucem emissus fuerit duo et quadraginta annos compleverit; sin minus, jus perseverabit post mortem auctoris donec annus quadragesimus secundus completus fuerit. Idem spatium conceditur quando liber nonnisi post mortem auctoris in lucem emittitur; et jus eum in lucem emittendi ei adjudicatur, cui auctor sua manuscripta legaverit. Jus hoc expresse declaratur esse personale, et ejus assignatio sigillo muniri non indiget, quod necessarium esse diximus quando assignatur jus quod per literas patentes confertur; nam assignatio juris auctoris solummodo requirit ut in librum indicis apud Aulam Chartariorum [*the Book of Registry at Stationers' Hall*] Londini referatur.

655. Nulla actio ex parte auctoris necessaria est ad jus suum in librum quem in lucem emiserit, in prædictum tempus stabiliendum; sed actionem ad jus suum vindicandum intendere nequit, donec ipse auctor, aut quivis alius cui jus suum transtulerit, titulum ejus cui dominium libri pertinet in libro indicis apud Aulum Chartariorum retulerit. Itaque tenetur librum vindicare, aut ut sui ingenii fetus, aut ut donatione, emptione aliove titulo legali acquisitum, suumque titulum in libro indicis referre. Non necessarium est nomen auctoris declarare, sed solummodo ejus nomen et titulum qui dominium libri vindicat. Actio quæ a domino libri intenditur ad jus suum vindicandum, necessario institui debet intra annum a tempore quo cognoverit jus suum violatum esse; et curiæ tum juris com. tum æquitatis mandatum [*an injunction*] concedent, ad restringendum quemquam qui librum typis exscribere, eumque in lucem emittere, sine consensu domini, attentet. Dominus libri restringere non potest cives alienæ reipublicæ, ne librum suum typis exscribant, ejusque exemplaria multiplicent et vendant, nisi conventio in hunc effectum inter hanc rempublicam nostramque inita sit. Sed actio cuiquam intendi possit, qui hæc exemplaria in nostram rempublicam importet, aut vendat, aut venditionis aut locationis causa exponat, aut alios ad hæc facienda moveat. Exemplaria librorum quæ illicite ex alienis regnis importantur a quovis tributi exactore [*by any officer of the customs or excise*] arripi possent, et qui ea important se pœnis obnoxios reddunt (*a*).

656. Disputatur utrum privilegium quod auctoribus conceditur complectatur etiam prælectiones viva voce traditas; an in-

(*a*) Verba Stat. sunt: "An action may be brought within the British dominions against any person for printing any book in which copyright exists, for sale, hire, or exportation; or for importing, selling, publishing, or exposing for sale or hire, or causing to be imported, sold, published, or exposed for sale or ire, any such book."

tegrum sit auditoribus eas in lucem emittere. Asserit Carriere (*a*) eum veri furti reum fore, qui typis ederet prælectiones, etiam publicas, cujusvis professoris, vel oratoris concionem: "aliud enim," ait, est "quod quis publice doceat, aut concionetur, aliud quod opus suum alteri transmittat edendum. Ita in Anglia per legem specialem sancitum fuit die 9 Sept. 1835." Si tale latum fuisset statutum, inutile esset de præscriptis juris com. disputare. Sed stat. quod profert Carriere 5 et 6 Guilel. IV., c. 65, nullomodo omnes complectitur prælectiones. Excludit enim omnes prælectiones in aliqua universitate literaria, aut collegio, aut schola publica, aut ratione alicujus doni, emolumenti, aut instituti [*foundation*], habitas. Hæ omnes adhuc præscriptis legis com. reguntur, et minime certum est earum auctorem jure potiri ut eo invito ne edantur. Jus vero typis exscribendi et in lucem edendi alias prælectiones earum auctori prædicto stat. vindicatur, dummodo tamen prælector duobus magistratibus qui habitant non longius quam quinque millia a loco in quo prælectio habenda est, suam intentionem talem prælectionem habendi significaverit. Hoc indicium faciendum est saltem biduum ante prælectionis pronuntiationem.

657. Variis etiam statutis recentioribus jura auctorum vindicantur circa compositiones scenicas, et canticas, quarum auctores jure proprio potiuntur eas in scenam producendi. Auctores vero tabularum, sculpturarum, figurarum ligno aut ære incisarum, photographorum, et aliarum hujusmodi rerum, jure proprio potiuntur ad hæc omnia edenda in spatium temporis quod circa res aliquas ad novem menses coarctatur, circa alias ad tres annos extenditur, dummodo in indicem referantur secundum præscripta variorum Stat. quibus hæc jura conceduntur (*b*).

658. Nunc autem per 7 et 8 Vict., c. 12, et 15 et 16 Vict., c. 12, potest rex per mandatum [*an order*] in suo concilio domestico datum, eadem privilegia concedere auctoribus quorum libri, inventiones, &c., primo in lucem emissæ fuerint in exteris nationibus. Tempus in quod privilegium conceditur, excedere non potest tempus in quod concederetur, si opus primo in regno Britannico in lucem emissum fuisset. Insuper mandatum, nullum effectum habebit, nisi in regno in quo libri in lucem emittebantur æqualia privilegia concedantur libris, &c., qui in insulis Britannicis primo in lucem editi sunt. Hoc privilegium jus auctorum apud diversas gentes [*international copyright*] dici-

(*a*) De Just. n. 61.

(*b*) Cf. Steph. vol. 2. p. 41. ubi varia Statuta refert.

tur. Ad id obtinendum apud nos, opus in tabulas debite referri debet [*must be duly registered*], et si sit liber, figura ligno aut ære incisa, aut compositio scenica, aut cantus, exemplar operis in tabulas quæ apud Aulam Chartariorum Londini servantur, referre necesse est. Quando jus librum in aliam linguam transferendi reservatur, archetypum in tabulas referre, et exexemplar apud Aulam Chartariorum deponere necesse est, et auctor in plagula qua index libri exhibetur [*the title page*], suam intentionem reservandi jus librum in aliam linguam transferendi declarare tenetur. Jus vero quod auctori conceditur ut ejus liber in aliam linguam non transferatur, in longum tempus non perdurat, et nisi translatio intra breve tempus ejus auctoritate confecta fuerit, et exemplar in tabulas relatum, et apud Aulam Chartariorum positum, jus auctoris desinet. Figura ligno aut ære incisa [*a print*] quæ primo in extera regione in lucem edita fuerit, domino non vindicabitur, nisi ejus nomen in lamina et in singulis exemplaribus exhibeatur. Libri, figuræ ligno aut ære incisæ, et picturæ lineares [*drawings*], quæ quamvis in exteris regionibus primo editæ fuerint, prædictis privilegiis potiuntur, nunc sine ullo portorio admittuntur. Pacta de juribus auctorum protegendis inita sunt inter nostram rempublicam et Galliam, Borussiam, Belgium, aliasque quasdam gentes.

658. Privilegia ista operibus blasphemis, seditiosis, aut improbis, nullatenus conceduntur. Privilegium typis edendi Statuta Parlamenti, proclamationes publicas, et mandata regis in concilio interiori datas ad regem pertinet, et ad universitates literarias apud Oxoniam et Cantabrigiam, quibus hoc jus in perpetuum concessum est. Sed videtur nunc omnes cives, sine ulla facultate a rege accepta, hæc omnia typis edere posse, dummodo *explicationes* bona fide adjiciantur. Ex Stat. etiam Parlamenti universitates literariæ que supra memoravimus, et Collegia Etonense, Westmonasteriense, et Vintonense privilegio *perpetuo* gaudent propriis eorum typis exscribendi libros, quorum auctores hoc jus iis in perpetuum concesserunt.

659. Quid sentiendum sit de dominio auctoris circa libros quos ipse in lucem ediderit, spectata sola lege naturali, jam diximus. Quod attinet vero ad prælectiones, vel privatim vel publice habentur. Si privatim habeantur utique prælector posset conditionem ab auditoribus exigere ut sine ejus consensu in lucem ne edantur. Si vero sint publice habitæ in aliqua Academia, aut Collegio, aut in alio loco, in quo prælector accepta mercede prælectiones habere tenetur, quidam putant de his eodem modo ratiocinandum esse, ac si in lucem ab auctore emissi

fuissent. Sed revera prælector adhuc jus proprium retinet prælectiones suas typis exscribendi, foras dandi et pretio vendendi. Differunt enim hæc inter se omnino; prælectionem viva voce tradere, eamque typis exscribere et foras dare. Equidem potest prælector, si ita velit, omnibus facultatem præbere prælectiones suas typis exscribere forasque dare; et oratores plerumque omnino desiderant ut eorum orationes diurnis actibus mandentur. Sed prælectores in Academiis, Collegiis, &c., bene cognoscuntur velle ut eorum prælectiones non dentur foras sine eorum expressa licentia; et contractus existit implicitus in hunc effectum inter ipsos et auditores. Hic contractus ex communi sensu et intelligentia hominum deducitur, quia actus hominis qui alterius prælectiones, sine ejus licentia typis exscribit, forasque dat proprio suo nomine, ab omnibus ut injustus reprobatur. Jus enim habet prælector ad famam quæ ex promulgatione ejus prælectionum proprio suo nomine derivabitur, et ad lucra quæ ex earum venditione percipietur. Et hæc vera sunt, etiamsi prælector suas prælectiones typis exscribere forasque dare tenetur; adhuc enim jus retinet ad famam et emolumenta quæ ex earum promulgatione derivari posset.

660. Jus quod inventori alicujus rei per literas patentes conceditur, non extendit ad colonias, nisi hoc in ipsis literis expresse declaretur; sed jus auctorum librorum, &c., etiam in coloniis tuetur. Sed quoniam lex nostra municip. non obligat in Gallia, aut in aliis exteris regionibus, nullius injustitiæ reus esset Gallus, qui inventiones quæ in nostra republica diplomate muniuntur, nolente inventore, in Galliam introduceret, aut quoslibet libros apud nos foras datos, in Gallia ederet, et venderet, aut in linguam Gallicam verteret. Nunc autem, per pacta inter multas gentes inita hac de re, potest auctor jus proprium ad usum sui operis etiam in iis exteris regnis vindicare. Jus quod in aliqua republica alienigenis conceditur, obligat in conscientia eodem modo ac si essent subditi istius reipublicæ. Itaque videndum est quatenus præscripta juris municip. quibus jura auctorum vindicantur obligent in conscientia.

661. Præscripta juris municip. de hac materia, prorsus diversæ sunt rationis, ab iis quibus jura inventorum novarum artium vindicantur. Jus enim proprium auctoris ad librum a se in lucem emissum, nullo indiget actu ad eum stabiliendum, et quovis tempore librum in indicem referendo, actionem ei qui jus suum violat intendere potest. Jus etiam proprium auctoris in duo et quadraginta annos minimum perdurat. Sed inventori novæ artis nullum jus proprium conceditur; et ad id obtinendum necessarium

est et laborem et sumptum impendere. Deinde diploma regium quo jus inventori conceditur obtinere necesse est, antequam inventionem suam patefecerit; unde non raro accidit ut postquam artem a se inventam diplomate munierit, et laborem et sumptum deperdit, quia inventio in nullo pretio habetur. Insuper jus diplomate concessum ultra quatuordecim annos non perdurat. Deinde inter præscripta juris municip. quæ jura novarum artium inventorum respiciunt, et ea quibus jura auctorum vindicantur, hoc maxime interest, quod homines justi et probi priora absolute et simpliciter obligare censent, posteriora vero nonnisi in modum legis pœnalis. Dum enim violatores jurium qui diplomate muniuntur injustos esse declarant, ipsi sine scrupulo leges quibus jura auctorum vindicantur violant. Exemplaria enim librorum qui in nostra republica primo foras prodierunt, ex alienis gentibus ubi typis exscripti et editi sunt, sine consensu auctoris, contra præscripta legis in nostram rempublicam important; et exemplaria emunt quæ etiam in nostra republica, auctore, nolente, et contra præscripta legis, typis exscripti sunt. Itaque saltem certum non est hanc legem obligare ante sententiam. Sed lex dubia, præsertim in materia justitiæ, non obligat. Itaque lex qua vindicatur jus proprium auctorum, non obligat ante sententiam.

662. Et revera, quamvis legem in gratiam auctorum latam esse censetur, attamen longe magis favet bibliopolis, et iis a quibus libri in lucem eduntur, quam auctoribus. Ipse enim auctor omnes expensas librum typis exscribendi solvere tenetur, et si exemplaria non vendantur, ipse totum damnum sustinet, et fere dimidiam partem pretii omnium exemplariorum quæ venduntur, ei a quo liber in lucem datur et bibliopolis tradere obstringitur. Est enim auctori omnino necessarium ut ejus liber in lucem ab aliquo bibliopola emittatur, ut satis omnibus auctoribus compertum est. Conventum etiam est inter bibliopolas ut libri iis quarta parte pretii dempta vendantur, et ut si duodecim exemplaria emantur, unum aliud exemplar gratis adjiciatur. Propter has exactiones convento suffultas, libri nonnisi pretio immodico mercari possunt, ita ut homines modice locupletes libros ipsis utiles aut etiam necessarios emere nequeunt. Propter eandem rationem auctores jura quæ ipsis ex præscripto legis conceduntur iis a quibus libri in lucem emittuntur, minimo aut etiam nullo pretio accepto, transferunt, unde ii qui etiam bibliopolæ sunt, jure suo in duo et quadraginta annos utendo non raro ingentes comparant opes, dum auctor miserrima paupertate opprimitur. Lex itaque potius bibliopolis quam auctoribus favet, et habita ratione conventi quo bi pretium libro-

rum immodice augent, eorum jura per legem pœnalem satis tutantur, præsertim quoniam divitiis affluunt, et actiones ad eorum jura vindicanda sine magno incommodo intendere possunt.

663. Insuper, ne supprimerentur libri quorum divulgatio reipublicæ interest ab iis qui jure proprio eos in lucem edendi potirentur, per 5 et 6 Vict. c. 45, statuitur, ut si, *post mortem auctoris*, is cui jus illud pertinet, librum iterum in lucem emittere recuset, posset quis declarare coram delectu judiciali concilii regis domestici, divulgationem hujus libri bono publico utilem fore, et si ita delectui judiciali videbitur, facultatem, quibusdam adjunctis conditionibus, librum in lucem emittendi accusatori concedent.

§ 3. *De titulo ex privilegio regis* [by prerogative].

664. Hoc titulo acquiruntur quædam catalla pèrsonalia, aut ab ipso rege, aut a subditis qui hoc jus aut ex largitione regis aut ex præscriptione vindicare possunt. Hoc titulo omnia vectigalia, tributa, et portoria, a rege vindicantur, sive hæc ad censum regis hereditarium pertineant, sive statutis Parlamenti ipsi concedantur. In his enim rebus, eo momento quo debentur, ex præscripto juris municip., rex jus ad rem [*chose in action*] acquirit; quando vero solvuntur jure in re [*chose in possession*] ei ascribuntur. Et rex non potest tenere catallum aut reale aut personale conjunctim cum alio [*have a joint property*], quando enim tituli regis et subditi concurrunt, totum catallum ad regem separatim [*in severalty*] pertinet. Sed verum dominium vectigalium, &c., manet apud rempublicam, et nonnisi fictione juris regi tribuitur, ut supra n. 507 explicavimus.

Alia bona personalia quæ ex privilegio a rege vindicari possunt, ut thesauri, *bona waivata*, jumenta errantia, pisces regiæ, &c., supra nn. 503 et 635 exposuimus.

Ex privilegio rex sibi vindicat jus proprium quædam scripta typis exscribendi, et in lucem emittendi, ut supra ubi de dominio auctorum exposuimus. Præter ea quæ ibi memoravimus, rex ut caput sectæ Anglicanæ (nunc tamen in Anglia sola) jus proprium sibi vindicat libros liturgicos et rituales hujus sectæ typis exscribendi et foras dandi. Perhibetur etiam jus proprium habere ad exemplaria voluminum legalium, grammaticorum, &c., quæ impensis regis typis exscriptæ et in lucem editæ fuerint. Sed hoc jus non titulo privilegii sed emptionis nititur, et eodem titulo jus proprium exigit, eam translationem literarum divinarum typis exscribendi, quæ auctoritate et impensis regis facta est.

Vidimus supra jus proprium hæc typis exscribendi, et foras emittendi ad universitates literarias apud Oxoniam et Cantabrigiam in perpetuum concessum esse; alios vero cives hæc omnia nunc typis edere posse, dummodo explicationes bona fide adjiciantur.

§ 4. *De ceteris titulis quibus dominium rerum mobilium acquiri possit.*

665. Catalla personalia titulo *consuetudinis specialis* acquiri possunt. Plures hujusmodi consuetudines existunt in diversis partibus reipublicæ, sed semper ad quædam loca coarctantur; quia hic titulus consuetudines regni universales minime respicit. Consuetudines quæ solummodo intra fines quorundam locorum vigent, tam numerosæ sunt ut vix possibile esset eas omnes enumerare. Nobis sufficiet tres consuetudines exponere, ex quibus natura et ratio tituli qui consuetudine nititur satis intelligi potest. Hæ sunt consuetudines ex quibus *Heriota* et *Mortuaria* debentur, et res quædam mobiles jure hereditario transmittuntur, quæ ideo [*heirlooms*] appellantur.

666. Supra, n. 277, vidimus *heriota* duplicis esse generis, nempe servitium heriotum, et heriotum secundum consuetudinem. Priora sunt quædam species reditus, et reputantur a domino agrorum reservata fuisse, quamvis nullum vestigium hujus reservationis inveniatur, præter consuetudinem ea exigendi ex parte domini, et solvendi ex parte tenentis. De hoc titulo itaque, qui in contractu et non in consuetudine fundari censetur, hic non agimus. Posteriora vero consuetudine niti censentur, et hic est titulus heriota ex consuetudine exigendi, de quo nunc loquimur. Sed hanc totam materiam supra n. 277 exposuimus.

667. *Mortuarium* est quædam species herioti ecclesiastici, quod in multis parœciis, occasione exsequiarum, ex consuetudine debitum est. Quando dominus agrorum jure ad heriotum potitus est, ipse primo catallum personale optimum defuncti elegit, quo facto jus proximum eligendi parocho competebat. Hoc donum in initio voluntarie a familia defuncti datum est, ut patet ex ipsa natura juris quod sola consuetudine nititur, et ideo *donum mortui* appellatum est. Sed etiam ab antiquis temporibus, mos pius ita consuetudine sancitus est ut catallum stricte debitum est. Tempore enim regni Hen. III., sic scribit Bracton (*a*): "Imprimis autem debet quilibet, qui testamentum fecerit, dominum suum de meliore re quam habuerit recognoscere; et postea ecclesiam de

(*a*) Ap. Steph. vol. 3. p. 111. Regnare cœpit Hen. III. A. D. 1216.

alia meliore." Sed hæc consuetudo nec universalis erat, neque semper similis, quia de ea sic procedit idem auctor: "In quibusdam locis habet ecclesia melius animal, de consuetudine; in quibusdam secundum vel tertium melius; et in quibusdam nihil: et ideo consideranda est consuetudo loci." Sed quicquid sit de quæstione, an valeat consuetudo ex qua aliquid certum exigi possit a parocho pro sepultura seu pro officio sepulturæ, de qua quæstione videri potest Barbosa (*a*); certum est consuetudinem de qua nunc loquimur omnino justam fuisse, quia bona quæ occasione funeris vindicabantur, non exigebantur ratione sepulturæ aut officii, sed pro compensatione decimarum personalium, aut oblationum, quæ forsan a defuncto debita erant. De hac re hoc testimonium citat Steph. (*b*). "Si decedens plura habuerit animalia, optimo cui de jure fuerit debitum reservato, ecclesiæ suæ, sine dolo, fraude, seu contradictione qualibet, pro recompensatione subtractionis decimarum personalium, necnon et oblationum, secundum melius animal reservetur, pro salute animæ suæ."

668. Variæ erant in diversis locis hujus mortuarii species, non solum circa rem solvendam, sed etiam circa personas cui solvenda erat. In aliquibus enim locis, quando mortuus est clericus aliqua pars bonorum ejus mobilium episcopo debita erat, sed hoc jus post tempus reformationis, quam dicunt, per varia statuta jam abrogatum est. Insuper per 21 Hen. VIII., c. 6, statutum est ut in omnibus parœciis in quibus mortuaria consuetudine debentur, nisi defunctus bona reliquerit ultra pretium 6 lbb. et dimidii, nullum mortuarium exigi possit; si vero reliquerit bona ultra pretium 6 lbb. et dimidii sed non supra 20 lbb. et dimidium, tres schillinji et quatuor nummi [*pence*] exigi possent. Si vero summa relicta sit supra 30 lbb. et infra 40 lbb. exigi possunt sex schillinji et 8 nummi; si vero excedat 40 lbb. cujuscumque sit pretii, nunquam plusquam decem schillinji exigi possunt. Insuper præscribitur ut nullum mortuarium solvatur occasione mortis mulieris matrimonio junctæ, aut minoris, aut cujusvis qui domum non habet, aut viatoris [*a wayfaring man*]; sed in hoc ultimo casu mortuarium solvi jubetur a parœcia cui viator pertinet. Et hæc præscripta adhuc in Anglia existunt, sed nonnisi in gratiam ministrorum Protestantium nunc ordinantur, et proinde nobis non incumbit plura de iis disserere, quoniam neque clerum neque populum Catholicum respiciunt.

669. Catallum personale quod contra præscriptum generale

(*a*) De officio parochi, c. 26. n 18. (*b*) Loc. cit. p. 110.

juris municip. descendit, non ad exsecutorem testamenti aut ad administratorem, sed ad heredem simul cum hereditate cui ex speciali consuetudine loci annectitur, *heirloom* appellatur, a verbo Saxonico *loom,* quod membrum, seu partem significat. Ex consuetudine itaque speciali loci, catallum personale hujusmodi pars hereditatis efficitur. Ut catallum personale jure hereditario vindicari posset, necessarium est probare, catallum hoc ex consuetudine loci hereditati annexum esse, simulque cum ea jure hereditario descendere. Dominus agrorum qui etiam in feudo simplici tenentur, non potest per testamentum ab agris separare catallum quod cum iis modo jam dicto connectitur. Potest quidem dum vivit ad arbitrium catallum disponere; sed is qui herededidati succedit, etiam catallum accipiet, quamvis dominus hereditatis id alteri legaverit. Ratio est quod *eo momento* quo mortuus est antecessor, heres accipit hereditatem, et quoniam hoc catallum pars est hereditatis etiam id accipit. Testamentum vero effectum non habet nisi *post* mortem ejus a quo connectum est. Itaque quoniam heres jam possidet cattalum, eo privari non possit per testamentum, quod nonnisi postea effectum habet. Idem dicendum est de aliis rebus, quæ non ex consuetudine, sed naturaliter aut ex præscripto legis, partem hereditatis efficiunt. Arbores crescentes sunt res immobiles, sed dominus agrorum in feudo simplici eos ad arbitrum excidere potest, quo facto, in res mobiles convertuntur, et ita eos testamento legare potest. Sed eos legare non potest dum crescunt, nisi simul cum ipsis agris, propter rationem jam datam; quia simul cum agris ad heredem descendent antequam testamentum effectum habere possit.

670. Vocabulo *heirloom* sæpe significantur catalla personalia, quæ hereditati non consuetudine speciali, sed aut testamento, aut alia ordinatione, aut jure communi regni, hereditati annectuntur. Sic picturæ, vasa aurea et argentea, suppellex, quæ agris aut domicilio testamento aut alia dispositione annectuntur, *heirlooms* vulgo appellantur. Sed hic non est verus sensus vocabuli, quia hæc, neque consuetudine, neque permanenter hereditati annectuntur. Quia status talliatus ex catallis mobilibus effici non potest; et proinde is qui statum hereditarium in possessione in his accipisset si fuissent res immobiles, eodem tempore hæc absolute possidebit; et non solum ea legare potest, sed si decedat sine testamento, non ad heredem, sed ad administratorem ejus bonorum mobilium descendent. Sic si Caius testamento statuisset ut suæ picturæ, &c., filio suo Julio, qui jam existit, simul cum suo domicilio in vitam descenderent, Julio vero extincto, ut pertinerent ad filium Julii natu maximum ejusque heredes corporis; Jacobus

filius Julii, patre suo mortuo, accipiet statum hereditarium in possessione in domicilio, et picturæ, &c., ei absolute pertinebunt. Idem dicendum est de catallis personalibus quæ non consuetudine speciali, sed jure communi, hereditati annectuntur. Talia sunt cervi in vivario, pisces in stagno, columbæ in columbario, quæ non consuetudine speciali, sed ubique jure com. cum hereditate descendunt. Ejusdem generis sunt, diplomata, facta [*deeds*], *rotuli curiarum* [*court rolls*], aliaque monumenta, quibus jus ad hereditatem probatur, quæ simul cum arcis in quibus servantur ad heredem descendunt.

Attamen a pluribus jurisperitis etiam hujus ætatis hæc catalla consuetudine acquiri dicuntur (*a*). Et adhuc minus recte ab iisdem jurisperitis dicitur gemmas antiquas regis, ut *heirlooms*, ab antecessoribus ad successores descendere. Sed quoniam hac consuetudine locali non transmittuntur, dici nequeunt titulo consuetudinis descendere. Omnino itaque dicendum est, hæc sicut cervi in vivario, aliaque catalla personalia quæ eodem præscripto reguntur, ab antecessore ad heredem ex præscripto juris com. descendere.

671. Titulus *successionis* prout a jurisperitis intelligitur solummodo corpora [*corporations*] respicit. De his nominatim tractavimus, et quomodo res, tum immobiles tum mobiles, ab illis acquiri possent exposuimus. Quomodo vero dominium statuum immobilium ab hominibus singulis acquiri possit, supra de titulo juris hereditarii agentes explicavimus. Et quomodo dominium rerum mobilium titulo successionis ab hominibus singulis acquiri possit, ad materiam de testamentis pertinet. Omnia enim hujusmodi bona ab aliquo qui vice defuncti fungitur administrari necesse est. Is autem bona mobilia defuncti administrat, aut secundum ejus testamentum, aut si testamentum validum non

(*a*) Cf. Student's Blackstone, by Robert Malcolm Kerr, LL. D., Barrister-at-Law, London: Murray, 1865, pp. 235–6, where he also enumerates, amongst other heirlooms, "chimney-pieces, pumps, and old fixed or dormant tables, or the like," which undoubtedly by Common Law belong to the owner of the premises, and can only be claimed by those who erected them, either by particular custom, or by Statute, or by special agreement. He also enumerates amongst heirlooms, a monument or tombstone in a church, or the coat-armour of his ancestor there hung up, with the pennons and other ensigns of honour suited to his degree, because although "the freehold of the Church is in the parson, and these are annexed to that freehold; yet cannot the parson *or any other* take them away or deface them, but if he do so is liable to an action by the heir." Sed manifestum est hæc omnia vim habere, non ex consuetudine speciali sed ex præscripto generali legis com. In eodem loco dicit gemmas antiquas regis ut *heirlooms* ab antecessore ad successorem descendere, sed hoc non esse verum in textu ostendimus.

confecerit, secundum statutum quo distributio bonorum defuncti regitur. In secundo casu uxor et consanguinei defuncti ejus bona mobilia jure successionis secundum præscripta stat. de distributionibus accipiunt, sed manifestum est hanc materiam simul cum testamentis explicandam esse.

672. De titulo *matrimonii*, quo bona uxoris per matrimonium ad maritum transferuntur, jam satis fuse egimus; itaque hic solummodo dicendum est de *judiciis tribunalium* quo titulo catalla mobilia acquiri possunt. Hic titulus complectitur: 1. ea bona quæ ab accusatore communi [*a common informer*] ex præscriptis plurium Parlamenti statutorum per modum multæ exigi possunt, ex iis qui aut certos actus legi repugnantes commiserint, aut actus a lege requisitos omiserint. Præscripta hujusmodi non solum sunt tantummodo pœnalia, sed plerumque etiam injusta. Plura ex iis jam abrogata sunt; alia ad usum nunquam adducta erant; et sperandum est quod omnia ejusmodi præscripta brevi abrogentur. Complectitur: 2. impensas quæ a juratis [*jurors*] alicui adjudicantur in compensationem damni [*damages*]; quia quamquam is qui damnum patitur statim jus habet ad idoneam satisfactionem, attamen nullum jus certum in foro civili habet, donec summa in compensationem damni solvenda a juratis determinata fuerit; et proinde hæc summa ex judicio tribunalium derivari censetur. Complectitur: 3. impensas in litem factas, quia plerumque pertinet ad curias sive juris com., sive æquitatis, alterutrum ex litigantibus ad expensas damnare, et proinde summa sic obtenta ex judiciis tribunalium acquiri reputatur.

INDEX.

Paginæ in Prœmio numeris Romanis indicantur.

Paginis.

DE LEGIBUS MUNICIPALIBUS ANGLIÆ, ET HIBERNIÆ, SCOTIÆ, i

§ I. —De nomine legis municipalis, ... ibid.
§ II. —De legibus Hiberniæ municip., ... ibid.
§ III. —De legibus Scotorum municip., ... vii
§ IV. —De legibus Anglorum non scriptis, ... viii
Punctum 1um.—De consuetudinibus generalibus, . . ix
Punctum 2um.—De consuetudinibus specialibus, . . xii
§ V. —De legibus municip. scriptis, ... ibid.
§ VI. —De divisione actionum injuriosarum in eas quæ privatis et in eas quæ reipublicæ damnum inferrunt, . . . xiv
§ VII. —De divisione injuriarum publicarum in feloniam et delicta minora, ... xvii
§ VIII.—De Tribunalibus regis quæ Juris Com. Tribunalia appellantur, ... xix
Punctum 1um.—De Tribunali Communium Placitorum, . ibid.
Punctum 2um.—De Tribunali Scaccarii, ... xx
Punctum 3ium.—De Tribunali Banci Regii, . . . xxii
§ IX. —De Tribunalibus Æquitatis, ... xxiv
De Summo Cancellario, ... xxv
De Tribunalibus Cancellariæ, ... ibid.
De Tribunali Rotulorum, ... xxxiv
De aliis Tribunalibus Æquitatis, ... xxxv
§ X. —Exponuntur regulæ secundum quas statuta Parlamenti interpretanda sunt: et de discrimine inter legem et æquitatem agitur, ... xxxvi
§ XI. —De variis modis quibus damna privata secundum præscripta juris municip. reparari possent, ... xliv
Punctum primum.—De remediis per merum actum ejus qui damnum passus est, ... ibid.
Primum remedium derivatur ex ipso jure naturali, . . ibid.
Secundum remedium est per resumptionem [*recaption or reprisal*], ... xlv
Tertius modus damnum reparandi actu proprio, est per molestæ [*a nuisance*] amotionem, ... xlvi

Paginis.

Quartum remedium quo reparatio damni per actum proprium civis privati fieri permittitur, pignoris capta [*a distress*] appellatur, ... xlix
De modo damnum reparandi ex consensione partium [*accord*], lii
De modo litem finiendi per arbitrium [*arbitration*], . . liv
Punctum secundum.—De reparatione damnorum per meram legis operationem, ... lvi
Primum hujusmodi remedium exsecutorem testamenti respicit, ibid.
Secundum remedium, ... ibid.
Punctum tertium.—De actionibus civibus et de earum divisione, in reales, personales et mixtas, ... lvii
De actione ejectionis [*ejectment*], ... lix
De actionibus localibus et transeuntibus, ... lx

DISPUTATIO PRIMA.

DE NATURA VIRTUTIS IN GENERE.

§ I. —De virtutis definitione, ... 1
§ II. —De virtutum divisione in naturales et supernaturales, et in theologicas et morales, ... 2
§ III.—Quomodo justitia ab aliis virtutibus moralibus discrepet, . . 4
§ IV. —De virtutum moralium divisione in acquisitas et infusas, et de utriusque generis virtutum natura et indole, ... 5
§ V. —De modo in quo actus ordinis naturalis, et supernaturalis elici possunt, et de utriusque ordinis harmonia, ... 7
§ VI.—De quatuor virtutibus cardinalibus et speciatim de justitia, . 9

DISPUTATIO SECUNDA.

DE VARIIS JUSTITIÆ ACCEPTATIONIBUS, DEQUE EJUS DEFINITIONE ET NATURA QUA EST VIRTUS SPECIALIS, . . . 11

§ I. —De justitia qua est virtus generalis et de divisione virtutum moralium in tres classes, nempe in eas quæ ad Deum, ad proximum, et ad nosmetipsos immediate ordinantur: ubi etiam de partibus justitiæ potentialibus agitur, ... ibid.
§ II. —Definitio justitiæ formaliter sumptæ explicatur; ejus materia et forma: virtutes potentialiter ad justitiam pertinentes ab hac definitione excluduntur, ... 14

DISPUTATIO TERTIA.

DE DIVISIONE JUSTITIÆ IN LEGALEM, DISTRIBUTIVAM, COMMUTATIVAM, ET VINDICATIVAM. JUSTITIA LEGALIS EXPONITUR, . . . 23

§ Unicus. De definitione et natura justitiæ legalis seu generalis, . . ibid.

Paginis.

DISPUTATIO QUARTA.

DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA, ... 29

§ I. —In quo residere possit virtus justitiæ distributivæ, et an sit virtus specialis? Quando cum eo concurrat justitia commutativa? An Deus dici possit hanc virtutem habere, ... ibid.

§ II. —An hæc virtus pertineat ad justitiam? Qualis æqualitas in ea inveniatur? Quandonam cum justitia distributiva concurrat contractus qui ex justitia commutativa obliget? 34

§ III.—Utrum justitia distributiva sit justitia stricte dicta ex cujus violatione obligatio restitutionis oriatur? Utrum semper exigat plures concurrentes quos inter se comparat, ... 36

§ IV.—An æqualitas geometrica sit ita propria justitiæ distributivæ ut in alia specie inveniri nequeat? Quomodo ab aliis justitiæ speciebus distinguatur? Et quodnam vitium ei specialiter opponatur? 37

DISPUTATIO QUINTA.

DE JUSTITIA VINDICATIVA. QUID SIT? UTRUM SIT SPECIES DISTINCTA JUSTITIÆ, ET QUOMODO A CETERIS DISCREPET? AN IN DEO EXISTAT JUSTITIA VINDICATIVA? 41

DISPUTATIO SEXTA.

DE JUSTITIA COMMUTATIVA, ... 49

§ I. —Quomodo definiatur justitia commutativa? Quomodo discrepet debitum ejus a debitis aliarum specierum justitiæ formalis? . ibid.

§ II. —De alterietate, debito, et æqualitate, quæ inveniri debent in justitia commutativa, ... 51

§ III.—Utrum justitia commutativa sit indentica cum justitia stricta ex cujus violatione oritur obligatio restitutionis? Inter quas personas intercedere possit hæc virtus? 54

§ IV.—Utrum seclusa lege vel pacto, debitum justitiæ commutativæ positivum sine actu positivo incurri possit? Ex solutione istius quæstionis infertur, an habens superflua violet justitiam, pauperi in necessitate non subveniendo? 58

§ V. —Quænam materiam et formam justitiæ commutativæ constituant? Quænam vitia ipsi opponantur? Quare ex solius justitiæ commutativæ violatione oriatur restitutionis obligatio? . . 62

§ VI.—Quomodo distinguatur justitia commutativa ab aliis justitiæ speciebus? Sitne hæc virtus naturalis an supernaturalis? Quomodo acquiratur et amittatur, ... 66

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE CONCURRENTIA JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ CUM ALIIS JUSTITIÆ SPECIEBUS. DE CONTRACTU IMPLICITO QUI IN OMNI SOCIETATE, INTER TOTAM SOCIETATEM EJUSQUE MEMBRA SIGILLATIM SUMPTA, EXISTIT, . . 68

I. —De concurrentia justitiæ commutativæ cum aliis justitiæ speciebus, ibid.

Paginis.

§ II. —De contractu implicito qui vi juris naturalis in omni societate civili inter totam societatem ejusque membra singillatim sumpta existit, ... 70

DISPUTATIO OCTAVA.

DE JURE.

DE SIGNIFICATIONE JURIS IN PRÆSENTI MATERIA. QUOMODO JUS STRICTUM DETERMINETUR ET AB ALIIS JURIBUS DISTINGUATUR? DE VARIIS SPECIEBUS BONORUM QUÆ OBJECTUM JURIS STRICTI EFFORMARE POSSUNT, ... 78

§ I. —De sensu in quo jus strictum in præsenti materia accipitur, . . ibid.

§ II. —De titulo in quo jus strictum nititur, seu de vinculo quo res nostræ nobiscum in nostrum proprium commodum connectuntur, . 85

§ III.—De divisione juris proprietatis in jus in re et jus ad rem, . . ibid.

§ IV.—De conditionibus necessariis ad jus in re constituendum, . . 87

§ V. —De conditionibus necessariis ad jus ad rem constituendum. De discrimine inter jus in re et jus ad rem solo jure naturali spectato. Infertur an vi juris naturalis jus in re actionem realem, jus ad rem, personalem tribuat, ... 94

DISPUTATIO NONA.

DE DOMINIO.

DE NOMINIBUS DOMINII ET PROPRIETATIS. DE DEFINITIONE ET ESSENTIA DOMINII PLENI. DE DOMINIO SEMIPLENO SEU IMPERFECTO. DE DOMINIO ALTO ET HUMILI, ... 103

DISPUTATIO DECIMA.

DE DIVISIONE RERUM ET ORIGINE DOMINII, . . 115

§ I. —Deus ab initio dedit omnia bona terrena humanis usibus destinata omnibus hominibus in commune quoad usum, quo in statu bona in communitate negativa esse dicuntur; quando et quomodo ab exordio mundi facta sit divisio bonorum, ... ibid.

§ II. —Ipsa substantia rerum ab initio permanenter uni ad exclusionem omnium aliorum, per solam occupationem appropriata non est, sed per industriam et laborem. Quomodo filii in jura parentum successerint, ... 118

§ III.—De divisione et appropriatione terræ post confusionen linguarum et humani generis in varias regiones dispersionem, . . . 121

§ IV.—Post lapsum hominis non solum licita sed et necessaria est pro hominibus generatim sumptis bonorum divisio et appropriatio. Socialismus ipsum jus naturale violat, ... 122

§ V. —Quo jure actu inducta sint divisio rerum et proprietas? . . 125

Paginis.

DISPUTATIO UNDECIMA.

QUO SENSU INTELLIGATUR VERBUM OBJECTUM IN PRÆSENTI MATERIA: DE DOMINIO HOMINIS QUOAD BONA EXTERNA, . . 133

§ I. —Quo sensu intelligatur objectum dominii et ipsum dominium in præsenti disputatione? De divisione bonorum quæ possint esse objectum dominii humani in interna et externa, ... ibid.

§ II. —De bonis nimi et corporis, quæ possunt esse objectum dominii humani. Utrum homo habeat dominium directum vitæ et membrorum, ... 134

§ III.—Utrum homo per peccatum, et signanter, vitam propriam aut alienam auferendo, effective reus sit injustitiæ erga Deum, . . 138

§ IV.—Utrum homo dominium habeat utile propriæ vitæ? Quatenus homini liceat seipsum indirecte occidere, ... 141

§ V. —Respublica non habet dominium directum in vitam et membra civium. Habet vero dominium aliquod indirectum ob bonum commune, ... 145

§ VI.—Utrum homo habeat dominium plenum propriæ famæ et honoris? 148

DISPUTATIO DUODECIMA.

DE BONIS EXTERNIS QUÆ POSSINT ESSE OBJECTUM DOMINII HUMANI. ETIAM AN HOMO DOMINIUM HABERE POSSIT IN ALIUM HOMINEM, UBI DE SERVITUTE AGITUR, ... 152

§ I. —Quæ bona externa cadere possint sub dominio hominis, . ibid.

§ II. —De servitute seu an unus homo alterum titulo dominii proprietatis possidere possit? 157

DISPUTATIO TERTIA DECIMA.

DE DIVISIONE RERUM QUÆ OBJECTUM DOMINII HUMANI CONSTITUUNT IN MOBILES ET IMMOBILES, CORPORALES ET IN CORPORALES. DE SIGNIFICATIONE LEGALI VERBORUM, AGRI, TENEMENTI, ET HEREDITAMENTI, ... 166

DISPUTATIO QUARTA DECIMA.

DE SYSTEMATE FEUDALI, ET DE SIGNIFICATIONE LEGALI VERBORUM TENURÆ, TENENTIS, ET TENEMENTI, . . . 171

DISPUTATIO QUINTA DECIMA.

DE VARIIS SPECIEBUS TENURÆ QUIBUS AGRI OLIM APUD NOS TENEBANTUR, ... 175

§ I. —De tenura per servitium militare, ... 176

§ II. —De tenura liberi socagii, ... 177

§ III.—De tenura puri villenagii, ubi de maneriis et servis qui villani appellabantur agitur, ... 179

§ IV.—De tenura villenagii privilegiati, ... 184

Paginis.

DISPUTATIO SEXTA DECIMA.

DE DIVERSIS SPECIEBUS DOMINII QUÆ IN BONIS EXTERNIS SEU FORTUNÆ HABERI POSSUNT. QUID REQUIRATUR AD STATUM SECUNDUM EJUS LEGALEM SIGNIFICATIONEM CONSTITUENDUM? DE DIVISIONE STATUUM IN LEGALEM ET ÆQUITABILEM. DE STATIBUS LIBERI TENEMENTI HEREDITARIIS. DE FEUDO SIMPLICI ABSOLUTO, ... 188

§ I. —Quid requiratur ad statum constituendum secundum legalem hujus vocis significationem. De divisione statuum in legalem et æquitabilem. De statibus liberi tenementi hereditariis. De natura status quem quis habet in agris qui in feudo simplici absoluto tenentur, ... 189

§ II. —De ceteris statibus liberi tenementi hereditariis; id est de feudis simplicibus humilibus [*base fee*] et de feudis simplicibus conditionatis; necnon de feudibus talliatis agitur, ... 195

DISPUTATIO SEPTIMA DECIMA.

DE STATIBUS LIBERI TENEMENTI NON HEREDITARIIS, . . 212

§ I. —De statibus in vitam qui conventione voluntaria partium creantur, ibid.

§ II.—De statibus liberi tenementi non hereditariis qui per ipsam legem creantur. De statu ex urbanitate, et de doario, ... 214

DISPUTATIO DUODEVICESIMA.

DE STATIBUS IN AGRIS QUI LIBERA TENEMENTA NON SUNT, . 221

§ I. —De statu qui in aliquot tantum annos tenetur. Natura locationis [*a lease*] explicatur, et quid intelligatur per feoffamentum [*feoffment*], concessionem [*grant*] et factum [*deed*] exponitur. Quid significat livery of seisin declaratur, ... 221

§ II. —De statibus in agris et tenementis qui ad arbitrium locatoris et conductoris fundi tenentur, ... 225

§ III.—De emblementis [*emblements*]; de damno statui illato [*waste*]; et de bonis mobilibus quæ rebus immobilibus affixa sunt, . 228

§ IV.—De statu ex tolerantia [*an estate at sufferance*], . . . 234

DISPUTATIO UNDEVICESIMA.

DE STATIBUS QUI CONDITIONIBUS ASTRINGUNTUR [*estates upon condition*], ... 237

DISPUTATIO VIGESIMA.

DE SEISINA ET POSSESSIONE, ET DE STATIBUS IN POSSESSIONE, REVERSIONE ET RESIDUO, ... 242

§ I. —De possessione, ... ibid.

§ II. —De variis divisionibus possessionis secundum præscripta legis municip., ... 251

§ III.—De statibus in expectatione, sive in reversione et in residuo . 254

De residuis contingentibus, ... 259

Paginis.

DISPUTATIO VIGESIMA PRIMA.

DE STATIBUS QUI AD UNUM TENENTEM PERTINENT; ET DE STATIBUS QUI A PLURIBUS TENENTIBUS CONJUNCTIM TENENTUR; DE STATIBUS IN QUOS PLURES SIMUL JURE HEREDITARIO SUCCEDUNT; ET DE STATIBUS QUI COMMUNITER TENENTUR, ... 264

§ I. —De statibus qui ad unum tenentem pertinent, et de statibus qui a pluribus tenentibus conjunctim tenentur, ... ibid.

§ II. —De statibus quæ pluribus personis simul jure hereditario descendunt [*estates in coparcenery*], et de statibus qui communiter tenentur [*estates in common*], ... 268

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA.

DE STATIBUS ÆQUITABILIBUS, SEU DE IIS QUI AB UNO AUT PLURIBUS QUI FIDUCIARII NOMINANTUR, PROPTER USUM ALTERIUS TENENTUR, [*uses and trusts*], ET DE STATIBUS QUI PER COPIAM ROTULI TENENTUR, ... 272

§ I. —De statibus æquitabilibus, ... ibid.
De usibus et fidei commissis, ... 273

§ II. —De statibus qui haberi possunt in agris qui per copiam rotuli tenentur [*copyhold estates*], ... 281

DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA.

DE REBUS ET HEREDITAMENTIS INCORPORALIBUS, ET DE REBUS ET CATALLIS PERSONALIBUS, QUÆ OBJECTUM DOMINII HUMANI ESSE POSSUNT, ... 286

§ I. —De natura hereditamenti incorporalis in genere, et de quibusdam hereditamentis in specie agitur, ... ibid.

§ II. —De reditibus [*rents*], ... 299

§ III.—De rebus et catallis personalibus quæ secundum præscripta juris municip. inter objecta dominii humani numerantur, . . 306

DSIPUTATIO VIGESIMA QUARTA.

DE DOMINII SUBJECTO, ... 309

§ I. —De dominii subjecto in genere. Sola natura intelligens est dominii capax. De dominio Dei et Angelorum, ... ibid.

§ II. —Utrum infideles, heretici, peccatores, et infantes etiam in utero materno sint dominii capaces? et a quo jure hanc capacitatem accipiant infantes, ... 310

§ III.—De filiorum familias, seu potius eorum qui nondum an. 21um compleverint dominio, ... 313

§ IV.—De obligationibus et juribus parentum circa personas et facultates liberorum, et de obligationibus liberorum erga parentes: de potestate tutorum et curatorum in personam et facultates suorum pupillorum, ... 321

§ V. —De variis speciebus tutorum qui ex præscripto juris municip. apud nos agnoscuntur; et de præscriptis circa personas et facultates mente captorum, ... 327

Pagini

§ VI. —De dominio uxorum, et de actibus legalibus qui inter maritum et uxorem intervenire possunt, ... 33
§ VII.—De tabulis nuptialibus quæ a viro in gratiam uxoris sive ante sive post matrimonium conficiuntur [*marriage settlements*], et de pactis quum inter virum et uxorem separatim vivere convenit, ... 34

DISPUTATIO VIGESIMA QUINTA.

DE DOMINIO PUBLICO QUOD IN NOSTRA REPUBLICA AD LEGES MUNICIP. PRÆSCRIPTA VIGET, ... 345

§ I. —De variis significationibus in quibus dominium publicum accipitur, ... ibid.
§ II. —De dominio publico stricte dicto, et de vectigali regis ordinario, 347
§ III.—De vectigali regis extraordinario, ... 351
§ IV. —De dominio communitatum minorum civilium quæ corpora [*Corporations*] appellantur, ... 355
De corporibus municipalibus, ... 360
De aliis corporibus laicis, ... 363

DISPUTATIO VIGESIMA SEXTA.

§ I. —Utrum ecclesia et viri ecclesiastici dominium rerum temporalium habere possint? De origine, fine, et usu possessionum ecclesiasticarum, ... 364
§ II. —In cujus dominio sint bona ecclesiastica? 368
§ III.—De dominio religiosorum singulorum, et societatum religiosarum, 371
§ IV.—De præscriptis legis municip. circa agros qui in manu mortua [*mortmain*] abalienari dicuntur, et de aliis præscriptis quibus facultas agros abalienandi Ecclesiæ, domibusque religiosis restringitur. De legatis quoque ob causas pias factis agitur, . 373
De fidei commissis misericordiæ causa constitutis, . . . 385

DISPUTATIO VIGESIMA SEPTIMA.

DE MODIS SEU TITULIS QUIBUS DOMINIUM RERUM EXTERNARUM ACQUIRI POSSIT IN GENERE SPECTATIS; DE TITULIS IN SPECIE QUIBUS SECUNDUM PRÆSCRIPTA JURIS MUNICIP. POSSESSIONES IMMOBILES ACQUIRI POSSINT, ... 387

§ I. —De modis seu titulis quibus dominium rerum acquiri possit in genere spectatis, ... ibid.
§ II. —De titulo juris hereditarii, ... 390
§ III.—De titulo Escætæ, ... 399
De monstris, filiis non legitimis, et alienigenis, . . . 400
De escæta ob defectum heredis, ... 402
De escæta ob delictum tenentis, ... 403
De agris et bonis quæ a rege in modum multæ acquiruntur, . 405
§ IV.—De titulo quo agri, tenementa, et hereditamenta acquiruntur, ex eo quod eorum dominus iis multatur [*by forfeiture*], et de titulo occupationis [*occupancy*], ... 406

Paginis.

§ V. —De titulo abalienationis [*of title by alienation or conveyance*] generatim et universe spectato, ... 409
§ VI.—De præscriptione prout in nostro jure admittitur, . . . 410
De conditionibus ad præscribendam requisitis, ... 412
Prima conditio est ut res sit opta, ... 414
Secunda conditio est ut existat bona fides ex parte præscribentis, 415
Tertia conditio est possessio, ... 424
Quarta conditio est titulus aptus, ... 426
Quinta conditio est, ut tempus a lege definitum compleatur, . 427

DISPUTATIO DUODETRICESIMA.

DE MODIS SEU TITULIS QUIBUS DOMINIUM RERUM MOBILIUM ACQUIRI POSSIT, ... 433

§ I. —De titulo occupationis, ubi etiam de rebus in bello captis, de accessione, de commixtione et confusione et de inventione agitur, . ibid.
Punctum primum.—De occupatione, ... ibid.
De occupatione animalium, ... 434
Punctum secundum.—De rebus in bello captis, . . . 440
Punctum tertium.—De titulo accessionis, ... 442
Punctum quartum.—De titulo confusionis et commixtionis, . 443
Punctum quintum de bonis inventis, ... 444
§ II. —De dominio hominis in proprii ingenii fetus, ... 445
Punctum primum.—De dominio auctorum spectata sola lege naturali, ... ibid.
Punctum secundum.—De præscriptis juris municip. circa dominium inventionum industrialium, ... 447
Punctum tertium.—De dominio auctorum ex præscripto juris municip., ... 453
§ III. —De titulo ex privilegio regis [*by prerogative*], . . . 459
§ IV. —De ceteris titulis quibus dominium rerum mobilium acquiri possit, 460
De titulo ex consuetudine speciali alicujus loci, . . . ibid.
De heriotis et mortuariis, ... ibid.
De catallis quibusdam personalibus quæ ex consuetudine speciali heredi transmittuntur [*heirlooms*], ... 461
De titulo successionis, ... 463
De titulo ex matrimonio, ... 464
De titulo ex judiciis tribunalium, ... ibid.

FINIS.

CORRIGENDA.

Pag. 46, lin. 33, *pro* commutativa *lege* vindicativa.
—— 53, § iv. *pro* seu *lege* vel.
—— 90, in nota, *pro* vol. 70, *lege* p. 70.
—— 93, lin. 7, *pro* alias *lege* alios.
—— 99, lin. 18, *pro* aliquare *lege* aliqua re.
—— 101, lin. 37, *pro* jus ad rem *lege* actio ad jus ad rem vindicandum.
—— 201, in titulo *pro* factæ *lege* fictæ.
—— 225, lin. 23, *pro* conducto *lege* conductor.
—— 230, *pro* n., 326 *lege* 336.
—— 244, Finis annotationis a typographo omissus est.
—— 344, *pro* portes inter rerum *lege* pacta inter virum.

239.27
C 879
14036
CROLLY G.
AUTHOR
Disputationes Theologicae De Justi
TITLE et Jure I
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | ROOM NUMBER
FEB 23
DEC 5 1986
14039